Z 12

PRAELECTIONES

THEOLOGIAE SPECULATIVAE

FUNDAMENTALIS THEOLOGIAE

PARS PRIMA

DE VERA RELIGIONE

AUCTOR JURA PROPRIETATIS SIBI VINDICAT.

SAC. GODOFREDUS ZACCHERINI

DOCTOR THEOLOGUS

PRAELECTIONES

THEOLOGIAE SPECULATIVAE

FUNDAMENTALIS THEOLOGIAE

PARS PRIMA

DE VERA RELIGIONE

ALMA COLLEGE
211
LIBRARY
Z 12
Alma, California

C.te D.r TITO BANDINI
BERTINORO

FRIDERICUS PUSTET
PONTIFICALIS BIBLIOPOLA
RATISBONAE - ROMAE - NEO-EBORACI

1763

Imprimatur

Fr. Albertus Lepidi, O. P. S. P. A. *Magister.*

† Josephus Ceppetelli, Patr. Constant. *Vicesgerens.*

FOROCORNELII, 1905 — EX OFFICINA SOCIETATIS TYPOGRAPHICAE PAULUS GALEATI

FRANCISCO . BALDASSARRIO

PONTIFICI . FOROCORNELIENSIVM

MVLTIPLICIS . DOCTRINAE . LAVDE . CLARISSIMO

ET . MAGNA . CVM . EO . NECESSITVDINE . CONIVNCTO

ALBERTO . GIBELLIO

ABBATI . MAGISTRO . SVMMO . CAMALDVLENSIS . ORDINIS

ANTIQVARVM . RERVM . SCIENTIA . PRAESTANTISSIMO

GODOFREDVS . ZACCHERINIVS

DOMO . FORO . CORNELII

ARCHIDIACONVS . COLLEGII . PATRII . CANONICORVM

DOCTOR . THEOLOGVS

ALVMNIS . ECCLESIAE . INSTITVENDIS

HVNC . PRIMVM . DE . RE . THEOLOGICA . LIBRVM

VIRIS . HVMANISSIMIS . ATQVE . OPTIMIS

REVERENTER . INSCRIBIT

IPSORVM . BENEVOLENTIAE . ET . BENEFICIORVM

APPRIME . MEMOR

INDEX RERUM

PRAEFATIO . . . . . *pag.* XI

PROLEGOMENA IN THEOLOGIAM.

CAPUT I.

DE THEOLOGIAE NOTIONE ET DIVISIONE.

§ I. — Theologiae notio . . . . . *pag.* 1
§ II. — De variis Theologiae divisionibus . . . . . » 7

CAPUT II.

DE THEOLOGIAE DIGNITATE . . . . . *pag.* 13

CAPUT III.

DE THEOLOGIAE SPECULATIVAE SYSTEMATE . . . . . *pag.* 17

THEOLOGIA FUNDAMENTALIS.

DE VERA RELIGIONE.

Auctores consulendi . . . . . *pag.* 21
Prooemium . . . . . » 23

SECTIO I.

DE RELIGIONE IN GENERE.

CAPUT I.

DE RELIGIONIS NECESSITATE.

Art. I. — Religionis notio . . . . . *pag.* 25
Art. II. — Religionis necessitas . . . . . » 34
§ I. — Necessitas cultus interni . . . . . » 36
§ II. — De cultu externo et publico . . . . . » 45
SCHOLION I. — De religionis unitate . . . . . » 48
SCHOL ON II. — Errores contra religionis unitatem . . . . . » 50

CAPUT II.

De necessitate revelationis . . . . . pag. 56
Art. I. — Notio revelationis . . . . . » ibid.
§ I. — Revelationis germana notio et species . . . . . » 57
§ II. — Errores revelationem impugnantes . . . . . » 61
Art. II. — Revelationis possibilitas . . . . . » 68
Art. III. — Revelationis convenientia et utilitas . . . . . » 81
Art. IV. — Revelationis necessitas . . . . . » 87

CAPUT III.

Revelationis discernibilitas . . . . . pag. 99
Art. I. — De notis Revelationis in genere . . . . . » 100
§ I. — De criteriis internis positivis . . . . . » 105
§ II. — De criteriis internis negativis . . . . . » 109
Art. II. — De miraculis . . . . . » 110
§ I. — Notio miraculi . . . . . » 112
§ II. — Miraculorum possibilitas . . . . . » 129
§ III. — Miraculorum cognoscibilitas . . . . . » 156
§ VI. — Miraculorum ad probandum efficacia . . . . . » 204
Scholion. — De prophetiis . . . . . » 206

SECTIO II.

De Religione christiana in specie.

Prooemium . . . . . pag. 223

CAPUT I.

Divinitas Religionis christianae intrinsecis argumentis probatur . . . . . pag. 227
Art. I. — Excellentia doctrinae christianae in se consideratae . . . . . » 228
Art. II. — Excellentia doctrinae christianae in suis effectibus » 244
Art. III. — Doctrinae christianae divina origo . . . . . » 258
Scholion. — De parabolis evangelicis . . . . . » 263

CAPUT II.

Divinitas Religionis christianae extrinsecis argumentis probatur . . . . . pag. 278
Art. I. — Vaticinia Messianica . . . . . » ibid.
§ I. — Messianicarum prophetiarum existentia . . . . . » 280
§ II. — Messianicarum prophetiarum expositio . . . . . » 289
§ III. — De implemento vaticiniorum in Christo . . . . . » 338
Art. II. — Testimonium Christi ipsius de sua legatione divina » 343
Art. III. — De miraculis Christi . . . . . » 377
§ I. — Miracula in ordine physico . . . . . » 378

§ II. — De vaticiniis Christi . . . . . *pag.* 390
§ III. — Resurrectio Christi . . . . . » 395
Scholion. — De miraculis fundatorum aliarum religionum. » 427
Art. IV. — Apostolorum legatio. . . . . » 429
§ I. — Miracula et dona supernaturalia quae praecesserunt Apostolorum praedicationem . . . . . » 430
§ II. — Testimonium quod Apostoli de Christo protulerunt » 439
§ III. — Miracula Apostolorum. . . . . » 443
Art. V. — De Judaeorum et Gentilium testimonio . . . . » 444
Art. VI. — Propagatio religionis christianae. . . . . » 440
§ I. — Propagatio et conservatio religionis christianae » 450
§ II. — Testimonium martyrum . . . . . » 467
Art. VII. — Divinitas religionis christianae probatur ex comparatione cum aliis religionibus . . . . . » 479
§ I. — De Budhismo . . . . . » 480
§ II. — De Mahumetismo . . . . . » 484
Conclusio . . . . . » 489
Index rerum alphabeticus . . . . . » 491
Index nominum alphabeticus. . . . . » 507

LECTORI BENEVOLO.

Ex quo tempore negotium mihi est datum ut adulescentes in spem Ecclesiae nostrae succrescentes Theologiam docerem, hoc unum studui ea rei unius difficillimae pollere scientia, qua auditoribus pro viribus consulerem. Itaque non ignarus nova veteribus coniungenda, neque extra fines, quos nobis constituat Ecclesia, egrediendum, neque in maius celebranda quae haud sani tradiderunt existimatores quidam huius generis THOMAM AQUINATEM secutus sum ducem omnium praestantissimum. Neque tamen, quae sunt criticis aut divinarum interpretibus Litterarum perspecta neglexi, refellens quae in certa dogmata nostra audacissime obiciunt catholici nominis adversarii. Huc maxime spectant quae primo hoc volumine continentur, quippe quibus universae Theologiae catholicae innitatur fundamentum, firmissimeque nostra defendatur Religio. Namque postquam demonstravi Religionem necessariam, eamdemque unam esse debere et veram et a Deo profectam; eorum etiam argumentis qui aut ratione nituntur, aut indifferentes sunt, aut Deum esse negant, diremptis, ad voluntatem divinam hominibus enuntiatam veni, eamque rem fieri posse, pariterque hominum rationi consentaneam

esse probavi. Ut autem arcana patefacta, sintne vera nec ne cognoscamus, intimae et extimae occurrunt rationes in quibus primas tenent miracula. Haec ideo uberius tractavi, quod maximi sunt ponderis, neque aptius aliud neque accommodatius ad Religionem defendendam confirmandamque invenias: ita fit ut de illis magis magisque ambigatur, eaque nulla omnino esse contendatur. Neque vero, quod ad miracula attinet, recentissima quaeque investigatorum naturae aut medicorum omisi, ex quibus illi efficere conantur, miracula quae vocentur, naturâ fieri, ipsaque per se existere ex quibusdam seu causis seu viribus, quae lateant adhuc vel prudentissimos.

Eam autem partem, quae est generatim de *Vera Religione* excipit altera, quae singillatim est de *Religione Christiana*, argumentis et rationibus instructa cur haec una vera sit. Huius conclusionis vis tota in eo consistit quod Christus sit proprie vereque Dei Legatus ac per excellentiam Messias appelletur. Quae quidem omnia confirmantur tum praestantiâ doctrinae in se ipsa et in iis quae sunt effecta spectatae, tum prophetiis messianicis, tum explicitis Christi verbis eiusque miraculis, quorum primum ac potissimum est Ipsiusmet resurrectio, tum denique Apostolorum ministerio, Judaeorumque et Gentium innumerabilibus testimoniis.

Huc accedit, argumentorum omnium postremum, celeritas illa qua Christiana Religio per universum orbem longe lateque propagata est. Ad haec, id quod ultimum consequitur, Religionem nostram cum ceteris, quae se iactant veras, comparare non a re alienum, quin etiam opportunum putavi.

Equidem vereor ne in multa sim delapsus vitia, rerumque novitate meus hic careat liber, quam desideret nonnemo. Sed ego tantum abest ut mihi videar

nova protulisse, profiteor etiam ex scriptis clarissimorum Theologorum sumpsisse complura, ut Petavii, ut Hurter, ut Wilmers, ut Tanquerey.

Si vita suppeditabit, alterum Theologiae volumen quo agitur de *Ecclesia Christi*, Deo volente, me editurum spero, non veritus ne, si quid imperfecti in hoc invenerit Lector, non mediocriter ferat, voluntatem nonnihili faciens meam, studiumque, quo flagro, omnes ingenii facultates in Ecclesiae commodum atque ornamentum conferendi.

Quod si forte aut erraverim aut minus recte dixerim, id omnibus persuasum volo, me invito, accidisse.

Forocornelii, die Natali D. N. J. C., a. MCMIV.

Sac. Godofredus Zaccherini.

PROLEGOMENA IN THEOLOGIAM.[1]

CAPUT I.

DE THEOLOGIAE NOTIONE ET DIVISIONE.

§ I. — Theologiae notio.

1) Theologia, vel sacra doctrina, vi nominis, etymo ducto a graeco Θεὸς (Deus) et λόγος (sermo), significat *de divinitate sermonem* sive rationem[2] (cf. S. Augustin., *De civit. Dei* lib. VIII c. 1, M. 41, 225).

2) Cum autem Angelicus Doctor affirmet theologiam esse doctrinam sacram, inquirendum nobis est, cur eam

---

[1] Cf.: S. Thom. *S. Th.* I q. I art. 1–8; Petavius, *Dogmata theologica*, Prolegom.; Becanus, *Summa theol., Disput. prooem.;* Billuart, *Summa S. Thom., diss. prooem.;* Migne, *Theol. cursus*, I, 10 sq.; Perrone, *Praelect. theol., Prolegomena;* Franzelin, *De Deo uno, proleg.;* Bonal, *Instit. theol.* I, n. 2 sq.; Hurter, *Theol. dogmat. Compend., Proleg.;* Lambrecht, *De revelat. Introd.;* Ottiger, *Theol. fundamentalis*, p. 1–34; Pesch, *Praelect. dogmat.* I. *Proleg.;* Tanquerey, *Synopsis theol. dogm.* I *Proleg.;* Didiot, *Logique surnaturelle subjective*, p. 23 sq.; ect. ect.

[2] Vox *theologia* variam, pro temporum diversitate, nacta est significationem. Apud Gentiles haec vox invenitur ad denotandam ipsorum doctrinam de diis, eorumque naturâ. (Cf. C. Appionem, l. I, c. 2; Platonem, *De republica*, lib. I) Hanc autem theologiam triplicem fuisse tradit S. Augustinus (Cf. S. Augustin., *De civit. Dei*, L. VI, c. 5,) scilicet: Theologia *fabulosa* poetarum, *naturalis* philosophorum, *civilis* sacerdotum et populi.

Apud Patres vox *theologia* adhibita fuit strictiori sensu, ut innueret eam doctrinae partem quae disserit de Deo, de ejus attributis et

sacram appellet. Notandum est quosdam posuisse distinctionem doctrinae in *sacram* et *profanam*, quae distinctio, utpote erronea, est reiicienda; vox enim *profanum* aliquando dedecus sonat et rem non laudabilem, aliquando autem privationem. Jamvero quae disciplina profana dici poterit, cum omnes, quippe quae intellectum perficiant, sint laudabiles, itemque rectae? Hac igitur distinctione seposita, dicimus omnes disciplinas dividi in *sacras* et *naturales;* nam attenditur lumen quo ipsae acquiruntur et innotescunt. Qua de re fit ut Angelicus in primo Summae Theologicae articulo ponat quaestionem: *Utrum sit necessarium, praeter physicas disciplinas, aliam doctrinam haberi.* (Cf. S. Thom., *Summ. Theol.* P. I q. I art. 1,) ubi vox *physicum*, idem sonat ac naturale. Et sedulo huic significationi inhaeremus, quia non desunt qui vocem *physicum* haud recte interpretantes,[1] vocem « *philosophicas* » substituentes quaesierunt: *Utrum sit necessarium praeter philosophicas disciplinas, aliam doctrinam haberi.*[2]

Quis enim ignorat omnes disciplinas, ne theologiâ sacrâ quidem exclusâ, posse philosophicas appellari?

---

de divinis perfectionibus. (Cf. S. Basilium, Epist. 141; S. Cyrillum Alex., *Lib. I in Joann.;* S. Gregorium Nazianz., *Orat.* 38; Maximum, *Lib. de oratione dominica;* ect. ect.) Pariter Patres sub voce *theologia* comprehenderunt doctrinam de divinâ Christi naturâ, cum e contra sermonem de humanâ Christi naturâ *occonomiam* οἰκονομίας appellarunt.

Post saeculum XII theologiae nomen adhibitum fuit ad indicandam doctrinam sacram vel quatenus de Deo ejusque attributis agit; vel quatenus omnia, quae in Theologia tractantur, ad Deum reducuntur, ut ecce tractationes *de mundo, de homine, de angelis,* ect. ect.

[1] Quando scientiam aliquam appellamus physicam, primario intelligimus hanc scientiam naturalem esse, et naturali lumine acquiri; secundario vero et strictiori sensu vocem physicum adhibemus ad indicandam eam partem philosophiae naturalis quae de telluris viribus agit.

[2] Fere in omnibus *Summae Theologicae* editionibus occurrit haec substitutio, quae aliquando in corpore articuli per errorem omittitur. Dolendum est quod idem error occurrat etiam in critica câque absolutissima editione, quae nuperrime curâ PP. Dominicianorum in lucem prodiit. Doctissimi tamen PP. nunquam negligunt ponere vocem « *physicas* » inter uncinos, ad indicandam lectionis variationem.

3) Hisce incidenter animadversis, theologiam dicimus esse *sacram*, non ut ceteras disciplinas veluti *profanas* designemus, sed tum ut eam a ceteris omnibus disciplinis distinguamus, (neque exclusâ theologiâ naturali, quae in philosophica facultate traditur,) tum potissimum ut innuamus theologiam lumini supernaturalis revelationis inniti, sine qua humana ratio, sublimissima quae in hac disciplina traduntur mysteria, non tantum assequi, sed neque cogitare potuisset. Reliquae vero disciplinae dicuntur naturales, quia non excedunt capacitatem intellectus creati, et a rationis lumine, tanquam a praecipuo fonte, procedunt.

4) Ut autem theologiae naturam penitius dignoscamus, de ejusdem *subiecto* et *obiecto* est inquirendum; ex subiecto enim aliqualiter cognoscitur, ex obiecto autem formali omnimode definitur.

α) Subiectum Theologiae. — Subiectum Theologiae Deum esse constat, quia, ut ait S. Thomas. (Cf. *S. Th.*, art. VIII): « *Illud est subiectum scientiae, de quo est sermo in scientiâ.... Omnia autem pertractantur in sacrâ doctrinâ sub ratione Dei; vel quia sunt ipse Deus; vel quia habent ordinem ad Deum, ut ad principium et finem.*

Exinde infertur non esse subiectum absolutum theologiae neque Christum, neque Ecclesiam, neque quidquam aliud, sed Deum tantum; Christus enim, Ecclesia ect. secundum quid sunt theologiae subiectum.

Non est Christus subiectum absolutum, quia, ut ait Apostolus (*I Cor.* III, 22): *omnia enim vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei;* de Christo enim theologia agit, quatenus ipse habet ordinem ad Deum. Eâdem de causâ excludimus Ecclesiam esse subiectum absolutum theologiae, quamvis etiam de Ecclesia sermo fiat in theologiâ. Remanet ergo ut Deus, sit subiectum theologiae; non quidem subiectum inhaesionis, sed attributionis, quatenus omnia, quae in theologiâ tractantur, quodammodo Deo attribuuntur. (Cf. Kleutgen, *Theol. der Vorz.* I n. 152 sqq.; V, n. 297 sqq.; Tanner, *Theol. Scolast.* I, disp. I, q. 3, d. 1).

Ne autem confusio suboriatur, adnotandum est *subiectum* theologiae ab aliis vocari *obiectum materiale*, vel etiam *obiectum formale quod*: sed lis est de nomine solum, quia re non discrepant theologi.

3) Obiectum Theologiae. — *Obiectum* cujuslibet scientiae est *id omne quod in illa scientia attingitur*: idest, omne id circa quod occupantur potentia, et actus. Proinde duplex est obiectum, *materiale* inquam, seu id quod cognoscitur et de quo scientia agit (quod, uti monuimus, etiam *subiectum* vocatur): et obiectum *formale*, scilicet ratio vel modus sub quo materiale obiectum attingitur: hic tamen modus cognoscibilitatis debet esse proprius ipsius disciplinae. Hinc obiectum formale definimus: *Communis ratio, sub qua obiectum est cognoscibile in quadam scientia.* Ita ex gratiâ: corpora sunt obiectum materiale visus, physicae, et matheseos, sed diversus est modus quo et a visu, et a physica, et a mathesi considerantur. Corpora enim sunt obiectum visus quatenus sunt colorata, unde *ratio colorati* est obiectum formale visus. Ita physica considerat in corporibus proprietates materiae, qua corpora constant, unde qualitas et *proprietas* corporum est obiectum formale physicae. Denique mathesis considerat in corporibus quantitatem et figuram, praecisione factâ a materia, proinde *quantitas* separata a materia, est obiectum formale matheseos. Quare cum obiectum formale philosophiae sit verum demonstrabile ex principiis rationalibus vel naturalibus; consequenter obiectum formale sacrae Theologiae, *est verum demonstrabile ex revelatione divina.*

Hinc patet theologiam supernaturalem per obiectum formale discriminari a theologia naturali: ait enim Angelicus quod « *diversa ratio cognoscibilis, diversitatem scientiarum inducit.... Unde nihil prohibet de eisdem, de quibus philosophicae disciplinae tractant, secundum quod sunt cognoscibilia lumine naturalis rationis, etiam aliam scientiam tractare, secundum quod cognoscuntur lumine divinae revelationis. Unde theologia, quae ad sacram doctrinam pertinet, differt secundum genus ab illâ theologiâ, quae pars philosophiae ponitur.* » (Cf. S. Thom., S. T. q. I. a. I ad 2.^um^).

5) Vidimus hucusque quodnam sit sacrae theologiae subiectum, et quodnam obiectum formale. Jamvero haec duo elementa, cum sint genus proximum et differentia ultima, sufficiunt ut cognoscamus theologiae quidditatem. Est igitur theologia: *Doctrina quae ex propositionibus fidei immediate revelatis tum circa Deum, tum circa rem quamlibet a Deo revelatam, conclusiones discurrendo colligit, quibus fides gignitur, nutritur, defenditur, ac roboratur.* (Cf. TOURNELY, *Praelectiones Theolog.*, tom. I p. 2) Brevius Theologia potest cum PESCH definiri: *Scientia eorum quae de Deo ex revelatione sunt demonstrabilia.* (Cf. PESCH, *Praelect. dogm.*, tom. I p. 3).

In hac definitione affirmamus: 1° Theologiam esse *scientiam*, idque ostendimus ex modo quo ipsa circa subiectum versatur; quia *procedit ex principiis notis lumine superioris scientiae*, (Cf. *S. Theo.* p. I q. I a. 2) scilicet per revelationem. Et sane quaevis disciplina est scientia quae ex principiis conclusiones deducit; scientia enim in conclusionibus, non vero in principiis consistit, quae jam nota supponuntur, nec debent demonstrari. Jamvero, ait S. Thomas, scientia potest esse duplicis generis, α) vel enim procedit ex principiis notis lumine scientiae ipsius, uti est de arithmetica, β) vel procedit ex principiis notis lumine superioris scientiae, sicut ex. gr. musica procedit ex principiis notis per arithmeticam. Scientiae prioris generis subalternantes, alterius generis subalternae appellantur. Theologia, uti patet, est scientia subalterna, quia procedit ex lumine superioris scientiae, quae nempe est scientia Dei et Beatorum. Unde sicut musica retinet principia sibi tradita ab arithmetica, ita theologia retinet principia a Deo revelata. 2° Asserimus Deum esse hujus scientiae subiectum tum directum, tum reductive et attributionis. 3° Obiectum formale, seu ratio sub qua subiectum hujus scientiae est demonstrabile, est divina revelatio; hinc 4° concludimus theologiam esse unam scientiam. Et sane, monente Angelico Doctore, « *est unitas potentiae et habitus consideranda secundum obiectum formale.... Jamvero sacra theologia considerat omnia quaecumque sunt*

divinitus revelabilia, quae proinde communicant in una ratione formali obiecti hujus scientiae, et ideo comprehenduntur sub una scientia. » (Cf. S. Th. P. I q. I, a. 3.) Cum ergo unum sit obiectum formale sacrae theologiae, et cum habitus, nonnisi per obiecta formalia, diversificentur, constat theologiam esse unam scientiam.

Posset quis negare theologiam esse unam scientiam, quia deest unitas subiecti, creator enim et creatura de quibus in sacra doctrina tractatur, non continentur sub uno genere subiecti; at impugnantibus nostram conclusionem respondet divus Thomas, quod *sacra doctrina non determinat de Deo et de creaturis ex aequo, sed de Deo principaliter, et de creaturis secundum quod referuntur ad Deum, ut ad principium vel finem. Unde unitas scientiae non impeditur.* (Cf. S. T. loc. cit. ad 1[m]).

6) Insuper notetur quod theologia, quamvis intime connexa sit cum fide divina, tamen ab ea distinguitur tum materiâ, tum formâ, tum denique certitudine.

1°) Distinguitur materiâ; fidei enim materia est veritas formaliter revelata; e contra theologia complectitur etiam eas omnes veritates, quae vel continentur virtualiter in revelatione, vel ex ipsa deducuntur.

2°) Distinguitur formâ, nam fides assentit propter auctoritatem Dei revelantis; theologia assentit per scientificam demonstrationem; quare fides et theologia ita formâ differunt, ut inter se differunt verba *credere* et *intelligere,* et se se habent ad invicem uti *causa et effectus,* ita ut invaluerit adagium: « Credo, ut intelligam. »

3°) Distinguitur certitudine, quia fides neque *dubium* neque *discussionem* admittendo veritates proponit omnimodâ eâque infallibili certitudine; e contrario theologia discussionem admittit.

Ad rem scribit S. Augustinus: « *Qua scientiâ* (theologiae) *non pollent fideles plurimi, quamvis polleant ipsa fide plurimum. Aliud est enim scire tantummodo, quid homo credere debeat propter adipiscendam vitam beatam, quae nonnisi aeterna est; aliud autem scire, quemadmodum hoc ipsum et piis opituletur et contra impios defendatur, quam proprio*

appellare vocabulo scientiam videtur Apostolus. » (1 Cor. XII, 8) (Cf. S. Aug., *De Trin.* l. 14 C. 1 n. 3; M. 42, 1037).

§ II. — De variis theologiae divisionibus.

7) Variae in medium prolatae sunt theologiae divisiones, sed ne distinctionum et subdistinctionum inutiliter molem congeramus, contenti erimus praecipuas innuere, quae sponte fluunt tum ex *materia* quam theologia considerat, tum ex *fine* quem sibi proponit, tum ex *methodo* quo ipsa obiectum attingit.

8) Ex *materiâ* theologia (loquimur hic de theologiâ supernaturali) dividitur in *speculativam* et *practicam,* quarum *prima* in subiecti contemplatione unice quiescit, veritates enim theoretice considerat, qua veritates sunt, ut ecce consideratio de Deo, de ejus attributis, de Sanctissima Trinitate, de mysterio Incarnationis ect. ect.; Aliis verbis scientia speculativa ea est cujus finis *non est nisi scire;* et merito ponuntur verba « *non est nisi scire* » quia quaelibet scientia, ac proinde etiam *practica,* ad cognitionem quidem ordinatur; sed *speculativa* ad cognitionem exclusive refertur. Practica vero eatenus considerat veritates, quatenus per eas ordinantur hominum actiones ad perfectam Dei fruitionem; hinc obiectum proprium theologiae practicae est *operari,* scilicet est scientia, quae habet pro obiecto scire, quod ad operationem terminatur.

9) Quidam ex *materia* dividunt theologiam in *dogmaticam* et *moralem;* sed haec divisio, quamvis tandem aliquando reducatur ad divisionem superius traditam, nihilominus non est recta, quia etiam theologia *moralis* vel *practica,* est *dogmatica,* eâdem enim ratione formaliter subiectum attingit, idest per revelationem. Unde merito scribit S. Thomas: « *licet in scientiis philosophicis alia sit speculativa et alia practica, sacra tamen doctrina comprehendit sub se utrumque, sicut et Deus eâdem scientiâ se cognoscit, et ea quae facit.* » (Cf. Sum. Theol. P. I, q. I

art. IV.) Ita nos eâdem ratione, idest mediante revelatione, cognoscimus non solum sublimissima mysteria quae ad Deum referuntur, verum etiam quid a nobis sit praestandum, quid omittendum, ut coelestem consequamur beatitatem; revelatio enim nobis suadet ut a malo declinemus et bonum faciamus. Theologia ergo recte dividitur in speculativam vel theoreticam, et in practicam vel moralem; non vero in dogmaticam et moralem; quia theologia dogmatica se habet ad speculativam et practicam, uti theologia supernaturalis se habet ad eandem divisionem; nam vox *dogmatica* indicat genus sub quo species illae recensitae continentur. Ceterum haec distinctio est contra regulas elementares logicae, quia pars confunditur cum toto, terminus enim « *dogmatica* » eandem habet extensionem ac totum quod dividitur, scilicet *sacra doctrina;* nec membra se invicem excludunt, sicut recta exigit divisio. [1]

10) Ex dictis insuper patet quam inepta sit opinio illorum qui nonnisi practicam affirmant esse theologiam; etenim quamvis verum sit theologiam ordinari ad hominum operationes, tamen primario et principalius est de Deo et de rebus divinis, quam de actibus humanis. [2] Neque dicatur theologiam esse tantum practicam, quia, cum omnis cognitio sit operatio, etiam theologiae speculativae obiectum est operari; notandum enim est nomine operationis, ad scientiam practicam quod attinet, intelligi operationem potentiae *executivae,* non autem operationem po-

---

[1] Cf. Michaelem De-Maria S. I. Philosophia peripatetico-scholastica, tom. I p. 70.

[2] Hanc opinionem quidam theologi mutuati sunt a Socinianis, qui exclusive practicam esse theologiam dictitarunt. De erroribus sectae Socinianae, quae saeculo XVI excitata est auctoribus Laelio Socino (n. 1525 ✣ 1562) et Fausto Socino (n. 1539 ✣ 1604) fuse pertractant Theologiae et Historiae Scriptores; praesertim Sandius in *Bibliotheca Antitrinitariorum;* Laurentius Moshemius in *Institutionibus historiae Christianae, Saec.* XVI, sect. 3 part. 2, cap. 4; A. Moehlerius in opere *La Symbolique,* tom. II pag. 5; Prudentius Maranus in opere cui titulus: *Divinitas Domini Nostri Iesu Christi manifesta in Scripturis et Traditione;* etc. etc.

tentiae *intellectivae*. Insuper, posita hac distinctione, hoc non efficimus ut sacra doctrina, veluti scientiarum congeries quaedam, partim sit practica et partim speculativa; sed eam in superiori gradu collocamus, qui et speculativum et practicum complectitur; quod S. Doctor exprimit his verbis: « *Sacra doctrina una existens se extendit ad ea, quae pertinent ad diversas scientias philosophicas propter rationem formalem, quam in diversis attendit.* » (Cf. Sum. Theol. I q. I art. 4.)

11) *Ex fine* theologia speculativa dividitur in *pacificam* seu *disceptatricem* et in *polemicam;* illa veritates colligit, recto ordine disponit, clare explicat, idoneisque comprobat argumentis; [1] polemica in erroribus religioni oppositis detegendis et refellendis omnino occupatur.

12) Ex methodo tractandi theologia dividitur in *positivam* et *Scolasticam.* [2] « *Positiva theologia,* scribit Gregorius de Valentia, (in Sum. I, disp. I, q. 1, punct. 1.) *dicitur, quatenus occupatur potissimum in explicando ipso Scripturae sacrae sensu, ad eumque eliciendum, tum aliis adminiculis, tum praecipue auctoritate SS. Patrum utitur. Quo ipso quasi principia firma aliarum conclusionum theologicarum ponit, et ideo positiva videtur dicta, quia scilicet ponit atque statuit ex Scriptura principia theologiae firma. Scolastica vero theologia vocatur, ut explicat et confirmat ac defendit uberius et accuratius fidei sententiam, subtiliter iis etiam rebus animadversis, quae vel ex fide consequentes sunt vel fidei repugnant, et quarum perspicientia velut clarissimum quoddam lumen juvat, ut tenebrae, quas haeretici*

---

[1] Ceterum etiam theologia pacifica aliquando errores veritati catholicae oppositos refellit.

[2] Nonnullis haec distinctio non arridet, dicunt enim *theologiam* natura sua esse positivam, habita ratione principiorum quae per fidem admittuntur, et etiam scholasticam esse *positivam*. Huic distinctioni pariter logicae regulae officiunt; neque hanc divisionem ultro et nos admitteremus, nisi mos apud Theologos eam ponendi invaluisset. Quare cum nostra aetate haec subinducatur distinctio, ipsam amplectimur, debitis tamen cautelis, quibus, ne logicae contraveniamus prohibemur.

suis fallacibus argumentis veritati fidei nituntur offundere facillime dispici atque dispelli possint. »

Brevius theologia positiva articulos fidei e fontibus revelationis desumens, vere revelatos esse ostendit, aliis verbis ostendit dogmatum existentiam et veritatem; scholastica [1] autem veritatum revelatarum naturam et causas, nexus et consequentias inquirit; idest supposita dogmatum existentia, demonstrat *quomodo* ipsa vera sint. « *Haec doctrina* (scilicet Theologia Scholastica) ait S. Thomas, (S. Th. I q. I art. 8) *non argumentatur ad sua principia probanda, quae sunt articuli fidei; sed ex eis procedit ad aliquid ostendendum.* Et alibi idem Sanctus Doctor: « *Quaedam,* inquit, *disputatio est magistralis in scholis ad instruendum auditores, ut inducantur ad* INTELLECTUM *veritatis, quam intendit* (magister), *et tunc* (scilicet in hac disputatione) *oportet rationibus inniti investigantibus veritatis radicem et facientibus scire, quomodo sit verum, quod dicitur. Alioquin si nudis auctoritatibus magister quaestionem determinet, certificabitur quidem auditor,* QUOD *ita est, sed nihil scientiae vel intellectus acquiret, sed vacuus abscedet.* » (Cf. S. THOM., *Quodlib.* IV art. 18.)

13) Quanti facienda sit theologia scholastica nemo est qui ambigat, praesertim si illud prae oculis habeatur neminem posse tuto ad theologiam positivam accedere absque solidâ institutione in theologiâ scholasticâ. Verum non negamus quosdam [2] theologiam scholasticam calumniatos

---

[1] Theologia scholasticae nomen nacta est saeculo circiter XII ex facto quod adolescentuli in spem Ecclesiae succrescentes in *scholâ,* quae monasteriis vel presbyteriis adnexa erat, instruebantur; hinc eorum magistri *scholastici* sunt vocati. Item Schelastici dicti sunt eximii viri doctrinâ praestantes. Ad rem scribit KLEUTGEN: « *Cum a saeculo duodecimo nonnulli viri, praeeunte Petro Lombardo, episcopo parisiensi, universas theologiae institutiones in unum doctrinae corpus redegissent, qui has publice profitebantur, honoris causa scholastici vocabantur. Itaque principio scholastica theologia idem significabat, quod theologia erudita, ut quam nemo assequi posset, nisi qui magistro duce in scholis didicisset.* » (Cf. KLEUTGEN De Deo ipso, n. 41; HURTER: *Nomenclator literarius* Tom. IV pag. 66 sqq.)

[2] Ex detractoribus Theologiae Scholasticae primas refert clarissimus BERGIER, in opere quod inscribitur: *Dizionario Teologico,* ad vocem: *Teologia.*

esse; sed quam ineptae sint ipsorum accusationes ostendunt verba quae a Sixti V bulla « *Triumphantis* » (ann. 1588) mutuatus et Summus Pontifex Leo XIII in epistolâ encyclica « *Aeterni Patris;* » [1] et elogium quod in eâdem epistolâ divo Thomae, Theologiae scholasticae parenti, merito tribuitur ex variis Romanorum Pontificum scriptis depromptum. [2] « *Non est,* iniquit Toletus, *Theologia schola-*

---

[1] Cf. *Epist. Encycl.* « AETERNI PATRIS (ann. 1879) ubi haec habentur de Teologia scholastica: « *Quae autem scholasticae disciplinae sit origo, indoles et excellentia, juvat hic, Venerabiles Fratres, verbis sapientissimi viri, Praedecessoris Nostri, Sixti V. fusius aperire:* « Divino illius munere, « qui solus dat spiritum scientiae et sapientiae et intellectus, quique « Ecclesiam suam per saeculorum aetates, prout opus est, novis be- « neficiis auget, novis praesidiis instruit, inventa est a majoribus no- « stris sapientissimis viris, Theologia scholastica, quam duo potissimum « gloriosi doctores, angelicus S. Thomas et seraphicus S. Bonaventura, « clarissimi hujus facultatis professores.... excellenti ingenio, assiduo « studio, magnis laboribus et vigiliis excoluerunt atque ornarunt, « eamque optime dispositam, multisque modis praeclare explicatam « posteris tradiderunt. Et hujus quidem tam salutaris scientiae co- « gnitio et exercitatio, quae ab uberrimis divinarum Litterarum, sum- « morum Pontificum, sanctorum Patrum et Conciliorum fontibus dimanat, « semper certe maximum Ecclesiae adjumentum afferre potuit, sive ad « scripturas ipsas vere et sane intelligendas et interpretandas, sive ad « Patres securius et utilius perlegendos et explicandos, sive ad varios « errores et haereses detegendas et refellendas: his vero novissimis « diebus, quibus jam advenerunt tempora illa pericolosa ab Apostolo « descripta, et homines blasphemi, superbi, seductores proficiunt in « peius, errantes et alios in errorem mittentes, sane catholicae fidei « dogmatibus confirmandis et haeresibus confutandis pernecessaria est. » *(Bulla Triumphantis.)*

[2] Cf. *Encyclicam cit.: « Sed, quod pluris est, Romani Pontifices Praedecessores Nostri sapientiam Thomae Aquinatis singularibus laudum praeconiis, et testimoniis amplissimis prosecuti sunt. Nam Clemens VI. (Bulla* IN ORDINE*), Nicolaus V. (Breve ad FF. Ord. Praedic.* 1451*), Benedictus XIII. (Bulla* PRETIOSUS*), aliique testantur, admirabili ejus doctrinâ universam Ecclesiam illustrari; S. Pius V. (Bulla* MIRABILIS*) vero fatetur eâdem doctrinâ haereses confusas et convictas dissipari orbemque universum a pestiferis quotidie liberari erroribus; alii cum Clemente XII (Bulla* VERBO DEI*), uberrima bona ab ejus scriptis in Ecclesiam universam dimanasse, Ipsumque eodem honore colendum esse affirmant, qui summis Ecclesiae doctoribus, Gregorio, Ambrosio, Augustino et Hieronymo defertur; alii tandem*

stica de medio tollenda.... immo multum amplectenda, utpote, quae obscura et difficilia sunt, aperiens; quae sparsa, ad methodum discendi redigens, et quod maximum, est, ab haereticorum sophismatis ineptis liberans; quod fuit causa, ut ipsis summo esset odio, nostro praesertim tempore. Sed, ut dici solet, pecuarii canes non possunt lupis non esse invisi. Nobis tamen multa in ea navanda est opera, cum experiamur in illis partibus, ubi primum ista expelli coepit, plurimum haereses pullulasse, immo ad summum pervenisse, quod summo argumento nobis esse debet huic totis viribus incumbendi. » (Cf. TOLETUS, In Summ. prooemium p. 4 sq.)

14) Ceterum theologiae scholasticae ita est studendum ut omnino non negligatur theologia positiva, altera enim ab alterâ separari nequit, quamvis in scholis theologicis primas partes semper obtinere debeat theologia scholastica. Nam legenti scholasticorum veterum opera, facile patebit theologiam positivam ab ipsis munquam posthabitam fuisse; ibi enim occurrunt et S. Scripturae, et SS. Patrum et Theologorum testimonia.

15) Quod si aliquando theologia positiva neglecta videatur, hoc vitium est quorundam, licet paucissimorum, Scholasticorum, qui saeculo XV et XVI floruerunt, de quibus *Canus* affirmat: « *Intelligo fuisse in scholâ quosdam*

S. Thomam proponere non dubitarunt Academiis et magnis Lycaeis exemplar et magistrum, quem tuto pede sequerentur. Qua in re memoratu dignissima videntur B. Urbani V. verba ad Academiam Tolosanam: VOLUMUS ET TENORE PRAESENTIUM VOBIS INIUNGIMUS, UT B. THOMAE DOCTRINAM TANQUAM VERIDICAM ET CATHOLICAM SECTEMINI, EAMDEMQUE STUDEATIS TOTIS VIRIBUS AMPLIARE. (Const. 5 data die 3 Aug. 1368 ad Cancell. univ. Tolos.) *Urbani autem exemplum Innocentius XII* (Litt. in forma Brevis, die 6 Februari 1694), *in Lovaniensi studiorum Universitate, et Benedictus XIV* (Litt. in forma Brevis, die 21 Aug. 1752), *in Collegio Dionysiano Granatensium renovarunt. His vero Pontificum maximorum de Thomâ Aquinate judiciis, veluti cumulus, Innocentii VI testimonium accedat:* HUJUS (Thomae) DOCTRINA PRAE CETERIS, EXCEPTÀ CANONICA, HABET PROPRIETATEM VERBORUM, MODUM DICENDORUM, VERITATEM SENTENTIARUM, ITA UT NUMQUAM QUI EAM TENUERINT, INVENIANTUR A VERITATIS TRAMITE DEVIASSE; ET QUI EAM IMPUGNAVERIT, SEMPER FUERIT, DE VERITATE SUSPECTUS » *(Sermo de S. Thoma.)*

theologos adscriptitios, qui universas quaestiones theologicas frivolis argumentis absolverint et vanis invalidisque ratiunculis magnum pondus rebus gravissimis detrahentes, ediderint in theologiam commentaria vix digna lucubratione aniculârum. Et cum in his sacrorum bibliorum testimonia rarissima sint, conciliorum mentio nulla, nihil ex antiquis sanctis oleant, nihil ne ex gravi philosophiâ quidem, sed fere e puerilibus disciplinis, scholastici tamen, si superis placet, theologi vocantur. Nec scholastici sunt, nedum theologi, qui sophismatum faeces in scholam inferentes et ad risum viros doctos incitant et delicatiores ad contemptum. » (Cf. Cano, De loc. theol. Lib. VIII, cap. 7; lib. IX, cap. 1) « *At numquid,* recte observat Pesch, *disciplina ulla ex vitiis pensanda est, in quae ejus depravatores inciderunt, et non potius ex virtutibus, quae in optimorum cultorum ejus operibus relucent?* » (Cf. Pesch, *Praelect. dogmat.* Tom. I, p. 25).

CAPUT II.

DE THEOLOGIAE DIGNITATE.

16) Theologiam supernaturalem utilem, itemque necessariam esse ultro ab omnibus conceditur; seponimus proinde hanc quaestionem.[1] Pariter seponenda esset quaestio de *theologiae dignitate*, apud omnes enim in confesso est theologiam supernaturalem tantum antecellere reliquas scientias naturales, quantum ordo supernaturalis naturalem superat ordinem. Pauca tamen circa hanc quaestionem delibantes, dicimus theologiam, attentis *origine, subiecto et fine* reliquas scientas dignitate praestare. Et sane:

a) *origine* theologia ceteras scientias antecellit, quia a *Deo* est, fundamentum enim theologiae est divina re-

[1] Potest circa hanc quaestionem consuli Tournely loc. cit. p. 4 sqq.

velatio unde hauriuntur principia quae majorem praeseferunt certitudinem, nam, ait S. Thomas, « *aliae scientiae, certitudinem habent ex naturali lumine rationis humanae, quae potest errare; haec autem* (scil. theologia supernaturalis) *certitudinem habet ex lumine divinae scientiae, quae decipi non potest.* » (Cf. S. Thomam, *S. Th.* q. I art. I.)

b) Ex Subiecto. Reapse theologiae subiectum est Deus, quem, ispsa non naturali sed supernaturali lumine considerans, intimo eoque, quantum fieri potest, perfectissimo modo cognoscit. Proinde « *ista scientia est principaliter de his, quae sua altitudine rationem transcendunt; aliae vero scientiae considerant ea tantum, quae rationi subduntur* » (Cf. S. Thom. loc. cit.)

c) Ex fine. — Finis theologiae est Deus ad quem ita homo tendere debet, ut reliqui fines, quos sibi assequendos proponit, huic universalissimo et omnium excellentissimo fini subdantur.

17) Merito proinde Angelicus doctor concludit theologiam vocari posse sapientiam.[1] Ipse asserit theologiam esse maxime sapientiam inter omnes alias sapientias humanas, non quidem in aliquo genere tantum, sed simpliciter. Hoc probat ex iis quae sapientiae tribuuntur. Cum enim sapientis sit ordinare et judicare, judicium vero habeatur per altiorem causam de inferioribus, ille dicitur in *aliquo genere* sapiens, qui causam altissimam illius generis

---

[1] *Haec doctrina, maxime sapientia est inter omnes sapientias humanas, non quidem in aliquo genere tantum, sed simpliciter Cum enim sapientis sit ordinare et judicare, judicium autem per altiorem causam de inferioribus habeatur, ille sapiens dicitur in unoquoque genere, qui considerat causam altissimam illius generis.... et rursus in genere totius humanae vitae prudens sapiens dicitur, in quantum ordinat humanos actus ad debitum finem.... ille igitur, qui considerat simpliciter altissimam causam totius universi, quae Deus est, maxime sapiens dicitur; unde et sapientia dicitur esse divinorum cognitio. Sacra autem doctrina propriissime determinat de Deo, secundum quod est altissima causa, quia non solum quantum ad illud, quod est per creaturas cognoscibile, sed etiam quantum ad id, quod notum est sibi soli de se ipso et aliis per revelationem communicatum. Unde sacra doctrina maxime dicitur sapientia.* (Cf. S. Th. p. I q. I, art. 6).

considerat. Ita exempli gratia, in genere aedificii artifex qui disponit formam domus, vocatur sapiens, et architector respectu inferiorum artificum qui parant lapides aut dolant ligna; unde dicitur (I Cor. 3) « Ut sapiens architector fundamentum posui. » Tribuitur nempe sapientiae nomen architecturae, quia in aedificio concurrunt quidem plures disciplinae, sed principem locum tenet architectura quae omnes alias inferiores dirigit. Haec vero est sapientia tantum *secundum quid;* illa autem tantum disciplina dicitur sapientia simpliciter, quae absolute dirigit et ordinat omnes disciplinas quae ad quodlibet genus spectant. Hanc laudem sibi vindicat *methaphisica* in scientiis naturalibus, sed accedente theologiâ supernaturali, metaphisica item dicitur sapientia, sed *secundum quid*, quippe quae ordinet et judicet solum scientias humanas. Theologia e contra dicitur *simpliciter* sapientia quia propriissime agit de Deo secundum quod est altissima causa.

18) Quare, ut ad sublimissima mysteria perscrutanda assurgamus, iis debemus animi dotibus exornari quae virum rectum et vere prudentem efficiunt; « *eam siquidem*, ait Summus Pontifex Leo XIII in epistolâ superius memoratâ, *cognitionem et intelligentiam plenius et facilius certe illi consequuntur, qui cum* INTEGRITATE VITAE FIDEIQUE STUDIO *ingenium conjungunt philosophicis disciplinis expolitum.* » Petavius vero indignum nomine theologi eum monet censendum qui vitae integritate non praestat: « *Germanum, inquit, eoque dignum nomine theologum non scientem dumtaxat, et doctorem oportet esse divinarum rerum, sed divinorum etiam operum actorem: hoc est probum, ac sanctum, et fide charitateque praestantem. Etenim si rethoricae magister ille*, (Cf. QUINTILIANUM, lib. I c. 1.) *oratorem, quem instituit, perfectum posse esse negat, nisi sit vir bonus :* IDEOQUE NON DISCENDI MODO EXIMIAM IN EO FACULTATEM, SED OMNES ANIMI VIRTUTES EXIGIT: *quanto id minus concedendum est Christiano, veroque Theologo, ut hoc ipsum, quod voce profitetur, re esse, sine animi virtute, et*

honestatis studio esse possit.[1] (Cf. PETAVIUM, *In opus theologicorum dogmatum prolegomena*, cap. IX n. 4.)

[1] Multa afferri possent S. Patrum loca, quibus enixe theologiae operam dantibus animi puritas suadetur; nos tamen contenti erimus hic praecipua indicare. S. Gregorius Nazianzenus in oratione 33ª adversus Eunomianos haec habet. « *Non omnium est de Deo disputare, sed eorum dumtaxat, qui esplorati sint, ac contemplando longe processerunt: ac prius etiam tam corpus, quam animum repurgarunt; aut, ut parcissime loquar, purgare jam instituunt. Impuro enim rem puram attingere, fortasse ne tutum est quidem, quemadmodum nec aegris oculis Solis radios intueri.* » Et in carmine primo Arcanorum scribit;

Sed procul
Fugite, si quis est improbus. Meus sermo vel puris,
Vel iis, qui purgantur, iste venit. Porro profani;
Tanquam ferae, Christo in monte praerupto
Splendente, ac Moysi legem in tabulis scribente;
Statim erumpentibus saxis obruantur.

« *Errat*, addit S. Augustinus, (Cf. S. AUGUST. *lib. de agone Christ.* c. 13) *quisquis veritatem se putat cognoscere, cum adhuc nequiter vivat.* » Concludimus hanc adnotationem cum verbis quae prostant apud Hurter in prolegomenis ad theologiam dogmaticam: « *Praetermissa ea dispositione, quae intellectus culturâ per sanam philosophiam continetur, plurimum ad ejus studium* (scil. theologiae) *conducunt viva fides: nam « tanto quisque facilius, inquit S. Augustinus de agone Christ. cap. 13, aliquid proficiendo cognoscit, quanto religiosius, antequam cognosceret Deo credidit; » fervens oratio, nam* SI QUIS VESTRUM INDIGET SAPIENTIA, POSTULET A DEO, QUI DAT OMNIBUS AFFLUENTER *(Jac. I, 5); humilitas, Deus enim, qui* HUMILIBUS DAT GRATIAM, *mysteria divinae suae sapientiae abscondit alta sapientibus et superbis, eaque revelat parvulis i. e. humilibus; denique puritas cordis secundum illa Christi verba:* BEATI MUNDO CORDE, QUONIAM IPSI DEUM VIDEBUNT. (Math. V. 8) *Quam cordis puri necessitatem haud ineptâ illustrant Patres analogiâ, oculis scil. corporis, qui vel parum pulvere inquinatus clare videre nequit. Neque mirum, theologia enim cum altissima mysteria speculetur, animum exigit innubem et serenum, ideoque liberum a passionum abiectarum tumultu, quas in primis cohibet atque comprimit cordis puritas.* » (Cf. HURTER, *Loc. cit. Tom. I p. 7 et sqq.*) Ad rem potest etiam conferri S. Thomas (lect. I in I ad Corint.); S. Chrysostomus (de sacerd. IV, 4, opus. XL, 223); *Scheeben*, Handbuch der Kath. Dogm., § 54 ect. ect.

CAPUT III.

DE THEOLOGIAE SPECULATIVAE SYSTEMATE.

19) Cum Deus sit Theologiae subiectum tum attributionis tum relationis, consequens est totam tractationem in duplicem partem distingui, quarum prima *de Deo ipso* agit, altera *de relatione creaturarum ad Deum.* Hinc tractatio de Deo duos complectitur tractatus, scilicet *de Deo uno*, seu de natura et attributis divinis; et de *Deo Trino*, seu de personis divinis.

Hos tractatus excipiet pars altera quae est de relatione creaturarum ad Deum, in qua consideramus Deum ad extra operantem, per quem facta sunt omnia; sermo proinde fiet *de creatione in genere*, *de angelis, de mundo,* et *de homine* tum in statu naturae innocentis, tum in statu naturae lapsae. Considerabimus postea redemptionem a peccato originali hominibus per Verbi incarnationem allatam, quare loquemur *de Deo Redemptore*, et *de Deo Sanctificatore.* Haec autem sanctificatio proxime et formaliter habetur per infusionem gratiae et virtutum, hinc tractatus *de gratia et de merito,* et *de virtutibus* infusis; [1] sanctificatio vero mediate habetur per sacramenta, unde agendum erit *de sacramentis in genere* et *de sacramentis in specie.* Jamvero haec omnia sunt referenda ad Deum, veluti ad principium et finem, ad quem Jesu Christi redemptio et gratia, mediantibus tamen sacramentis, conducunt, igitur postremo loco disserendum erit *de Deo consummatore*, seu *de futurâ hominis vitâ.*

20) Huic generali Theologiae tractationi institutio quaedam propaedeutica praemitti solet, quae etiam theologia fundamentalis vel apologetica appellatur. Ideo ab hac theologia fundamentali exordiendum est, in qua enucleabimus quaestiones quae circa religionis veritatem et

[1] Hanc *de virtutibus infusis* quaestionem, ad moralistas, veluti ad sedem propriam, amandamus.

divinam ejus originem agitari solent; igitur disputatio instituenda est *de vera religione*, postea de documentis ex quibus veritas religionis eruitur, quae documenta duplicis generis sunt, cum quaedam *scripta*, quaedam vero *per traditionem* ad nos usque pervenerint; proinde tractabimus de *verbo Dei scripto* seu *de sacra scriptura*. [1]

Denique rectus ordo exigit ut agamus de concretâ religionis formâ quae habetur per Ecclesiae institutionem et constitutionem a Christo Domino factam [2] *(de ecclesia Christi)*, ubi etiam sermo fiet de *divina traditione*, quam tractationem tandem excipiet postrema de visibili capite Ecclesiae, seu *de Romano Pontefice*. [3]

---

[1] Generatim quaestiones de S. Scriptura fuse admodum pertranctantur in *Introductione* ad Sacram Scripturam, ad quam, delibatis praecipuis quaestionibus, ne de eâdem materiâ in duabus disciplinis agatur, remittimus lectorem. Possunt proinde utiliter conferri: UBALDI, Introductio in S. S.; CORNELY, Introductio ad S. S.; VIGOROUX, *Manuale Biblico; Revue biblique* curâ P. LAGRANGE O. P. edita.

[2] De Ecclesia et de religione disserentes nos nitemur S. S. testimoniis, eam adhibentes tanquam monumentum historicum, cui omnis adjungenda est fides. Hinc nobis de circulo vitioso, uti dicunt, querela moveri nequit, quia loquimur prius de veritate religionis, probantes assertum nostrum etiam per S. Scripturae testimonia; et postea agimus de Scripturae ipsius authentiâ et auctoritate. Ceterum hanc accusationem aegre feremus, cum idem valeat prius affirmare religionem christianam veram demostrari praecise per Scripturae testimonia, et deinde enucleare quaestionem de Sacrae Scripturae valore; ad eundem enim finem duplici possumus viâ pervenire, vel prius probando documentorum authentiam et deinceps veritatem ex ipsis authenticis documentis deducentes; vel vicissim.

[3] Omittimus theologiae historiam ne nimium in longum haec prolegomena producantur. Non negamus tamen maxime utilem esse, praesertim ad ostendendam scientiae theologicae evolutionem et progressum.

Obiter tantum notamus historiam theologiae in tres periodos, distingui, scilicet: 1°) Epocha Patrum, quae decurrit a primis Ecclesiae saeculis usque ad saeculum VIII juxta quosdam, vel juxta alios usque ad saeculum XII; 2°) epocha veteris theologiae scholasticae a saeculo XII ad saeculum XVI; 3°) epocha theologiae recentioris post concilium Tridentinum. Pro prima epochâ possunt utiliter consuli BARDENHEWER, *Les Pères de l'Église;* P. BATIFFOL, *La littérature grecque,* DUVAL, *La littérature syriaque;* LEJAY, *La littérature latine;* HURTER, *Nomenclator Literarius recentioris theologiae catholicae.*

THEOLOGIA FUNDAMENTALIS.

DE VERA RELIGIONE

AUCTORES CONSULENDI.

Inter PATRES: Aristides, Apologeticum; S. Justinus († 167), Apologia I pro Christianis; Dialogus cum Tryphone; Tatianus (f. a. 167), Oratio ad Græcos; Athenagoras (176), Legatio pro Christianis; Hermias (f. a. 171), Irrisio gentilium philosophorum; S. Theophilus Antioch. (180) Libri tres ad Autolycum; Clemens Alexandrinus († 217?), Cohortatio ad Gentes; Origenes († 254) Contra Celsum (gallice versum ap. *Migne*, Demonst. Evang. t. I); Tertullianus († 240?) Apologeticum; Minutius Felix (f. a. 229) Octavius; S. Cyprianus (f. a. 248), Liber de Idolorum vanitate Eusebius († 340), De præparatione et demonstratione evangelicâ, (*Migne* D. E. t. I et II); Arnobius (f. a. 305), Adversus Gentes; Lactantius († 330) Institutionum divinarum libri septem; S. Augustinus († 430), De Civitate Dei; De verâ religione; S. Isidorus Hispalensis († 636), De Fide catholicâ adversus Judæos.

Inter THEOLOGOS: Raymundus Martini († 1284), Pugio Fidei adversus Mauros et Judæos; S. Thomas Aq. († 1274), De Veritate fidei cathôlicæ contra Gentiles; Sum. Theol. II-II q. 81-100; Marsilius Ficinus († 1474), De Religione christiana opusculum; Savonarola († 1498), Triumphus Crucis, sive de veritate Fidei libri IV; L. Vivès, De Veritate fidei christianæ, Basileæ, 1543; Suarez († 1617) De Religione; Pascal († 1662), Pensées; Bossuet († 1704), Discours sur l'Histoire Universelle; Fénélon († 1715), Lettres sur la Religion; Huet († 1721) Demonstratio Evangelica, ap. *Migne*, Script. Curs., II; Gotti, O. P. († 1742), Veritas religionis christianæ; Guénée, Lettres de quelques Juifs, Paris, 1781; Bergier († 1796), Le Déisme réfuté par lui-même; Certitude des preuves du Christianisme; Traité historique et dogmatique de la Religion; Hooke († 1796), Religionis naturalis et revelatæ principia; Valsecchi, De Fundamentis Religionis; La Luzerne († 1821) Dissertations sur la Religion; Excellence de la vraie Religion; Frayssinous († 1841), Défense du Christianisme, Chateaubriand († 1848), Génie du Christianisme; H. D. Lacordaire O. P., († 1861), Conférences de N. D. de Paris; A. Nicolas († 1888) Études Philosophiques sur le Christianisme, Paris, 1847; Perrone, S. J. († 1876), Prælectiones theologicæ. de Verâ Religione; F. P. Kenrick († 1863), Theologia Dogmatica, de Revelatione divinâ; Gatti, O. P. Institutiones apologetico-polemicæ de veritate ac divinitate religionis et Ecclesiæ catholicæ; Schwetz, Theologia fundamentalis, ed. 6ª Viennæ, 1874; Brugère († 1888), De Verâ Religione; Stadler, Theologia Fundamentalis, J. B. Heinrich, Die Beweise für die Wahrheit des Christenthums, Mainz, 1885; Zigliara, O. P Propædeutica ad sacram theologiam, Romæ 1884; F. Hettinger, *Théologie Fondamentale;*

« *Apologie du Christianisme* » P. Schañz, Apologie des Christenthums 1877-89, Gutberlet. Lehrbuch der Apologetik, Münster, 1888; P. Weiss, « Apologie de Christianisme au point de vue des mœurs et de la civilisation » Paris, 1894; Monsabré, O. P. Introduction au Dogme Catholique, 1857-64; Jaugey, Dictionnaire apologétique, 1889; R. Cercià. S. J., Il Libro del perchè in fatto di Religione, 1885; H. E. Manning, Religio viatoris, London, 1887; Didiot, Logique surnat. objective, 1892; Abbé de Broglie, Histoire des Religions, 2ª ed., Paris, 1896; Religion et Critique, œuvre posthume, publiée par *C. Piat*, Paris, 1896; Mazzella, († 1900). De Religione et Ecclesiâ, Romæ, 1880; Jungmann, Tr. de Verâ Religione, 4ª ed. 1895; Lambrecht, Theologiæ fundamentalis liber primus, Gandavi, 1889; Ottiger S. J. Theologiæ fundamentalis, 1897; Hurter; Bonal; Vincent; Egger; David; Tepe; Pesch; Marchini; Crosta; Gondal, S. S. La Religion, 1893; Le Surnaturel, 1893; Provenance des Evangiles, 1898; Willmers Guill, De religione revelata libri V, Ratisbonae, 1897. Tanquerey, Synopsis theologiae fundamentalis, 1899; Reinerding, Theologia fundamentalis; Cinti, Hist. crit. Eccl. Catholicae; Semeria, Venticinque anni di storia del cristianesimo nascente; Fouard, S. Pierre et les premières années du christianisme; Vie de N. S. Jésus-Christ; Talamo, Il pensiero stoico e le origini del cristianesimo; Duchesne, Les orig. chrétiennes etc.

Inter PROTESTANTES De Verâ Religione scripserunt: Buttler († 1752), The Analogy of Religion, natural and revealed, to the constitution and cours of Nature; Paley († 1805), Evidence of Christianity; Benj Constant, La Religion considérée dans sa source, ses formes et ses développements, Paris, 1830; Mc. Ilvaine, Evidences of Christianity, Philadelphia, 1877; Fisher, Essays on the Supernatural origin of Christianity, New York, 1887; The Grounds of theistic and christian Belief, 1885; Mead, Supernatural Religion, New York, 1893, C. A. Row, Christian Evidences, London, 1888; A. B. Bruce, Apologetics, New York, 1892; F. P. G. Guizot, Méditations sur l'essence de la religion chrétienne, anglice redditum; F. Delitzch, System der Christichen Apologetic, Leips. 1869, C. E. Luthardd, Apologetische Vorträge über die Grundwhrheiten des Christenthums, 1883; über die Heilswahcheiten des Christ; über die Moral des Christ; Barnes, Evidences of Christianity in the XIX th. century, 1871; G. F. Wright, The Logic of Christian evidences, 1881; G. I. Romanes, Thonghts on Religion, 1895; A. Balfour, The foundations of Bedlief, 1895; A. Sabatier, Esquisse d'une Philosophie de la Religion, 1897; A. Harnack, Précis de l'Histoire de l'Église, 1900.

PROŒMIUM

1) Notam supponimus Dei existentiam, quare hac tractatione ad philosophos amandatâ, ostendimus homines aliquo esse vinculo Deo conjungendos, quod per religionem habetur. Jamvero quaelibet religio, homines Deo devincit, sed illa, quae vera est, fundamentum habet in veris relationibus quae Deum inter et homines intercedunt. Inquirendum igitur est quaenam sit vera religio, quae scilicet a Deo creatas, ad Deum ipsum iterum rationales reducat creaturas. Quanti facienda sit haec tractatio neminem latet, cum nostra potissimum aetate, ope praesertim Rationalistarum, fidei fundamenta impugnentur, quibus submotis, tota simul spes corruit aeternam consequendi salutem, quae, veram religionem amplectentibus, unice conceditur.

2) Duas partes complectitur hic tractatus, quarum prima agit *de religione in genere*, altera vero *de religione christiana in specie.*

Interea ut unico veluti intuitu ordo tractationis innotescat, conspectum generalem synoptice tradimus:

- **Sectio I — De religione in genere**
  - Necessitas religionis in genere
    - Notio
    - Necessitas
  - Necessitas revelationis
    - Notio et errores
    - Possibilitas
    - Convenientia
    - Necessitas
  - Ejus discernibilitas
    - per criteria interna in genere
      - positiva
      - negativa
    - per miracula in specie
      - notio
      - possibilitas
      - cognoscibilitas
      - ad probandum efficacia
- **Sectio II — De religione Christiana in specie**
  - Divina Christi missio probatur intrinsece
    - doctrinae excellentiâ
      - in se
      - in suis effectibus
  - Extrinsece
    - Vaticiniis messianicis
    - Testimonio Christi
    - Ejus miraculis
    - Apostolorum legatione
    - Judaeorum et gentilium testimonio
    - Propagatione christianismi
    - Comparatione cum aliis religionibus.

Conclusio.

SECTIO I

DE RELIGIONE IN GENERE

CAPUT I

DE RELIGIONIS NECESSITATE

ARTICULUS I

RELIGIONIS NOTIO.

3) Religio dupliciter considerari potest, scilicet *quoad nomen* et *quoad rem;* semper tamen, proprio sensu intellecta, ordinem ad Deum significat.

Dicimus *proprio sensu* intellecta, quia aliquando religio sumitur latiori sensu[1] ad denotanda omnia religionis

[1] Forcellini *in totius Latinitatis* Lexico, affert tresdecim hujus vocis acceptiones. Ipse enim ad vocem *Religio,* scribit: « 1°) *Religio,* θρήσκεια θεοσέβεια, εὐσέβεια, *metus divini* numinis, ex quo ejus cultus, reverentia et observatio sequitur, pietas, sanctitas.... Sic *formido, metus, pavor* pro religione ponuntur: Cicero (2 Invent. 22) Religionem eam, quae in metu et caeremonia Deorum est, appellat pietatem.... 2°) ....superstitionem a religione separarunt.... 3°) religio alicujus rei est ejus *sanctitas, majestas,* sacer status et venerabilis. Id 2 Inv. I, *religio fani;* Tac. Hist. 4; templorum.... 4°) Interdum ponitur pro peculiari ratione divini cultus, seu pro ritibus ipsis, quibus Deus colitur; vel pro ipsis numinibus. 5°) Interdum pro superstitione. 6°) Item pro vitae innocentiâ. 7°) item pro metu laedendi Deos, quem scrupulum etiam dicimus; quo inhibemur quippiam facere.... 8°) *Religio* est, contrario sensu, hoc est religio jubet, Diis gratum est... 9°) Religiones dicuntur ea ipsa quae talem metum afferunt; 10°) sumitur pro fide ac veracitate qua utuntur, qui Deos verentur et metuunt; 11°) Translate est minuta et scrupulosa diligentia et cura, (esattezza, delicatezza).... 12°) item justa muneris functio (puntualità)...· 13°) Item reverentia, observantia:.... »

officia quibus modo *proxime*, modo vero *mediate*, ad Deum ordinamur. *Proxime* quidem per omnium legum et praeceptorum perfectum adimplementum; hinc in Sacris litteris *viri religiosi* (ἄνδρες εὐλαβεῖς) vocati sunt, qui legem mosaicam omnimode observabant (*Act.* II, 5; X, 2); *mediate* autem per observantiam officiorum erga proximum,[1] quibus si quis contravenerit, frustra se religiosum jactabit, monente Jacobo Apostolo: *Si quis autem putat se religiosum esse, non refraenans linguam suam, sed seducens cor suum, hujus vana est religio. Religio munda, et immaculata apud Deum et Patrem, haec est: Visitare pupillos, et viduas in tribulatione eorum, et immaculatum se custodire ab hoc saeculo* (Cf. JAC., *Ep.* I, 26, 27).

4) *a*) QUOAD NOMEN. Quamvis in religione omnes hominis cum Deo vinculum cognoscunt, nihilominus non omnes conveniunt in adsignanda vocis ipsius etymologia. Quidam enim 1) cum Cicerone eam a *relegendo* derivant, quatenus proprium est hominis religiosi ea, quae ad Dei cultum pertinent, frequenter perpendere: « *Qui omnia, quae ad cultum deorum, pertinerent, diligenter retractarent et tamquam relegerent sunt dicti religiosi a relegendo* » (*De nat. deor.* II, 28). Quidam 2) cum Lactantio[2] religionem a *religando* ducunt, ut innuant quodammodo cognitionis et amoris vinculum, quo homines Deo obstrin-

---

[1] Ad rem scribit Angelicus: *Religio habet duplices actus: quosdam quidem proprios et immediatos, quos elicit, per quos homo ordinatur ad solum Deum: sicut sacrificare, adorare, et alia hujusmodi: alios autem actus habet, quos producit mediantibus virtutibus, quibus imperat, ordinans eos ad divinam reverentiam.* (Summ. Theol. 2-2 q. LXXXI art. I ad 1.[um]).

[2] Haec Lactantii etymologia magis arridet, tum quia magis consona est latinae linguae et significato, tum quia a Patribus laudatur, praesertim a S. Augustino, qui ita scribit: « *Ad unum Deum tendentes et ei uni religantes animas nostras, unde religio dicta creditur, omni superstitione careamus,* (*De vera relig.* c. 55, n. 111) et paulo inferius addit: *Religet ergo nos religio uni omnipotenti Deo* (Ibid. cap. 55). Etiam S. HYERONIMUS (*In Amos,* IX, 6) hanc approbat etymologiam, scribens: *Grege justorum, seu electorum fasciculum appellari, quia una Domini religione constrictus est: unde et ipsa religio a religando, et in fascem Domini vinciendo, nomen accepit.*

guntur: « *Hac conditione gignimur, ut generati nos Deo justa et debita obsequia praebeamus, hunc solum noverimus, hunc sequamur, hoc vinculo pietatis obstricti Deo et religati simus; unde et ipsa religio nomen accepit, non ut Cicero interpretatur a relegendo.* » (Lactantius *Divin. Inst.* l. IV, 28, *apud Migne*, Patrol. Lat, VI, 536.) Quidam denique 3) cum S. Augustino *a religendo* deducunt: « *ipse* (Deus) *fons nostrae beatitudinis, ipse omnis appetitionis est finis. Hunc eligentes vel potius religentes, amiseramus ergo negligentes, unde et religio dicta perhibetur, ad eum dilectione tendimus* » (S. Augustinus, *De Civit. Dei, X, 3 n. 2*; ap. Migne, *P. L.* XLI, 280).[1] Sed quidquid cogitare libeat de origine etymologica hujus vocis, extra controversiam positum est per hoc vocabulum semper vinculum quoddam designari, ita ut cum S. Thomâ concludere liceat: « *Sive religio dicatur a frequenti relectione, sive ex iterata electione ejus, quod negligenter amissum est, sive dicatur a religatione, religio proprie importat ordinem ad Deum. Ipse enim est, cui principaliter alligari debemus tamquam indeficienti principio, ad quem etiam nostra electio assidue dirigi debet sicut in ultimum finem; quem etiam negligentes peccando amittimus, et credendo et fidem protestando recuperare debemus (Summ. Theol.* 2-2, q. LXXXI, art. 5).

5) *b*) Quoad rem. Ex modo allatis Angelici verbis deducimus religionem, quoad rem consideratam, esse *vinculum morale homines Deo conjungens.*

Hoc autem vinculum per intellectum et voluntatem obtinetur; *intellectus* enim religionis fundamentum suppeditat, quae Dei cognitionem involvit, *voluntas* vero intellectum sequitur, approbans ejus judicium et practice hominem inclinans ut Deo debitum tribuat cultum.

6) Quare admisso hoc duplici facultatum humanarum concursu, sponte fluit religionem *obiective* et *subiective* spectandam esse.

---

[1] Quidam religionis nomen deducere voluerunt a verbo *relinquo*, quatenus per religionem omnia debeant a communi usu separari. Sed quantum haec opinio a veritate aberret, nemo est qui non videat.

a) *Obiective* quidem, quatenus in religione considerandae sunt tum relationes hominis ad Deum, tum officia quibus homines Deum colere tenentur, praecisione facta ab actuali hominis ad Deum ordinatione; hinc religio obiective sumpta, potest definiri: *Complexus veritatum quibus hominis ad Deum ordo constituitur, et officiorum quae ex illo ordine consequuntur.* [1] Dicimus esse *complexum veritatum* et quidem speculativarum et practicarum, [2] quibus homines prohibentur et errare in verâ Dei notitiâ acquirenda (en speculativa cognitio) et officia negligere, vel in superstitionem incidere eadem indebite praestantes (en cognitio practica). Addidimus insuper esse *complexum officiorum* quae ex hominis ordine ad Deum consequuntur, ut indicetur non esse Deo quaecumque officia praestanda ex hominis arbitrio, sed juxta normam quandam praestanda esse, et quatenus sunt cum ordine illo, qui a veritatum complexu exurgit, conformia.

b) *Subiective* autem est actualis hominis ad Deum ordinatio, et potest definiri: *Virtus moralis inclinans hominis voluntatem ad exhibendum cultum Deo, ob infinitam ejus excellentiam.* Aliis verbis est actualis praefatis veritatibus adhaesio, et officiorum exhibitio.

Dicimus religionem esse virtutem, quia hominem disponit ad bonum faciendum.[3] Sed non est virtus quae-

---

[1] Alii vero dicunt religionem obiective esse *complexum* relationum *moralium Deum inter et homines,* quae definitio ad superius traditam reduci potest.

[2] Cognitio *speculativa* ea est quae circa verum ut sic versatur, *practica* quae circa agenda. Hinc obiectum cognitionis speculativae est Deus ipse, practicae vero est officium praestandum.

[3] S. Thomas ita ostendit religionem esse virtutem: *Virtus est, quae bonum facit habentem, et opus ejus bonum reddit; et ideo necesse est dicere, omnen actum bonum ad virtutem pertinere. Manifestum est autem, quod reddere debitum alicui habet rationem boni: quia per hoc quod aliquis alteri debitum reddit, constituitur in proportione convenienti respectu ipsius, quasi convenienter ordinatus ad ipsum: ordo autem ad rationem boni pertinet.... cum ergo ad religionem pertineat reddere honorem debitum alicui, scilicet Deo, manifestum est, quod religio virtus est.* (Cf. S. Th. II–II, q. LXXXI, art. 2).

cumque, sed specialis, quia virtutes distinguuntur secundum bonum, circa quod versantur. Ait enim Angelicus: *cum virtus ordinetur ad bonum, ubi est specialis ratio boni, ibi oportet esse specialem virtutem: bonum autem ad quod ordinatur religio, est exhibere Deo debitum honorem: honor autem debetur alicui ratione excellentiae: Deo autem competit singularis excellentia, in quantum omnia in infinitum transcendit secundum omnimodum excessum; unde ei debetur specialis honor* (Cf. *S. Theol.*, II-II q. LXXXI, art. 4).

Insuper est virtus moralis, quia obiectum religionis non est immediate ad ultimum finem, scilicet Deum; sed tantum cum ipso connexionem dicit, quatenus informat opera quae ad Deum ducunt. Jamvero virtutis moralis est mediate hominem ad finem dirigere; hinc obiectum materiale virtutis moralis est quilibet actus qui ad Deum ordinatur; formale vero est actus ipsius honestas.

7) Exinde patet religionem esse virtutem moralem, non autem theologicam, cujus obiectum formale, et materiale et immediatum est Deus ipse. Ad rem scribit Aquinas: *duo in religione considerantur* UNUM *quidem, quod religio Deo affert, scilicet cultus; et hoc se habet per modum materiae et obiecti ad religionem;* ALIUD *autem est id, cui affertur, scil. Deus, cui cultus exhibetur, non quod actus, quibus Deus colitur, ipsum Deum attingant, sicut cum credimus Deo credendo, Deum attingimus; propter quod ... Deus est fidei obiectum, non solum in quantum credimus Deum, sed in quantum credimus Deo.*[1] *Affertur autem Deo debi-*

[1] Passim apud S. Thomam aliosque scriptores sacros occurrunt formulae CREDERE DEUM, CREDERE DEO, CREDERE IN DEUM VEL DEO, quae declaratione indigent. Certe per has formulas fidei actus designamus, sed quamvis diverse sonent, tamen unum eumdemque fidei actum intelligimus, qui diversimode audit, prouti diversa est relatio ad fidei obiectum. Et sane, uti monet Angelicus, *cum credere ad intellectum pertineat, prout est a voluntate motus ad assentiendum, potest obiectum fidei accipi, vel ex parte ipsius intellectus, vel ex parte voluntatis intellectum moventis. Si quidem ex parte intellectus, sic in obiecto fidei duo possunt considerari.... quorum unum est materiale obiectum fidei, et sic ponitur actus fidei* CREDERE DEUM, *quia.... nihil proponitur nobis ad*

tus cultus, in quantum actus quidam, quibus Deus colitur, in Dei reverentiam fiunt, puta sacrificiorum oblationes et alia hujusmodi; unde manifestum est, quod DEUS NON COMPARATUR AD VIRTUTEM RELIGIONIS, SICUT MATERIA VEL OBIECTUM, SED SICUT FINIS; *et ideo religio non est virtus theologica, cujus obiectum est ultimus finis; sed est virtus moralis, cujus est esse circa ea quae sunt ad finem* (Cf. S. Th. II-II, q. LXXXI, art. 5).

8) Dicimus insuper per hanc virtutem hominis voluntatem inclinari ad Deo debitum cultum reddendum ob infinitam ejus excellentiam, quibus verbis comprehenduntur actus intellectus apprehendentis Dei excellentiam, et actus voluntatis hanc excellentiam recognoscentis. Immo voluntati praecipuas partes tribuimus, prouti ad Deum se ipsam dirigit per cultus officiorumque exhibitionem. Infinita autem Dei excellentia est motivum impellens hominem ad Deum colendum; Deus vero est obiectum cui cultus defertur; qui cultus debite redditur per duplicis generis actus; quorum quidam *interiores*, alii *exteriores* sunt; hinc exurgit divisio cultus in *internum* et *externum*.

Deo, scribit S. Thomas, *reverentiam et honorem exhibemus non propter seipsum, quia ex seipso est gloriâ plenus, cui nihil a creatura adiici potest, sed propter nos, quia videlicet per hoc quod Deum reveremur et honoramus, mens nostra ei subiicitur; et in hoc ejus perfectio consistit. Quaelibet enim res perficitur per hoc quod subditur suo superiori, sicut corpus per hoc quod vivificatur ab anima, et aër per hoc quod illuminatur a sole. Mens autem humana indiget,*

---

credendum, nisi secundum quod ad Deum pertinet. Aliud autem est formalis ratio obiecti quod est sicut medium propter quod tali credibili assentitur. Et sic ponitur actus fidei CREDERE DEO; *quia.... formale obiectum fidei est Veritas Prima, cui inhaeret homo ut propter eam creditis assentiat. Si verò consideretur tertio modo obiectum fidei, secundum quod intellectus est motus a voluntate, sic ponitur actus fidei* CREDERE IN DEUM: *Veritas enim Prima ad voluntatem refertur, secundum quod habet rationem finis... ergo per ista tria non designantur diversi actus fidei, sed unus et idem actus habens diversam relationem ad fidei obiectum.* (Cf. S. Th. II–II, q. II, art. 2, in corpore et in resp. ad 1.^{am}).

ad hoc ut conjungatur Deo, sensibilium manuductione, quia invisibilia Dei per ea quae facta sunt intellecta conspiciuntur (Rom. I, 20). *Et ideo in divino cultu necesse est aliquibus corporalibus uti, ut eis quasi signis quibusdam mens hominis excitetur ad spirituales actus, quibus Deo conjungitur. Et ideo religio habet interiores actus quasi principales, et per se ad religionem pertinentes; exteriores vero quasi secundarios et ad interiores ordinatos.* (Cf. S. Th. II-II, q. LXXXI, art. 3).

9) Jamvero hujusmodi actus aliquando *eliciti* sunt, aliquando *imperati. Eliciti* quidem qui finem immediate attingunt et sunt religionis proprii, seu ab ipsa virtute religionis eliciuntur, ut ecce oratio, adoratio, sacrificia, votum; *imperati* autem qui mediate finem attingunt et sunt aliarum virtutum proprii, sed a virtute religionis imperantur, ut ecce visitare pupillos et viduas.[1]

10) Religionis partitiones. Plura in religione considerare possumus, quibus ex considerationibus praecipuae exurgunt religionis ipsius partitiones. Hinc in primis si consideremus: *a)* religionis *fundamentum*, quod est intellectus, religio dividitur in *veram* et *falsam*, quarum prior subiective accepta, ea dicitur *quae verum Deum cultu debito prosequendum docet.* Proinde, cum oppositorum eadem sit ratio, *falsa* religio ea dicitur *quae aut non habet veram de Deo notitiam, aut ens aliquod, quod non est Deus, colit, aut indebito modo Deum colit. b)* Sin autem considerentur religionis *obiecta*, religio est *naturalis cujus obiecta non superant humanae naturae vires,* ut ecce colere Deum solum ut est auctor naturae; *supernaturalis cujus obiecta vires naturae excedunt.* Porro religio aliquando est naturalis tum *re*, tum *modo;* aliquando vero *re* est naturalis,

---

[1] Ad rem scribit S. Thomas: *virtus, ad quam pertinet finis, imperat virtutibus, ad quas pertinent ea quae sunt ad finem; et secundum hoc actus religionis ponitur esse: visitare pupillos, et viduas in tribulatione eorum; quod est actus elicitus a misericordia: immaculatum autem se custodire ab hoc saeculo, imperative quidem est religionis, elicitive autem temperantiae, vel alicujus hujusmodi virtutis.* (Cf. *S. Th.* II-II, q. LXXXI, art. 1 ad 1.[m]).

est autem supernaturalis *modo* quo innotescit. Quare religio *modo* et *re* naturalis ea est quae Deum colit ut est auctor naturae et iis tantum operibus quae a lege naturali per rationem cognita praescribuntur; et tunc religio haec dicitur *naturalis simpliciter*. Verum religio *modo* tantum est supernaturalis, si obiecta innotescant modo praeter usitatum, ut ecce per *revelationem*, quamvis aliunde sola ratione innotescere potuissent; et tunc religio dicitur *supernaturalis secundum quid,* vel etiam *positiva;* denique religio et *re* et *modo* est supernaturalis, si obiecta quae superant captum intellectus, modo supernaturali innotescant; et tunc religio dicitur *supernaturalis simpliciter* vel etiam *revelata.*[1]

Haec autem religio revelata vicissim pro diversis humani generis evolutionibus dividitur in 1°) *primaevam* seu *patriarchalem* datam Adae et Patriarchis; 2°) *judaicam* seu *mosaicam* datam per Moysen Judaeis; 3°) *christianam* a Christo Redemptore humano generi allatam.

11) Quaerentibus autem quaenam relatio intercedat religionem naturalem inter ac positivam et supernaturalem, respondemus positivam accuratius naturalem determinare et uberius evolvere; religionem autem supernaturalem includere religionem naturalem, ipsamque complere et evehere, non secus ac gratia naturam et supponit, et complet, et elevat.

12) Quod religio positiva sit accuratior naturalis religionis determinatio, ultro ab omnibus conceditur; pariter non est a ratione absonum religionem supernaturalem supponere, complere et elevare naturalem. Et sane: *a*) *supponit*, manent enim, etiam post institutam a Deo religionem supernaturalem, omnes illae veritates quas religio naturalis complectitur, ut ecce cultus Dei, legum naturalium observantia et alia hujusmodi; quia hae veritates sponte fluunt ex ordine quem creatura rationalis habet ad Deum.

---

1 Cf. MAZZELLA, *De religione et ecclesia*, p. 5, n. 10; WILLMERS, *De relig. revel.* p. 12 sq, n. 18–23; CROSTA, *Theol. Dogm.*, tom. I, ed. 2ª, p. 25, n. 5.

b) *Complet*, quatenus exhibet novam cultus rationem, novumque constituit vinculum, quo Deum, non tantum *abstractive*, sed etiam *positive* cognoscimus. *c*) *Evehit*, quatenus rationes naturales cultus ad altiorem transferuntur ordinem.

13) Errores. — Cum autem religio sit rationabile et voluntarium hominis erga Deum obsequium, patet quantum a veritate aberrent qui 1°) religionem cum *Pantheistis*, *Gnosticis*, et quibusdam *Mysticis*, reponunt in *solâ cognitione speculativâ*, quae juxta *Fichte* consistit in intellectuali cognitione absoluti, cui, juxta *Schelling*, accedit conatus perveniendi ad majorem cum eo similitudinem; vel in ordinis moralis mundi agnitione, juxta *Hegel*; vel in cognitione officiorum nostrorum erga Deum, juxta *Kant*; quia, per opinamenta haec omnia, a conceptu religionis excluditur *actus practicus*, quo non modo Dei excellentiam cognoscimus, verum etiam nosmetipsos Deo subiicimus, cum dispositione implendi omnia illa officia, quae ex ordine jam statuto ultro defluunt; scimus enim cognitionem speculativam necessario praecedere, non autem constituere religionem, cum exigat insuper voluntatis actuale obsequium et a Deo dependentiam. 2°) Errant pariter *Pseudomystici*, qui theoreticam religionem omnino a practicâ separandam esse existimant, rati religionem nonnisi in bonorum operum praxi consistere. Verum quisnam ignorat religionem in practicam et theoreticam dividi, ita ut demptâ vel practicâ, vel theoreticâ, jam non amplius religionis germana notio consistat, deficit enim in religione vel rationis, vel voluntatis erga Deum obsequium? 3°) Neque ab erroris labe purgatur *Rationalistarum* opinio, qui religionem pure subiectivam esse autumantes, eam in *sensu* quodam, ut opinatur *Schleiermacher*,[1] vel in *instinctu* dependentiae a Deo collocant. Jamvero religionem et subiectivam esse et obiectivam superius ostendimus et utramque connexionis vinculo ita scimus devinciri, ut subiectiva nequeat sine obiectivâ consistere, a

[1] Cf. Hagenbach, *Dogmengeschichte* § 291.

qua pendet, non secus ac qui regitur nequit rectore carere. Notetur insuper hanc opinionem *materialismum* redolere et verum *pietismum*, frustra in verae religionis locum subrogandum.[1]

ARTICULUS II.

RELIGIONIS NECESSITAS.

14) Status Quaestionis. — Haec quaestio solutam praesupponit alteram de religionis existentiâ, quae tamen non est ex professo expendenda; si enim ostendatur aliquam religionem esse necessariam, jam patet, religionem de facto existere, quamvis adhuc determinare oporteat quaenam in concreto sit vera religio.

15) Haec de necessitate religionis investigatio quodammodo videtur contradicere iis, quae superius tradita sunt circa religionis notionem; quia si religio sit *voluntaria*, ex hoc ipso non videtur *necessaria;* voluntarium enim necessarium excludit. Sed notetur voluntarium non posse esse necessarium sub eodem respectu; religio ex una parte est voluntaria respectu adhaesionis, quam praestat voluntas, est autem necessaria respectu relationum, quae Deum inter et creaturas intercedunt. Quando vero religionem necessariam dicimus, loquimur de necessitate *morali*, quatenus haec obligatio profitendi religionem ex ipsa hominis naturâ dimanat.

---

[1] Traditis praeposteris religionis notionibus accenseri possunt *a*) opinio Strauss, asserentis religionem reponendam esse in desiderio avertendi mala, et bona obtinendi per precationes numini qualicumque oblatas, quod numen cum viribus naturae sive benignae, sive adversae confunditur; *b*) opinio Feuerbach qui putat religionem nonnisi naturalem illusionem esse, ortam ex humanarum calamitatum notitiâ et ex fictione beatitudinis cujusdam in coelo tandem obtinendae; *c*) denique opinio illorum qui dicunt religionem esse viam consequendi aeternam beatitatem. Has autem aliasque hujusmodi sententias refutare haud necessarium est, cum primo intuitu erroneae deprehendantur. (Cf. Ausonio Franchi, *Del sentimento* p. 288; *Ultima critica*, Vol. 2, p. 291; Lichtenberger, *Encycl. des Sciences Relig.* tom XI, voce *religion*, p. 171, seg.)

16) Notetur insuper nos hic agere de necessitate profitendi aliquam religionem in genere, non vero de necessitate profitendi religionem revelatam; et affirmamus hujus obligationis subiectum esse tum singulos homines, tum societatem.

17) Errores. — Necessitatem religionis quamplurimi impugnarunt, vel *a*) quia negantes Deum, tollunt ipsius religionis fundamentum et terminum ad quem debet dirigi hominum volontaria affectio; ex hisce habemus *Atheos*, *Pantheistas*, *Materialistas, Fatalistas,* qui vel negando Dei existentiam, vel creaturas cum Deo confundentes, vel hominem spiritu carentem dictitantes, vel libertatem inficiantes, semper de medio tollunt et voluntariam et rationabilem hominis a Deo dependentiam, quibus adstipulandi sunt *Agnostici* et *Positivistae*, qui affirmant nihil certi de Deo et de relationibus inter Ipsum et homines cognosci posse; vel *b*) abscisse negant religionis necessitatem, modo *in genere*, modo in *specie,* ut ecce Macchiavelli, qui asserit populos indigere religionis praejudiciis, non vero principes, quibus religionem expedit simulari, non autem profiteri [1]; et Robertus Owen qui conatus est societatem absque religione constituere; vel *c*) eam inutilem, aut saltem indifferentem autumant, ut *indifferentistae* absoluti et mitigati. Hisce adjunguntur quamplurimi, qui quamvis religionis necessitatem admittant, nihilominus denegant orationis et cultus externi necessitatem, affirmantes Deum adorandum esse tantum in spiritu et veritate.[2]

18) Doctrina Ecclesiae catholicae. — Quid Ecclesia catholica sentiat de necessitate religionis patet ex ipsis Romanorum Pontificum decisionibus, quibus persuasum est non solum religionem necessariam esse tum singulis hominibus, tam societati, immo etiam non esse ad libitum hanc vel illam religionem complectendam, nec cultum

---

[1] Cf. Macchiavelli, *Il principe* c. 18; Mazzella, l. c., n. 18, 31; Crosta, *Theologia Dogmatica* p. 26.

[2] Cf. Gruber, Le positivisme depuis Comte jusqu'à nos jours; ect.

externum et publicum esse negligendum.[1] Ex recentioribus Romanorum Pontificum decisionibus sufficiat referre verba Leonis XIII: *Natura*, inquit, *et ratio, quae jubet singulos sancte religioseque Deum colere, quod in ejus potestate sumus et quod ab eo profecti ad eundem reverti debemus, eâdem lege adstringit civilem societatem;* — et alibi: *Deum spectare, atque ad ipsum contendere, suprema lex est vitae hominum: qui ad imaginem conditi similitudinemque divinam, naturâ ipsâ ad auctorem suum potiundum vehementer incitantur... quod autem de singulis hominibus, idem de societate tum domestica, tum civili intelligendum. Si qua igitur civitas... Deum in administrandâ republicâ negligere, nec leges curare morales consueverit, deterrime aberrat ab instituto suo et praescriptione naturae, neque tam est ea societas hominum et communitas putanda, quam fallax imitatio simulatioque societatis.*[2]

Ad errores recensitos refellendos ostendemus duabus distinctis propositionibus 1°) religionem necessariam esse et homini individuo et societati; 2°) Deo deberi cultum non solum internum, sed etiam externum et publicum.

§ I. — Necessitas cultus interni.

19) Propositio I. — *Moralis necessitas religionem profitendi hominem individuum et domesticam et civilem societatem adstringit.*

20) Praenotanda. — Loquimur in hac quaestione de necessitate morali non physicâ, sed tamen absolutâ profitendi aliquam religionem, de illâ inquam necessitate, quae se-

---

[1] Cf. Denzinger, Enchiridion n. 1493, 1563; 1564, 1715, 1562.

[2] Cf. Encycl. *Immortale Dei*, et encycl., *Sapientiae christianae*. Haec Leonis XIII verba consona sunt iis, quae a Pontifice Pio IX f. r. prolata sunt in encyclica *Quanta Cura*, ubi hic error proscribitur: « optimam societatis publicae rationem, civilemque progressum omnino requirere ut humana societas constituatur et gubernetur, nullo habito ad religionem respectu, ac si ea non existeret, vel saltem nullo facto veram inter falsasque religiones discrimine. »

quitur e natura Dei et hominum, quin determinemus utrum sit amplectenda religio naturalis vel supernaturalis; aliis verbis quaerimus de necessitate genericâ religionem, qualem superius definivimus, profitendi.

21) Propositio, uti patet, trifarie partitur, in quarum prima agimus de necessitate, quam singuli individui habent profitendi religionem; in altera quaeritur utrum eâdem necessitate societas domestica et familiaris adstringantur; in tertia vero inquirimus de necessitate religionis pro societate civili. Ceterum, cum societas domestica sit veluti fundamentum et pars societatis civilis, satis erit ostendere societatem civilem necessitatem habere religionem profitendi, quo fit ut eadem conclusio valeat pro societate domestica.

22) Probatur I^a^ pars. Necessitas religionis pro singulis individuis apertissime ostenditur tum ex Dei, tum ex hominis ipsius consideratione, tum ex populorum consensu.

23) *A) Ex consideratione Dei.* Deus enim est ens excellentissimum, principium, finis, dominus, benefactor, et legislator. Ergo Deo cultus debetur. Et sane: 1°) *Cum Deus sit ens excellentissimum,* ejus excellentiam homines recognoscere tenentur, secus enim rectus ordo non subsisteret. Iamvero non sufficit quod homines hanc Dei excellentiam recognoscant mentaliter et speculative, sed debent etiam actibus et practice. Haec porro recognitio positiva non aliter potest haberi, ac se se Deo submittendo et exhibendo ipsi honorem et cultum. Atque, ut rectus ordo consistat, debent omnia suo loco subsistere, scilicet res imperfectiores perfectioribus, inanimatae animatis, creaturae irrationales rationalibus submitti, ita et rationales Deo, per liberum et rationabile obsequium praestandum, subsint oportet. 2°) Insuper Deus est hominum *principium.* Iamvero si naturale praeceptum est honorare parentes, multo magis naturale praeceptum est Deum honorare et colere, utpote ultimum rerum omnium principium. Ad rem scribit S. Thomas (*Summa Contra Gentes* l. III c. 119): « *Etiam quodam naturali instinctu* (*homo*) *se obligatum sentit Deo, ut suo modo reverentiam ei impendat a quo est sui esse et*

omnis boni principium. Hinc etiam est quod religio nomen accepit pietatis; nam pietas est per quam honorem debitum parentibus impendimus; unde convenienter quod Deo parenti omnium honor exhibeatur, pietatis esse videtur; propter quod qui his quae ad divinum cultum pertinent adversantur impii dicuntur. » 3°) His adde quod Deus est hominum *finis* ultimus. Uti patet homo debet se ipsum ad finem ultimum ordinare ut consequatur aeternam beatitudinem, quae est ultima naturae humanae perfectio. Attamen, ut homo se disponat ad finem ultimum, debet et cognoscere in quo hic consistat, et ultro se conformare iis normis, quibus finem consequatur. Iamvero per religionem et agnitio finis, et fini ipsi conformatio habetur. Ergo homo tenetur religionem amplecti. (cf. S. Th. I-II^{ae}, q. III art. 3; q. IV, art. 4). 4°) Huic primi principii argumento accedit ratio *dominii* supremi, quod Deus habet super omnes homines. Scimus enim homines totaliter a Deo pendere, non solum quia sunt Dei creatura, sed etiam quatenus, per novam quodammodo creationem, quoad esse, a Deo conservantur. Verum cum supremus Dominus jus habeat ut ejus dominium a creaturis rationalibus agnoscatur, per actus sibi proprios et congruentes Domino, constat omnes homines Deo cultum et reverentiam debere.[1] 5°) Praeterea Deus est supremus omnium *benefactor*, quidquid enim boni habemus, a Deo habemus per gratuitam ejus largitionem. Grati ergo animi sensus Deo debentur, ne ingratitudinis rei evadamus. 6°) Denique Deus est supremus *legislator*.[2]

---

[1] Idem argumentum adducitur ab Angelico Doctore (Summa contra gentes loc. cit.): *Quia vero*, inquit, *Deus non solum est nostri esse causa et principium, sed totum nostrum esse in potestate ipsius est, et totum quod in nobis est ipsi debemus, ac per hoc quod vere dominus noster est, id quod in honorem Dei exhibemus, servitium dicitur. Est autem Deus Dominus non per accidens, sicut hominis homo, sed per naturam; et ideo aliter debetur servitium Deo, et aliter homini cui per accidens subdimur, et qui habet aliquod particulare in rebus dominium, et id a Deo derivatum; unde servitium quod Deo debetur, specialiter apud graecos latria vocatur.* Cf. etiam Summ. Theol. II–II^{ae} q. LXXXI art. 1 ad 3.^{um}

[2] S. Th. I–II^{ae} q. XC art. 4).

Ejus lex, quae per rationem homini innotescit et in naturâ rerum exposita habetur, naturalis dicitur (Cf. S. Th. I-II^{ae} q. XCI art. 2) Haec ordinem servari jubet, turbarique vetat. Huic obediant homines necesse omnino est et ordinem servent. Atqui hic ordo servari nequit nisi, quae lege praecipiuntur, executioni mandentur, intra quae est colere legislatorem (nempe Deum). Ergo Deo cultus debetur.[1]

24) *B) Ex hominis ipsius consideratione.* Admissâ animae humanae spiritualitate et immortalitate, cogimur concedere finem quendam supremum esse homini praestitutum. Attamen, absque religione, nequit homo finem consequi. Ergo religio necessaria est homini. Et sane finis ultimus obtinetur ab homine per perfectam et plenam *intellectus et voluntatis* evolutionem, idest per *cognitionem summi veri,* et *possessionem summi boni. a) Ad intellectum* quod attinet, certum est obiectum ejus adaequatum esse non verum qualecumque, sed verum absolutum et infinitum; constat enim homines non quiescere in adeptione veritatum quae naturaliter cognosci possunt, ut ecce phoenomenorum notitia, sed semper ulterius altiores causas investigare, quibus ad supremam omnium causam pertingant. Igitur illa tantum scientia intellectum perficiet quae ad res divinas adducit. Jamvero per religionem habetur vinculum intellectus cum Deo. Ergo religio homini est necessaria, ut evolutionem plenam intellectus adipiscatur. Ad rem perbelle scribit Gratry:[2] *« Tota mea subtantia ad aliquod meipso majus et perfectius tendit et aspirat, nec transeunti animi motu, sed perpetuo; aliis verbis, aliquid majus omni creaturâ, etiam immensâ*[3], *anhelo. Sed aliquid majus omni enti creato vel creabili nihil aliud esse potest nisi ipsum Infinitum. Ita semper ad Infinitum tendo; quia finitus et imperfectus sum, ideo veluti radice totius entitatis meae ad Infinitum et perfectum rapior. »*

---

[1] Cf. S. Thom., I–II, q. XCIII art. 3.

[2] Cf. Gratry, *Della conoscenza di Dio,* tom. I, p. 370.

[3] Potestne creatura esse immensa?

b) Ad voluntatem vero quod attinet, dicimus ipsam naturaliter inclinari ad bonum non quodcumque, sed ad bonum infinitum et perfectum, ad quod pervenire tantum licebit per adimplementum officiorum quibus tum Deo, tum proximo devincimur. At sine religione omnia et singula officia frustra conabimur servare; scimus enim, remota religione, nullam haberi veram moralitatem, quia deest moralitatis ipsius fundamentum, scilicet recognitio legislatoris supremi, desunt et sanctio, et voluntaria legislatori subiectio. « *Moralitas sine religione,* scribit Liddon, *est veluti ramus trunco desectus; in quibusdam circumstantiis fortuito aliquid viriditatis conservare potest, sed vitalem vigorem adipisci aegre sperare potest. Veram moralitatem rationabilem simul et operosam inter homines diffundere impossibile est, nisi oculis praebeas aliquid magis reale et concretum quam abstractum legis conceptum.*[1] »

25) Neque dicatur *conscientiae dictamen* aut *honoris sensum* posse praestare normam vivendi, quia omnis obligatio, superioris conceptum includit, qui conceptus superioritatis deest, si conscientia sejunctim a Deo consideretur, etenim conscientia nihil aliud est, nisi ratio ferens de agendis judicium. Jamvero ratio, quamvis nobilissima hominis facultas, hominis est pars, non vero est superior homine. Insuper, ut recte observat Card. Mazzella, [2] « *si humana ratio, tanquam supremus moralis obligationis fons, aliquid praeciperet aut vetaret; id faceret, libere aut necessario. Atqui si libere id faceret, essentiale discrimen inter virtutem et vitium, bonum et malum destrueretur; nec ulla esset actio intrinsece bona aut mala: quod certe communi sensui repugnet. Sin autem id necessario faceret, antecedenter ad suum imperium ipsa ligaretur, adeoque non esset supremus fons obligationis.* »

Pariter honoris sensus cum sit ipsius conscientiae vox,

---

[1] Cf. H. Liddon, *Elementi di religione,* p. 18; De Broglie, *La morale senza Dio*; L. Gallo, *Non vera onestà senza religione.*

[2] Cf. Mazzella, Op. cit. p. 15.

haud sufficit, ob rationes superius allatas, ut moralitatem inducat.

26) Neque moralitatis fundamentum esse potest poenarum temporalium *metus;* constat enim *impios* homines in hac vita superexaltari, rectos e contra cruciatibus et malis tentari, ut, per hujus vitae tribulationes transeuntes, consequantur beatam spem. Neque sufficit legum civilium timor, quibus aliquando homo, etiam delinquens, potest se subtrahere; quare cum Leone XIII concludimus [1]: *vim nullam poenarum futuram tantam, quae conservare respublicas sola possit. Metus enim, ut praeclare docet S. Thomas, est debile fundamentum; nam qui timore subduntur, si occurrat occasio qua possint impunitatem sperare, contra praesidentes insurgunt eo ardentius, quo magis contra voluntatem ex solo timore cohibebantur... Itaque obediendi altiorem et efficaciorem causam adhibere necesse est, atque omnino statuere, nec legum esse posse fructuosam severitatem, nisi homines impellantur officio, salutarique metu Dei permoveantur. Id autem impetrare ab iis maxime religio potest, quae suâ vi in animos influit, ipsasque hominum flectit voluntates, ut eis, a quibus ipsi reguntur, non obsequio solum, sed etiam benevolentiâ et caritate adhaerescant, quae est in omni hominum coetu optima custos incolumitatis.*

27) C*) Ex communi populorum consensu.* — Hisce argumentis, quibus conati sumus ostendere religionis necessitatem, accedit communis populorum consensus, naturae humanae interpres. Certum est hominem, etiam quodam naturali instinctu, se obligatum Deo sentire, ut suo modo ei reverentiam impendat *(Summa Cont. Gent.* III, 119), idque maxime verificatur in adjunctis adversis, quibus et homines, licet scelestissimi, attriti depressique, ad mentem sursum elevandam impelluntur. Sin autem repetere velimus numinum historiam, monumenta religionis indicia, templa, altaria, sacerdotes, sacrificia, nobis persuadebimus religionem veluti necessariam usque habitam

---

[1] Cf. *Encycl.* DIUTURNUM.

fuisse. (*Cf. S. Aug. De civ. Dei*, IV, 24). Jamvero consensus hujusmodi, qui circa rem moralem versatur, nec passionibus favens, immo eas cohibens, vox est naturae et veritatis indicium. Ergo necessitas religionis aperte ostenditur e populorum consensu.

28) At praeter recensita hujus consensus indicia, possunt in medium afferri plurimae veterum legislatorum et philosophorum sententiae. Ex his Plutarchum audiamus (Cf. Plutarchum, *Adversus Colot.* c. XXXI, n. 4): *In legum constitutione primum est et maximum de diis opinio. Quam ob rem et Lycurgus Lacedaemonios, et Numa Romanos, et Ion antiquos Athenienses, et Deucalion Graecos fere universos Diis consecraverunt, votis, sacramentis, oraculis ominibusque, eos ob spem ac metum diis deditos obnoxiosque reddentes. Et si terras obeas, invenire possis urbes muris, litteris, regibus, domibus, opibus, numismate carentes vel non utentes, gymnasiorum et theatrorum nexias* (ἀπείρους): *urbem templis diisque carentem, quae precibus, jurejurando, oraculo non utatur, non bonorum causâ sacrificet, non mala sacris avertere nitatur, nemo unquam vidit, nec videbit. Sed facilius urbem condi sine solo posse puto, quam opinione de diis penitus sublata civitatem coire aut constare.* » *Haud scio,* addit Cicero, *(De nat. deor.* I, 2) *an pietate adversus Deos sublata, fides etiam et societas generis humani et una excellentissima virtus, justitia tollatur* (Cf. etiam Orat. pro Flacco). Hisce ethicorum attestationibus accedit etiam hodiernorum *rationalistarum* testimonium, qui affirmant nunquam populos extitisse omni prorsus religione orbatos.

29) Quaeri ulterius potest unde hoc populorum judicium defluat, an praecise ex ipsa natura, uti superius affirmavimus, an potius a causa fortuita, vel sola traditione, vel denique a naturâ utique, sed vitiosa. Quibus quaestionibus respondemus affirmantes: 1°) quod hoc judicium non potest apud omnes deduci a causâ fortuitâ, quae quosdam tantum homines potest excitare, non vero omnes homines, uti de facto excitat; 2°) quod sola traditio non potest apud omnes omnino populos eandem diffundere doctrinam, nisi haec eorum mentiplane conformis sit, et simul

nisi natura rationalis inclinaret ad judicandum idem, quod supponitur traditione propagatum; 3°) denique quod natura vitiosa nequit insinuare cultum, qui per se hominum vitia propulsat. Nam cultus, quatenus est religionis studium, rectus est, honestus et constans; licet aliquando, ex hominum culpâ, esse possit erroneus et vitiosus quoad modum cultum ipsum tribuendi.

30) Neque dicatur populorum consensum esse partum ignorantiae, vel educationis, vel legislatorum fraudis; quia 1°) religio ibi maxime deficit, ubi gentes rudiores sunt et ignorantiâ sopitae, quibus difficillimum est, ex mundi consideratione, assurgere ad cognitionem causae primae; 2°) quia educatio potest plurimum ad religionem fovendam, non vero ad ipsam inducendam; scimus enim consuetudines, quae nullo nituntur fundamento communi, non easdem esse apud omnes gentes; 3°) quia legislatores quamvis usi sint religione, ipsâ uti non potuissent, nisi apud populos jam reperissent radicatam. Insuper notetur religionem reperiri etiam apud populos, quibus nunquam legislatores praefuerunt.

31) Probatur II pars. — Haec pars est praecedentis corollarium, quia si fundamentum religionis profitendae pro homine individuo sit ipsius a Deo essentialis dependentia, idem dicendum est pro societate, quae individuis coalescit. At quoniam persona moralis non est prorsus eadem ac persona physica, et consequenter illa non videtur teneri ad idem, ad quod haec tenetur, quibusdam visum est religionem non esse societati necessariam. Sed hanc conclusionem respuentes, quae sustineri nequit, quia in societate, (quae nihil aliud est quam hominum moralis conjunctio) eadem natura physica invenitur, quae personam physicam constituit; dicimus religionem aeque necessariam esse societati, ac individuo. Hoc verum esse facile patebit, si ostendamus connexionem publicae tranquillitatis cum moralitate.

32) Et sane civilis societas nequit consistere absque sociorum ad invicem obligatione, unde exurgit moralis hominum conjunctio. Atqui haec conjunctio absque religione nequit haberi. Ergo religio necessaria est societati.

Major patet ex ipso societatis conceptu; scimus enim societatem esse *hominum unionem ad bonum commune, communibus mediis consequendum,* qui conceptus includit perfectam ad invicem hominum ordinationem, et officiorum, quibus erga alios tenemur, observantiam. Minor vero evidens est per ea quae superius diximus (N. 26). Vidimus enim, dempta religione et consequenter Dei notione, fundamento quamlibet obligationem destitui; deest enim legislator supremus, a quo inferiores legislatores auctoritatem mutuantur; deest insuper legis sanctio, quia legis terrenae sanctio saepe effugi potest.

33) His adde quod absque religione, uti affirmat S. Pontifex Leo XIII, *(Cf. Encycl.* Libertas) « *virtus veri nominis nulla esse potest; virtus enim moralis est cujus officia versantur in iis, quae ducunt ad Deum, quatenus homini est summum atque ultimum bonorum; ideoque religio quae operatur ea, quae directe et immediate ordinantur in honorem divinum, cunctarum princeps est moderatrixque virtutum.* » Huic Pontificio documento placet addere quae ipse Pontifex Leo XIII, egregie et ornatissime expressit in suo carmine saeculari « *a Jesu Christo ineuntis saeculi auspicia* »:

Vae segregatis Numine legibus,
Quae lex honesti, quae superest fides?
Nutant, semel submota ab aris
Atque ruunt labefacta jura.

34) Quod allatis argumentis probavimus, confirmatur diserta philosophorum attestatione. Plato, ut silentio premamus Plutarchi verba superius recitata (N. 28), affirmat quod *omnis humanae societatis fundamentum convellit, qui religionem convellit.*[1]

35) Demum religionem esse societati necessariam, apprime ostendunt factiones, quae nostris diebus societatem scindunt. Historia teste, scimus tunc maxime floruisse ci-

---

[1] Cf. Platonem, *De leg.* l. 10; Cf. S. Thom. *De reg. Princip.* l. I c. 14; Liberatore, *La Chiesa e lo Stato*, c. 2 art. 2.

vitates, quum fides ardentior fuit, ut evenit aevo medio; tunc enim perfecta jurium et officiorum, quae erant a singulis civibus mutuo praestanda, aequalitas habebatur; hodie autem, religione sublatâ, nos socialis, uti vocatur, urget controversia, quae est de conditione opificum, quam frustra solvere conabimur, nisi prius singulis hominibus persuasum sit religionem omnino necessariam esse.

§ II. — De cultu externo et publico.

36) Cum religio sit necessaria tam pro individuis quam pro societate, exurgit etiam cultum esse necessarium, quia cultus nihil aliud est quam religionis ipsius exercitium.

37) Cultus autem duplex est, *interior* scilicet *qui consistit in devotione mentis ad Deum,* aliis verbis in totali a Deo dependentiâ, cum voluntate prompte se tradendi ad ea quae pertinent ad Dei famulatum[1] (*S. Theol.* II-II q. LXXXII art. I in corp.); et *exterior qui exhibetur per exterioris corporis actus,* qui consistunt in sacrificiis, oblationibus et aliis hujusmodi. Ceterum cultus exterior frustraneus et irrisorius esset; si nudis externis actionibus exerceretur, cum debeat esse aestimationis signum, quam mente fovemur, ita ut actus interioris cultus sint principales, secundarii actus cultus externi.

38) Notandum insuper est cultum externum esse *privatum* et *publicum*; primum cultus genus habetur si fiat ab individuo privata auctoritate; alterum si exerceatur a communitate, vel communitatis nomine, vel ab individuo qua societatis membro; quare in cultu publico semper ad societatem respectus est habendus. Rursus cultus potest esse publicus vel quoad modum, vel quoad causam efficientem. *Quoad modum*, si coram societate exerceatur, et sub hoc respectu etiam cultus privatus, privata auctoritate exhibitus, dicitur publicus, licet improprie; est vero publicus *quoad causam efficientem* quatenus a societate qua tali

[1] Cf. S. Th. I-II, q. CII, art. V, ad 4^{um}.

exercetur, vel per omnium, moraliter saltem, participationem, vel per quorundam repraesentationem.

Hisce notatis ad cultus notionem declarandam, ponimus questionem:

39) PROPOSITIO II. RELIGIO, PRAETER CULTUM INTERNUM, ETIAM EXTERNUM ET PUBLICUM COMPLECTITUR.

40) STATUS QUAESTIONIS. — Ad removendum quorundam errorem, qui cum Deistis, Rationalistis et Pantheistis affirmant Deum esse colendum *in spiritu et veritate* (Joan. IV, 23), illorumque qui, societatem volentes atheam, conclamant religionem solum inter *res privatas* esse relegandam, ponimus hanc propositionem, qua ostendimus non sufficere cultum internum, sed esse necessarium etiam externum, non jam ut per hunc Deo cultus noster innotescat, verum ut per cultum, naturae satisfaciamus, attentis hominis indole et ad societatem respectu.

Addimus insuper cultum externum, praecise ob respectum ad societatem, debere esse publicum, non quoad modum tantum, sed quoad causam efficientem, quin tamen solliciti simus de quaestione, quae a juristis solet agitari, scilicet ad quosnam ex jure naturae spectet positiva cultus publici divini ordinatio.[1]

41) PROBATUR I PARS. — *Cultus externus est necessarius.* Haec veritas est corollarium praecedentis quaestionis, quare eaedem valent rationes quas adduximus ut ostenderemus necessitatem religionis. Ut autem quaedam innuamus argumenta, quibus magis directe cultus externi suadetur necessitas, dicimus 1° cultum externum necessarium esse *ratione sui.* Cum enim honor sit in honorante, reddendus est pro honorantis conditione et naturâ. Jamvero homo non solum animâ constat, sed etiam corpore, quod simul cum anima a Deo creaturis largitum est. Ergo ut homo, qua talis, Deum honoret, debet etiam cultum externum et sensibilem deferre. « *Cum enim*, ait

[1] Circa hanc quaestionem, in quam non plene consentiunt etiam catholici optimae notae, potest consuli clarissimus FELIX CAVAGNIS « Institutiones Juris Publici Ecclesiastici, tom. I, p. 289 et seqq. »

S. Thomas (S. Th. I-II q. CI, art. 2), *homo sit compositus ex anima et corpore, utrumque debet applicari ad colendum Deum; ut scilicet anima colat interiori cultu, et corpus exteriori; unde dicitur in Psalm. 83: Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum.* » Insuper cum religio sit vinculum morale hominis cum Deo, religio sine cultu externo, non plene ligaret hominem Deo; ligaret enim solum spiritum.

42) 2° Cultus externus necessarius est etiam *ratione interioris cultus*, quia cultus externus est interioris manifestatio. Et sane constat homines semper naturâ inclinari ut exterius manifestent interiores animi affectiones, maxime vividiores, quae manifestatio, semper proportione directâ, sensus ipsius intensitatem aequat. Si ergo homo sincere Deum amet, quo magis erga Deum inclinatur, eoque magis inclinabitur ut exterius hunc sensum explicet. Quo loco animadvertere juvat cultum externum conferre non solum ad cultus interioris evolutionem, immo etiam ad ejus augmentum. « *Exercentur* enim, ait Angelicus (Summa Cont. Gentes III, 119), *ab hominibus quaedam sensibilia opera, non quibus Deum excitent, sed quibus se ipsos provocent in divina, sicut prostrationes, genuflexiones, vocales clamores et cantus; quae non fiunt quasi Deus his indigeat, qui omnia novit et cujus voluntas est immutabilis, et affectum mentis et etiam motum corporis non propter se acceptat; sed propter nos facimus, ut per haec sensibilia opera intentio dirigatur in Deum et affectio accendatur.* » (Cf. etiam S. Th. II-II q. LXXXIV, art. 2; et I-II q. CI, art. 2).

43) Ex hisce Angelici verbis facile evincitur quam inepte sentiant, qui dictitant Deum utpote summe divitem non indigere cultu externo, praesertim si notetur Deum esse interiorum affectuum scrutatorem, juxta illud psalmi: *scrutator renum et cordium Deus.*

44) Pariter suo destituitur fundamento difficultas ex verbis Joannis deprompta (Joan. IV, 23): « *Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate* », quia per haec verba, non excluditur cultus internus, sed tantum affir-

matur cultum interiorem, utpote primarium, esse formam exterioris, qui ex spirituali cordis devotione procedens, non jam in umbrâ et figuris, ut in Veteri lege, sed realiter praestatur per novum sacrificium a Christo oblatum, veteris legis sacrificia abrogante. Dicitur in spiritu per oppositionem ad sacrificia carnalia V. T., in veritate, quia illa et ritus Judaeorum erant solum figura, typi et umbra futurorum. Ad propositam difficultatem sic respondet divus Thomas: *Dominus per illa verba praenuntiat cessationem adorationis, tam secundum ritum Judaeorum adorantium in Hierusalem, quam etiam secundum ritum Samaritanorum adorantium in monte Garizim: uterque enim ritus cessavit veniente spirituali Evangelii veritate: secundum quam in omni loco Deo sacrificatur* (S. Th. II-II, q. LXXXIV, art. 3, ad 1.[mm]).

45) PROBATUR II PARS. — *Cultus publicus est necessarius.* Admissa necessitate religionis pro societate, itemque probata necessitate cultus externi, ultro deducimus cultum publicum esse necessarium; est enim cultus publicus, exterior cultus interni manifestatio, nomine societatis exhibita. Et sane cum societas humana, cujus forma perfecta est civilis, sit a Deo, tenetur Deum agnoscere ut auctorem suum, et ei cultum socialiter tribuere. Atqui cultus socialiter praestitus est cultus publicus. Ergo etc.

46) Hisce rationibus accedit consensus populorum, qui semper Deo, per templa, altaria, sacrificia, publice cultum obtulerunt.[1] Quare merito notat Augustinus: « *Haec est vis verae divinitatis, ut creaturae rationali jam ratione utenti non omnino ac penitus possit abscondi. Exceptis enim paucis, in quibus natura nimium depravata est, universum genus humanum Deum mundi hujus fatetur auctorem* (In Joan. tract. 106, n. 4).[2]

47) SCHOLION I. — DE RELIGIONIS UNITATE. — Vidimus hucusque religionem esse necessariam et individuo et so-

---

[1] Possunt hic recoli testimonia quae superius ex ethnicis scriptoribus deprompsimus n. 28.

[2] Cf. etiam *De Civ. Dei*, IV, 24.

cietati. Verum quamnam religionem tenetur homo amplecti? Est ne indifferens hanc vel illam profiteri, vel potius ad eandem omnes homines tenentur, ut finem consequi possint? Proposita quaestio potest considerari tum *obiective* tum *subiective*. Si agatur de *ordine obiectivo* vel de quaestione *juris*, dicimus religionem debere esse *unam*, non solum pro individuo, sed etiam pro societate; quia omnes homines tenentur veram religionem profiteri, quae nonnisi una esse potest, cum unum et verum convertantur. Si vero quaestio *facti* et res *subiective* consideretur, affirmative item respondendum esset, quia ordo subiectivus congruere debet cum obiectivo; tamen aliquando contra jus, ob particularia facti adjuncta, haec unitas non habetur. Uti patet, nos hic rem obiective consideramus, quatenus unitas nobis se porrigit uti verae religionis proprietas. Et sane religio cum sit vinculum morale homines Deo ordinans et ligans, et cum termini huius vinculi sint naturâ iidem, quia semper una eademque est Dei natura, una eademque est hominum natura, (quamvis singula individua sibi invicem succedant) semper unus idemque habetur hominis ad Deum respectus et vinculum. Una ergo eademque est religio.

48) Eadem veritas desumitur ex consideratione officiorum et veritatum quibus creaturarum ad Deum ordo constituitur. Nam ab uno eodemque fonte veritatum et officiorum complexus derivatur, scilicet a lege naturali; at si negaretur religionis unitas, admittenda necessario esset diversitas originis officiorum et veritatum, quibus homo Deo ligatur.

49) Neque veritas conclusionis infirmatur ex diversitate judiciorum de *licitis* et *illicitis*, quae de facto aliquando verificatur; verum hujusmodi diversitas non ex ipsa legis naturâ, quae, utpote sequens naturam rationalem, una eademque est apud omnes; sed exurgit ex legis notitia, quae non est eadem in omnibus.[1]

50) Quare concludere licet veram religionem non solum esse unam, immo etiam esse constantem et immuta-

[1] Cf. S. Th. I-II, q. CIV, art. 4.

bilem et omnes homines cujuslibet religionis et omnium saeculorum obstringere. Ceterum quando dicimus religionem esse constantem et immutabilem, hoc de fundamento dicimus, non vero excludimus religionis ipsius evolutionem et perfectionem, quae de facto evenit, per religionis naturalis ad positivam, et positivae ad revelatam elevationem. Pariter religionem dicimus universalem esse jure, quia eo usque se porrigit, quousque ejus fundamentum porrigitur, quod universale est cum, Deus sit omnium hominum principium, legislator et finis. Haec autem religionis universalitas de *jure* tantum est, non de *facto*.

51) Scholion II. — Errores contra religionis unicitatem. Etsi unitas religionis non solum conferat ad aeternam salutem consequendam, sed etiam ad societatis bonum promovendum, quia per ipsum in eundem finem conspiratio obtinetur et consequenter perfecta animorum concordia, tamen plurima systemata religiosa invecta sunt, quae penitus religionis fundamenta, unicitatemque convellere conantur. Ex hisce systematibus praecipua recolenda sunt, ut ecce *indifferentismus*, *liberalismus*, *tolerantia dogmatica*, *tolerantia civilis*.

52) Indifferentismus ita describitur a Cardin. Zigliara:[1] « *Est systema illud, quo reputatur licitum esse sentire de Deo, eo modo quo lubet; consequenter quamlibet religionem prosequi, vel etiam nulli religioni esse addictum, homini liberum esse, quin ex hoc culpandus ullo modo sit* ».[2] Ex tradita descriptione indifferentismi, exurgit ipsius distinctio in *indifferentismum absolutum*, si prorsus nullam religionem necessariam esse ostendat; in *mitigatum*, vel *relativum* si

---

[1] Zigliara, *Propaedeutica ad Sacram Theologiam*, lib. II, cap. 15, 5.

[2] Indifferentismus nostris diebus praesertim a *Lammenais* acerrime propugnatus, jam antea prioribus Ecclesiae saeculis (saec. II) in lucem prolatus fuerat a Basilide et Apelle Marcionita, qui docebant indifferentem esse idololatriae cultum, et fidem Christianam persecutionum tempore inculpate posse aut asseri, aut abnegari, et omnem religionem conferre vitam aeternam. (Cf. S. Irenaeus, *Contra haereses*, lib. I, c. XXIV, nn. 5-6; Eusebius, *Hist. Eccl.*, lib. IV, cap. VII, lib. V, cap. XIII).

teneat omnes religiones esse aeque bonas et utiles, atque in qualibet earum posse hominem salvari.

53) Rursus indifferentismus relativus dividitur in *universalem* et *particularem*, prouti aeque de omnibus religionibus praedicatur utilitas (en *universalis)*, et dicitur etiam *latitudinarismus;* vel de una tantum praedicatur ipsam esse veram, negato tamen discrimine essentiali inter religionem ipsam et ejus sectas. (Cf. Mazzella, op. cit. n. 54).

54) Indifferentismum, jampridem damnatum a Gregorio XVI (Encyclica data 18 Kal. Sept. 1832), denuo proscripsit Pontifex Pius IX tum epistolis Encyclicis, *Qui Pluribus* (9 Nov. 1846), *Noscitis et nobiscum* (8 Decem. 1849) *Singulari quidem* (17 Mart. 1856), tum in Syllabo per damnationem harum propositionum: « *Liberum cuique homini est eam amplecti ac profiteri religionem, quam rationis lumine quis ductus veram putaverit* (prop. 15); *homines in cujusvis religionis cultu viam aeternae salutis reperire aeternamque salutem assequi possunt* (prop. 16); *saltem bene sperandum est de aeterna illorum omnium salute, qui in vera Christi Ecclesia nequaquam versantur* (prop. 17); *Protestantismus non aliud est quam diversa verae ejusdem christianae religionis forma, in qua aeque ac in Ecclesia catholica Deo placere datum est* (prop. 18) ».[1]

55) Verum si indifferentismum in se consideremus, cogimur ipsum proscribere, est enim *logice*, *moraliter* et *theologice* falsus. α) *Logice* quidem, quia ea quae sunt con-

---

[1] Iuvat hic referre verba ex encyclicis Pii IX mutuata, ad indifferentismi proscriptionem. In Enc. *Qui pluribus* legimus: « *Huc spectat horrendum, ac vel ipsi naturalis rationis lumini maxime repugnans de cujuslibet religionis indifferentia systema, quo isti veteratores, omnis virtutis et vitii, veritatis et erroris, honestatis et turpitudinis sublato discrimine, homines in cujusvis religionis cultu aeternam salutem assequi posse comminiscuntur, perinde ac si ulla unquam esse posset participatio justitiae cum iniquitate, aut societas lucis ad tenebras, et conventio Christi ad Belial.* » In Encycl. *Singulari quidem*, addit: *A qua turpissima indifferentismi* (absoluti) *forma haud admodum distat illud de religionum indifferentia systema e tenebris eruptum, quo homines a veritate alienati, veraeque*

tradictoria vera esse supponit, ut ecce monotheismus et polytheismus; β) *theologice,* quia Deum ipsum supponit indifferentem ad errorem et veritatem, veluti si Deus aeque probet suum Filium adorari, vel solem, vel lunam; γ) *moraliter,* quia officia erga Deum possent pro hominis lubito admitti vel reiici.[1]

56) Ad indifferentismum relativum pariter reduci potest *tolerantia religiosa,* vel *dogmatica,* quae nihil aliud est quam *omnium religionum omniumque sectarum, quatenus omnes salutares considerantur, expressa vel tacita professio;* quare tolerantia dogmatica iisdem refutatur argumentis, quibus seponendum duximus indifferentismum.[2]

57) Recensitis erroribus accedit doctrina de *tolerantia politico-civili,* quae a Cardinali Mazzella definitur:[3] « *Legum dispositio, qua publicum cultus exercitium permittitur, aut etiam aequalis protectio promittitur externae professioni cujuscumque religionis* ». Sed falsitas hujus systematis facile deprehenditur ex consideratione tum societatis ipsius, tum auctoritatis supremae. Et sane 1°) societas cum sit concors hominum multitudo ad eundem finem conspirans, nequit consistere absque mentium unitate. Jamvero admissa tolerantia civili, seu cultuum pluralitate, haec mentium unitas tolleretur, quia, multiplicitate religionum, perturbationum germen haberetur, ut de facto, testante historia, aliquando habitum est. Ergo tolerantia

---

confessionis adversarii, suaeque salutis immemores, et inter se pugnantia docentes, et nunquam stabilitam sententiam habentes, nullum inter diversas fidei professiones discrimen admittunt, et pacem passim cum omnibus miscent, omnibusque aeternae vitae portum ex qualibet religione patere contendunt. Nihil enim interest illis, licet diversa tractantibus, dum ad unius veritatis expugnationem conspirent. » (Cf. etiam Allocution. *Maxima quidem,* 9 Iun. 1862; *Singulari quadam,* 9 Dec. 1854; *Ubi primum,* 17 Dec. 1847; Encycl. *Quanto conficiamur,* 17 Aug. 1863; Litt. apost. *Multiplices inter,* 10 Jun. 1851).

[1] Cf. CAVAGNIS, Inst. Juris Pubb. Eccl. tom. I p. 319.

[2] Cf. MAZZELLA, Op. cit. n. 57. — Ad tolerantiam religiosam merito reducuntur systemata de *libertate conscientiae, cultuum,* de hisce tamen loquemur, quando sermo fiet de liberalismo.

[3] Op. cit. n. 57.

civilis excluditur ab ipsa societate. 2°) Pariter auctoritas, utpote societatis forma, unitatem et bonum societatis ipsius promovere tenetur. At si admitteret indifferentiam cultuum, omnesque religiones vel falsas vel non, aeque probandas esse, contra societatis bonum ageret, procurando animorum dissolutionem. Ergo tolerantia politica ab ipso auctoritatis conceptu excluditur. Quare merito concludimus cum MACHIAVELLI *(La mente di un uomo di stato,* l. I, c. 12, § 4): « *Quelli principi e quelle republiche le quali si vogliono mantenere incorrotte, hanno sopra ogni altra cosa a mantenere incorrotte le cerimonie della religione e tenerle sempre nella loro venerazione. Perchè nessuno maggior indizio si puote avere della rovina di una provincia che veder dispregiato il culto divino* ».[1]

58) Posset quis opponere per nostram theoriam, quae tuetur religionem ab auctoritate civili promovendam esse, imminui societatis libertatem; sed contra hos reponimus negantes suppositum. Nulla enim in casu haberetur coactio *physica,* quae posset libertatem minuere. Ceterum libertas ad malum et errorem, potius dicenda est libertatis defectus, quam libertas, quae, ut ait Mazzella,[2] non est facultas distincta in nobis, sed est *radicaliter intellectus, formaliter voluntas;* proinde obiectum ad quod libertas naturaliter tendit, est ipsum intellectus et voluntatis obiectum, idest verum et bonum. Ergo status promovendo veram religionem, nihil aliud facit, quam singulis civibus media tribuere prosequendi obiectum adaequatum intellectus et voluntatis, nempe verum et bonum. Insuper notetur quod penes omnes Status, in quibus auctoritas sollicita est de vera religione promovenda, nunquam singuli cives vi adstringuntur ut religionem status amplectantur.

59) LIBERALISMUS.[3] Hujusmodi error, vel potius erro-

---

[1] Cf. TAPARELLI, *Diritto naturale,* vol. I, diss. 4, c. 4, art. 2.; LIBERATORE, *La Chiesa e lo Stato,* c. I, art. 4 et 7.

[2] Op. cit. n. 59.

[3] Cf. opus eruditissimum ALPHONSI MARIAE VESPIGNANI, *Episcopi Caesen.* quod inscribitur: *In liberalismum universum trutina* (ann. 1899).

rum systema et congeries, quem nostris praesertim diebus maxime propagatum nimium quantum deploramus, fundatur in totali rationis humanae *autonomia* et *libertate* ab omni criterio naturali et supernaturali, praeter proprium. Potest cum clarissimo *Vespignani* describi: *Magnus quidam error, seu verius, haeresis quaedam, qua ex assertâ humanae rationis autonomiâ, cuicumque hominum factum est jus nativum rebus ipsis legislatorem agendi, tribuiturque ad libidinem quodlibet sentiendi audendique licentia.*[1] » Vel brevius cum Crosta: « *Systema, quo, ex asserta plus minus individualis rationis autonomiâ, cuique tribuitur quidlibet sentiendi audendique licentia.* » In qua definitione affirmamus 1°) liberalismum esse errorum summam ex Rationalismo dimanantem, a quo tamen distinguitur ratione originis, quae tribuitur *licentiae quidlibet sentiendi audendique*, nempe *humanae libertati;* 2°) esse errorem *practicum,* non tantum *speculativum;* 3°) admitti tamen liberalismi gradus exurgentes *ex plus minus* adsertâ rationis automiâ.

60) *Varii liberalismi gradus.* — Ex mensura et gradu diverso autonomiae, quae humanae rationi vindicatur, diversi defluunt *liberalismi* gradus, quorum praecipui recensentur *liberalismus religiosus* et *liberalismus politicus* seu civilis. a) *Liberalismum religiosum* habemus per denegationem debitae Deo submissionis et obedientiae, qui *satanicus* et *absolutus* appellatur si vindicet humanae rationi absolutam conscientiae, cultus, actionum licentiam, omnimode Deo obedientiam detrectans; *relativus* autem et *temperatus* si Deo creatori subesse consentiens, revelanti tamen subiectionem detrectet, et solam religionem naturalem approbans, quamcumque tanquam bonam admittat. b) *Liberalismus politicus* non Deo directe, sed iis qui a Deo suam derivant potestatem, praesertim Ecclesiae Pastoribus obedientiam denegat.[2] Liberalismus politicus dicitur *ri-*

---

[1] Op. cit. p. 28.

[2] Notetur tamen etiam liberalismum politicum semper originem ducere ex superius adsertâ humanae rationis autonomiâ.

gidus si Statum omnino ab Ecclesia sejungendum praedicet, cupiens Statum laicum, atheumque haberi, ad summum singulis civibus facultate facta quamcumque privatim religionem profitendi; dicitur vero *mitior* qui negans separationem Ecclesiae a Statu, Ecclesiae ipsi, quam veluti collegium considerat, naturam societatis perfectae, juraque exinde manantia non concedit.[1] Hisce accedunt hodierni catholici liberales, qui quamvis non approbent bonorum Ecclesiasticorum distractionem, nihilominus exoptant Ecclesiam Statui morem gerere, et per remissionem quandum, quam vulgo « *Conciliazione* » appellant, se temporum moribus accomodare.[2]

61) Liberalismi auctores si quaeramus, plures inde a primis Ecclesiae saeculis licebit invenire. Ceterum ut recentiores recolamus, Occas, Marsilius Patavinus, Petrus Iurien,[3] Protestantes *Angliae et Germaniae* se se nobis offerunt. Hodiernum autem liberalismum originem ducere a *Declaratione jurium ad homines spectantium* edita tempore Gallicae perturbationis, quae saeculo XVIII evenit, nemo est qui ambigat.

62) Quamvis haec de liberalismo quaestio sit fusius pertractanda in tractatione *de Ecclesia*, ubi expendenda erit doctrina de relationibus juridicis Ecclesiam inter et Statum, interea tamen monemus liberalismum esse rejiciendum,

---

[1] Hujus liberalismi natura exprimitur per tritam formulam: *Chiesa libera, in libero Stato.* Liberalium errores ita egregie exponit Leo XIII (Encyc. *Libertas*): « *Plures enim rempublicam volunt ab Ecclesia sejunctam et penitus et totam, ita ut in omni jure societatis humanae, in institutis, moribus, legibus, reipublicae muneribus, institutione juventutis, non magis ad Ecclesiam respiciendum censeant, quam si esset omnino nulla; permissâ ad summum singulis civibus facultate, ut privatim, ut libeat, dent religioni operam* ».

[2] Cf. *La Conciliazione* pensieri di un uomo di Stato, cujus argumenta eruditissime historice et juridice insectatur et refutat clarissimus Adulphus Giobbio, *Juris Publici Ecclesiastici* in Universitate Romana ad S. Apollinaris professor, in opusculo sub pseudonimo *Cecilio*, quod inscribitur: *La Conciliazione.*

[3] Floruit saeculo XVII, librumque conscripsit cui titulus: *De Janua coelorum omnibus reserata.*

quia, ut ait Summus Pontifex Leo XIII (Encyc. *Libertas), nihil tam perversum praeposterumque dici cogitarive posset quam illud, hominem, quia natura liber est, idcirco esse oportere legis expertem: quod si ita esset, hoc profecto consequeretur, necesse cum libertate esse non cohaerere cum ratione: cum contra longe verissimum sit, idcirco legi oportere subesse, quia est natura liber.* »

Verum, admisso liberalismo, sensus publicus moralis et religiosus nullam aut exiguam haberet sanctionem, et publica tranquillitas societatis perturbaretur, quia liberalismus impediens cöercitionem abusus libertatis, efficeret ut pars seditiosa civium praevaleret.[1]

CAPUT II

DE NECESSITATE REVELATIONIS.

63) Vidimus hucusque omnes homines, sive singillatim, sive simul sumptos adstringi ad veram religionem profitendam. Sed quaenam religio vera dici poterit, cum attentâ hominis naturâ difficile sit, ut ipse possit per suas vires assurgere ad verae religionis notitiam? Quare inquirimus utrum necessaria sit *revelatio* ad veram religionem cognoscendam; unde hoc in capite expendimus quaestiones quae circa revelationis *notionem*, *possibilitatem*, *convenientiam*, et *necessitatem* moveri possunt.

ARTICULUS I

NOTIO REVELATIONIS.

64) In hoc articulo id inquirimus: quae sit germana notio revelationis et species, rejectis praeposteris ejusdem notionibus. Certe haec quaestio olim brevissime expende-

---

[1] Cf. Cavagnis, Op. cit. p. 330; Idem, *Della natura di società giuridica e publica competente alla Chiesa.* Sarda J Salvany, *Il liberalismo è peccato;* cap. 10.

batur, modo vero fusius pertractanda est, ob errores circa revelationem longe lateque propagatos.

§ I. — Revelationis germana notio et species.

65) Si vocem ipsam spectemus, *revelatio*, quasi *veli remotio*, idem sonat ac rei occultae manifestatio; et latissime accepta nihil aliud est, quam *manifestatio veritatis vel occultae vel obscurae, vel quae non possit aliunde cognosci;*[1] seu est *lux inter verum et intellectum.* Porro in revelatione tria requiruntur, nempe *veritas manifestanda, principium* ipsam manifestans et *terminus* ad quem manifestatio dirigitur. Quoniam autem principium manifestans potest esse vel *divinum* vel *humanum*, prout nempe vel Deus, vel homo occulta pandit, constat revelationem posse esse vel *divinam* vel *humanam.* De hac haud solliciti, consideramus hic tantum divinam, quae generice potest definiri: *manifestatio rerum a Deo facta hominibus.*[2]

66) Haec vero manifestatio potest fieri *naturaliter* et *supernaturaliter,* prout scilicet veritates manifestantur per media naturalia, vel supernaturalia; hinc habemus distinctionem revelationis in *naturalem,* quae fit per creaturas, juxta verba Pauli ad Romanos (I, 20), et est « *manifestatio veritatis per exercitium facultatum quae naturaliter nobis insunt vel per signa;* » et in *supernaturalem,* quae talis potest esse vel *quoad modum tantum*, vel *quoad modum et rem*, prouti veritates, licet ordinis naturalis, innotescunt per medium nobis non connaturale, vel prouti veritates excedunt capacitatem intellectus creati, et ipsi per medium non connaturale innotescunt, ut ecce revelatio mysteriorum. Supernaturalis revelationis duplicem gradum

---

[1] Cf. Mazzella, Op. cit. n. 94; Hurter, *Theol. Dogm.* tom. I n. 5 sq.; Crosta, op. cit. n. 41; Tanquerey, *Synopsis,* tom. I, n. 24; Pesch, *Prael. dogmat.* vol. I, n. 151 sq.; Zigliara, *Propaedeutica ad sacram Theologiam,* lib. II, p. 118.

[2] Hoc vocabulo revelationis, ut fatetur ipse Röhr, saepe utuntur Rationalistae ad simpliciores homines decipiendos.

HURTER cum SCHEEBEN distinguit, scilicet revelationem *gratiae* per verba legatorum divinorum, et *gloriae* per claram et immediatam visionem divinae essentiae.

67) Porro revelatio supernaturalis gratiae, de qua unice hic loquimur, potest considerari *subiective* et *obiective.*[1] Subiective quidem, et est *veritatis per divinam testificationem manifestatio;* obiective vero, est *vel ipsa veritas, vel veritatum complexus per modum naturali hominum lumini indebitum manifestatus.*[2] Ad subiectivam revelationem quod attinet, notetur per verbum « *testificatio* » intelligi necessarium esse testimonium aliquod, ut propter hoc verbis fides adhibeatur, quia non est simplex locutio magistralis scientiam intendens, sed veritatis propositae divina attestatio, fidem exigens; quare simplex rerum scientia absque testificatione, nonnisi improprie revelatio dicenda erit. (QUAEST. DISPUT., q. *XI de Magistro,* art. I).

68) Rursus si revelatio supernaturalis consideretur *quoad modum* quo fit, est *immediata* quando Deus per se absque hominis interventu hominibus veritatem manifestat, ut ecce revelatio Moysi facta, Prophetis et Apostolis; [3] *mediata* vero si fiat hominibus per hominem, tanquam Dei legatum. Verum revelatio immediata *subiective* considerata, ex parte *acceptionis* est *corporalis, imaginaria,* et *intellectualis.*[4] 1°) *Corporalis* quidem cum divinitus species fit in sensu externo, quasi praesentia essent corpora, a quibus in sensibus fiunt species sensibiles; 2°) *imaginaria, quando,* uti ait Angelicus *(Qq. disp., De Veritate,*

---

[1] Revelatio tam subiectiva quam obiectiva dicitur *completa.*

[2] Saepe nomine revelationis intelligimus complexum documentorum spiritualium, quae humanam rationem transcendunt, quae, uti ALLIGHERIUS affirmat *(Monarchia* III, 15) possunt nos ad vitam aeternam adducere, *dummodo illa sequamur secundum virtutes theologicas operando Fidem scilicet, Spem et Caritatem.* Ceterum de revelatione obiectiva sermo fiet, quando loquemur de fide.

[3] Quando dicimus factam a Deo *per se* excludimus solum hominum interventum, non vero Angelorum ministerium.

[4] Alii dividunt revelationem in *internam* et *externam,* quae tamen divisio affinis est divisioni superius allatae.

q. XII, art. 12) *divinitus in spiritu prophetae rerum imagines formantur;* 3°) *intellectualis* denique *quando ita clare veritatis cognitio intellectui infunditur, ut non ex similitudine aliquarum imaginum veritatem accipiat, immo ex veritate jam perspecta ipse sibi imagines formare possit, quibus utatur propter naturam nostri intellectus.* (S. Thom., *Ibidem.*) Triplicem hunc revelandi modum ita exponit Angelicus Doctor: « *Repraesentantur autem divinitus menti prophetae quandoque quidem mediante sensu exterius quaedam formae sensibiles, sicut Daniel vidit scripturam parietis, ut legitur* Dan. V; *quandoque autem per formas imaginarias, sive omnino divinitus impressas, non per sensum acceptos (puta si alicui coeco nato imprimerentur in imaginatione colorum similitudines), vel etiam divinitus ordinatas ex his quae a sensibus sunt acceptae, sicut Jeremias vidit ollam succensam a facie aquilonis, ut habetur* Jer. I; *sive etiam imprimendo species intelligibiles ipsi menti, sicut patet de his qui accipiunt scientiam vel sapientiam infusam, sicut Salomon et Apostoli.* » (S. Th. II-II, q. 173, art. 3).

69) Sin autem sermo fiat de revelatione immediata *obiective* consideratâ, semper tamen ex parte acceptionis, haec revelatio haberi potest rel *quoad rem* tantum, rel *quoad judicium* tantum, vel *quoad utrumque.* 1°) *Quoad rem* si facta simpliciter percipiantur, ut ecce visio Pharaonis;[1] 2° *quoad judicium* tantum si de re ab alio narrata judicium et interpretatio proferatur, aliis verbis si factorum significatio explicitur, ut evenit in Joseph qui Pharaonis somnium explicavit (Cf. S. Th. II-II q. CLXXIV, art. 2 ad 3^{um}; Qq. disp., *De veritate,* q. XII art. XII); 3°) quoad utrumque quando facta et significatio eorundem manifestantur, ut evenit de sommo Nabuchodonosor Danieli manifestato,[2] et de virgâ vigilanti ac ollâ succensâ Ieremiae ostensâ.[3]

70) Revelatio immediata item dividitur in *activam* et

---

[1] Genesis, XLI, 18–19.
[2] Dan., II, 19–29 et sqq.
[3] Jeremias, I, 11–14.

passivam; quarum prima est ipsa actio Dei moventis intellectum ad veritatis cognitionem, et definitur: « *ipsa actio qua Deus veritatem manifestat;* » altera vero, idest passiva, quatenus in subiecto recipitur, est *perceptio divinae locutionis qua Spiritus Sanctus interius mentem alloquitur.*[1] Hinc fit ut per revelationem passivam habeatur *certitudo,* tum *obiectiva,* qua res revelatas veras esse cognoscimus, tum *subiectiva,* qua certi sumus de facto Deum veritatem manifestasse.[2]

71) Insuper revelatio tam immediata, qua mediata ratione termini vel subiecti dividitur in *privatam* et *publicam.* α) *Privata* quae per se ad unum vel paucos a Deo destinatur, in quorum utilitatem cedat. Dicimus per se, quia per accidens potest in totius communitatis utilitatem cedere. β) *Publica* quae ad totius communitatis utilitatem primario destinatur, licet uni homini sit facta.

72) Animadvertamus insuper oportet revelationem distingui ab *illustrationibus,* a simplici *assistentia,* ab *inspiratione. a)* Ab *illustrationibus* distinguitur, quatenus illustratio nihil aliud importat, quam Dei motionem, qua mens nostra adjuvatur ad res jam revelatas melius percipiendas; *b)* a simplici *assistentia,* quâ solummodo errores praecaventur; *c)* ab *inspiratione*[3], quae aliquando movet auctorem ut scribat res jam notas aliunde, et proinde absque revelatione consistit.

73) Denique notetur obiectum materiale revelationis esse duplex, scilicet tum veritates, quae naturali ratione cognosci possunt, tum mysteria, quae nunquam per ratio-

---

[1] Cf. Crosta, Op. cit. vol. I, n. 43; S. Thom., *Quaest. disp. De veritate,* q. XII, art. I; *S. Theol.* II–II, q. CLXXI, art. 5.

[2] Verum revelatio passive sumpta distinguitur ab evidentia, qua rerum essentiam cognoscimus et intime naturaliterque veritatem penetramus, quia per revelationem veritatem revelatam obiective cognoscimus, et insuper scimus ipsam reapse revelatam esse.

Circa certitudinem *obiectivam* et *subiectivam* confer clarissimum De-Maria, Op. cit. tom. II, p. 207.

[3] *De inspiratione* ejusque naturâ, extensioneque loquemur inferius in tractatu de Scripturâ.

nem naturalem possunt innotescere. Ad rem Concilium Vaticanum (Sess. 3, cap. 4; DENZINGER, n. 1643) definit: « *Hoc quoque perpetuus Ecclesiae catholicae consensus tenuit et tenet, duplicem ordinem cognitionis, non solum principio, sed* OBIECTO *distinctum.... obiecto autem, quia* PRAETER EA, AD QUAE, NATURALIS RATIO PERTINGERE POTEST, credenda nobis proponuntur MYSTERIA IN DEO ABSCONDITA, QUAE, NISI REVELATA DIVINITUS, INNOTESCERE NON POSSUNT ».[1]

§ II. — ERRORES REVELATIONEM IMPUGNANTES.

74) Expositam revelationis notionem non suscipiunt *Rationalistae* et *Naturalistae;*[2] quorum errores, quamvis

---

[1] Omittimus heic mysterii notionem, quam explicabimus probantes thesim utrum sit possibilis mysteriorum revelatio.

[2] Historiam rationalismi fuse admodum pertractarunt: VIGOUROUX, *Les Livres Saints et la Critique Rationaliste,* tom. I et II; *La bible et les découvertes modernes,* tom. I, p. I sq.; *Manuale biblico, ed. ital.* tom. III, p. 43 et. seg.; JUNGMANN, *De Vera relig.* N. 11 sq.; LECKY, *Historia rationalismi in Europa;* HURST, *Historia rationalismi;* G. TERRANOVA, *Il razionalismo, filosofia delle eresie e della loro storia;* COSTANZI, *Il Razionalismo e la ragione Storica;* TANQUEREY, op. cit. p. 46 seg.; H. DE VALROGER, *Etudes critiques sur le Rationalisme contemporain;* HAGENBACH, *History of doctrines,* vol III, p. 247 sq.; F. LICHTENBERGER, *Histoire des Idées Religieuses en Allemagne depuis le milieu du XVIII s. jusqu'à nos jours;* G. GOYAU, *L'Allemagne religieuse;* ect., ect.

Ceterum ut quaedam innuamus de rationalismi origine et evolutione, sufficiat monuisse rationalismum inde ab haeresi gnostica originem duxisse, cum hodiernus rationalismus nihil aliud sit quam gnosticismi refricatio et evolutio. Quare inter rationalismi fautores ex veteribus accensemus *Celsum, Lucianum Samosatenum, Porphirium, Julianum Apostatam, Paulum Samosatenum, Theodorum Mopsuestenum, Pelagium;* ex iis qui medio aevo floruerunt, *Abaelardum, Arnaldum Brixiensem, Fridericum II Germaniae imperatorem,* qui de tribus seductoribus librum exaravit, *Aviccennam, Averroem, Laurentium Valla, Pomponium Laetum, Macchiavelli;* ex recentioribus, *Laelium Socinum; Faustum Socinum, Grotium, Spinozam, Woolston, Voltaire, J. J. Rousseau, Cousin, Jouffroy, J. Simon, Wolfium, Kant, Strauss, Renan, Baur, Graf, Welhausen, Ewald, A. Ritschel, Wegscheider, Biedermann, Hegel, Rothe, Dorner, Pfleiderer, Harnack, Ficker, Dieterich,* ect. ect.

inter se essentialiter non differant, nihilominus a quibusdam quodammodo classificantur, quatenus naturalismus quemcumque ordinem supernaturalem denegat, rationalismus vero revelationem quandam nomine tenus admittens, facto denegat. Nos unico vocabulo *rationalismi*, utrumque errorem comprehendimus; quare nomine rationalismi intelligimus *systema quod nimium rationi tribuens, hanc velut unicam veri et falsi normam in re religionis constituit, reiiciendo revelationem tanquam impossibilem, vel saltem inutilem.* In hac definitione dicimus nimiam vim rationi tribui a rationalistis, quatenus eam unicam veri et falsi normam in re religionis constituunt; licet enim ratio sit unica norma veri et falsi in ordine intelligibilium, quae capacitatem intellectus creati non excedunt, hoc idem affirmare non possumus in ordine veritatum supernaturalium, ubi revelationem invenimus tanquam praecipuam veri et falsi normam, quamvis tamen non excludatur rationis assensus; rationis namque est revelationi famulari. (Cf. S. Th. I, q. I, art. 5). Triplex rationalismi forma habetur, nempe *rationalismus theologicus*, qui et *semi-rationalismus* appellatur, *rationalismus biblicus*, et *rationalismus philosophicus*.[1] De singulis brevissime.

75) 1° *Rationalismus theologicus*, dum nomina revelationis et inspirationis retinet, negat tamen rem ipsam, quatenus admittit Deum homines impellere ad veritatem per rationis vires acquirendam, et speciatim homines ingenio pollentes inducit ut veritates apprehensas, aliis manifestent et quodammodo revelent. Hunc errorem pro-

---

[1] Episcopus Bonomelli circa rationalismum haec habet: « *È sempre la solita confusione. Usare della ragione è diritto sacro, inalienabile, e può in moltissimi casi essere un dovere: abusarne è un male, e questo si chiama* RAZIONALISMO. *Il principio è chiarissimo. Dove giunge il diritto e il dovere dell' uso e dove comincia l' abuso, ossia il razionalismo? Qui sta la difficoltà del distinguere; giacchè se vi sono certi confini, valicando i quali si cade certamente nel razionalismo, vi sono anche certi limiti, nei quali rimanendo fedelmente, per gli uni si pecca di razionalismo, per gli altri si usa semplicemente della ragione. Non è sempre facile fissare i termini fra l' uso e l' abuso della ragione* (Cf. Monsabrè, *Introduzione al*

fitentur *Unitarii* hodierni et plurimi Protestantes liberales. Ex his praecipuus est WEGSCHEIDER († 1749), qui omnem revelationem supernaturalem negat veluti superfluam, quia, en ejus verba, « *ipsa humanae mentis natura et summi numinis idea recte efformanda, omnem excludunt supernaturalis revelationis necessitatem* (Cf. WEGSCHEIDER, *Instit. Theol. Dogm., Prolegom.* C. I) et *universalis revelatio ea est, quae naturalibus animi facultatibus aliisque rerum naturae praesidiis efficitur, quibus homo ad concipiendam colendamque rerum divinarum notitiam adducitur. Particularem eamque mediatam dicimus eam* (revelationem), *quae continetur complexione rerum secundum naturam evenientium, quibus Deo auctore nonnulli homines, praeter ceteros excitati sunt ad verae religionis principia cognoscenda eaque popularium quidem desideriis accomodata et singulari religionis instituto sancita, insigni cum successu aliis tradenda.... Hujusmodi revelationis nuncius et quasi interpres, quo magis apertis divinae providentiae documentis adjutus et sancto quodam fervore plenus et virtutis pietatisque studio excellens doctrinae vere divinae, idest per se verae Deoque dignae semina sparserit, eo verius apud alios homines doctoris seu legati divini auctoritate pollebit.*[1] Quare ex hisce WEGSCHEIDER verbis et ex integro ejus opere theologico, haec deduci possunt, scilicet: 1°) revelationem non esse necessariam cum de rebus religiosis

---

dogma cattolico tom. I, p. 69 in nota). Sed cum pace tanti viri dictum sit, ipsum haud recte distinguere inter usum rationis in re religionis et usum ejusdem in re scientifica. In scientiis enim utique limites latius patent, ac concessio eos praetergrediendi a quibusdam datur, et in hoc cum Bonomelli licet affirmare: *vi sono certi limiti, nei quali rimanendo fedelmente, per gli uni si pecca di razionalismo, per gli altri si usa semplicemente della ragione;* verum in *re religionis,* cum jam limites praefiniti sint, non debemus ultra citraque per rationem vagari; facillime enim abusibus via aperitur; unde fit ut etiam catholici viri, iique doctissimi, aliquando quaedam doceant, quae Protestantium rationalismum redolent.

[1] Cf. DENZINGER, *Religiöse Erkenntnis* p. I, pag. 213; LYON, *Studi sulle sette;* MARTINEAU, *The Seat of Autority in Religion;* TANQUEREY, *Synopsis,* tom. I, p. 54 sq.; WILLMERS, Op. Cit. p. 50 seg.; MAZZELLA, Op. cit. p. 60, n. 102.

investigandis ratio sufficiat; 2°) duplicem admitti naturalem revelationem, nempe *communem*, quae in ipso lumine rationis consistit, et *specialem*, quae propria est hominum ingenio pollentium, quaeque fructus est naturalis fluens ex ipsa ingenii acie; 3°) mysteria capacitatem intellectus excedentia esse rejicienda, vel saltem naturaliter et secundum rationem explicanda.

76) Pariter cum Wegscheider errant illi, qui revelationis immediatae, (quam tamen naturalem supponunt cum supernaturali confundentes) tria distinguunt momenta, secundum quod Deus se manifestat in *intellectu*, in *conscientiâ*, in *libertate humanâ*, et revelationem mediatam praecise collocant in iis quorundam hominum dotibus ingenii, quae id efficiunt ut religionis evolutores et auctores, tanquam Dei legati habeantur. Hanc opinionem Biedermann [1] invexit, cui accedit *Strauss* [2], qui affirmat omnes prophetas res clare intellectas a Deo sibi immissas putasse.

77) Pfleiderer [3] vero opinatur nullam *revelationem* vel *inspirationem* divinam haberi posse absque facultatum humanarum cooperatione. Jamvero, ipse substantialiter ait: « ubi cooperantur facultates humanae, hoc fit secundum leges psycologicas immutabiles, quibus excluditur omnis revelatio, in qua animus humanus mere passive se habeat, et homo fiat os, per quod alius loquatur. Quare si homo active concurret, jam revelatio non est exclusive divina et absolute vera, sed continet elementa humana et fallibilia. Proinde nulla unquam adfuit vel adesse potest doctrina revelata absolute immutabilis, et dogmata consequenter successu temporum perficiuntur et excoluntur, prout progressus scientiae postulat. » Et hisce verbis concludit: *Nullus error major haberi potest, ac si credamus hominem posse ideas et opiniones habere absque propria cooperatione. Nostrae ideae non pendent neque a spiritu nostro, neque ab animi nobilitate, sed potius sunt effectus cujusdam*

---

[1] Christl. Dogm. (1884) § 107.

[2] Glaubenslehre, *Dargestellt von Philalethus.*

[3] Cf. Pfleiderer, *Grundriss der christl. Glaubens-und Sittenlehre.*

infinitae sequelae functionum psycologicarum de quibus nobis ipsis non valemus rationem reddere. Huic Pfleiderer opinioni consona sunt DORNER verba, qui in revelatione duplicem partem distinguit, interiorem nempe et exteriorem; quarum prior inspiratio dicitur, manifestatio altera. *Interior* consistit in influxu quem Deus circa spiritum theoreticum et practicum exercet, quin tamen ejus spontaneitatem impediat, quam potius auget; *exterior* consistit in factis extraordinariis quibus Deus utitur ut nostram attrahat mentem ad fidem augendam.[1]

---

[1] Quamvis hae omnes opiniones indirecte refellantur per demonstrationem possibilitatis et necessitatis revelationis, nihilominus non erit inutile quaedam heic adnotare, quibus magis directe hos errores refutemus. Generatim animadvertimus has opiniones pantheismum redolere, quatenus Rationalistae supponunt Deum per *modum identitatis* esse in omnibus rebus, et seipsum manifestare praecipue hominibus qui pollent ingenio. Ad Wegscheider quod attinet dicimus 1°) rationem non sufficere ad res religionis investigandas, quia agitur de ordine omnino naturalem excedente; intellectus enim humanus illas tantum veritates cognoscere valet, quae sunt suae potentiae intellectivae proportionatae. Verum etsi concederetur has veritates esse obiectum adaequatum intellectus humani, attamen si hujusmodi veritates solummodo rationi inquirendae relinquerentur, inde exurgerent, uti admonet Angelicus, (Summ. Contra Gentes, l. I c. 4) tria inconvenientia: α) *unum est, quod paucis hominibus Dei cognitio inesset. A fructu enim studiosae inquisitionis, qui est veritatis inventio, plurimi impediuntur tribus de causis. Quidam propter complexionis indispositionem, ex qua multi naturaliter sunt indisposiți ad sciendum; quidam vero impediuntur necessitate rei familiaris;... quidam autem impediuntur pigritiâ....* β) *Secundum inconveniens est, quod illi qui ad praedictae veritatis cognitionem vel inventionem pervenirent, vix post longum tempus pertingerent, tum propter hujusmodi veritatis profunditatem, ad quam capiendam per viam rationis nonnisi post longum exercitium intellectus humanus idoneus invenitur; tum etiam propter multa quae praeexiguntur,.... tum propter hoc quod, tempore juventutis, dum diversis motibus passionum anima fluctuat, non est apta ad tam altae veritatis cognitionem, sed in quiescendo fit prudens et sciens....* γ) *tertium inconveniens est, quod investigationi rationis humanae plerumque falsitas admiscetur propter debilitatem intellectus nostri in judicando, et phantasmatum permixtionem. Et ideo apud multos in dubitatione remanerent ea, quae sunt verissime etiam demonstrata, dum vim demonstrationis ignorant, et praecipue quum videant a diversis, qui sapientes dicuntur, diversa doceri. Inter multa etiam vera,*

78) 2° *Rationalismus biblicus* respuit modo Sacrarum Scripturarum inspirationem, modo quorundam librorum authenticitatem, rejiciendo a priori quidquid in eis supernaturale invenitur, et consequenter revelationem ipsam; unde

---

quae demonstrantur, immiscetur aliquando aliquid falsum, quod non demonstratur, sed aliqua probabili vel sophistica ratione asseritur, quae interdum demonstratio reputatur. 2°) Affirmamus insuper revelationem *communem* non esse admittendam, quia jam vidimus Deum ex rerum creatarum observatione non *per identitatem* cognosci, sed *per analogiam* tantum; neque admittendam esse revelationem *specialem,* constat enim etiam homines ingenio pollentes non posse videre Deum per identitatem in rebus manifestatum, quamvis ipsis facilius sit ad pleniorem Dei notitiam per creaturarum contemplationem devenire. Ceterum fieri nequit ut genus humanum doceatur a paucioribus illis, qui ad evolutiorem religionis cognitionem pervenisse supponuntur, tum quia pauciores illi et peritiores non possunt doctrinam ita proponere, ut ob solam ipsorum auctoritatem admittatur a reliquis, praesertim attenta auctoritatis ipsius humanae exiguitate exurgente ex doctrinarum diversitate et pugna; tum quia illi nequeunt docere reliquos veritates per internas rationes eas demonstrantes, nam uti per difficultates supra ab Angelico descriptas plurimi a veritate invenienda prohibentur, ita etiam plurimi ob easdem difficultates impediuntur a doctrina haurienda per disciplinam vel magisterium. Denique pauciores illi non sufficerent ad congruam religionis cognitionem pariendam, ob errores quibus saepe doctrina humana obnoxia est. 3°) Tandem animadvertimus *mysteria,* etsi capacitatem intellectus excedant, esse nihilominus intellectui conformia, nec unquam rationi contradicere; unde concludimus ea non esse curiosius investiganda, multoque minus juxta placita rationis explicanda, sed fideliter credenda. Quare cum divo Thomâ placet animadvertere: *Sicut igitur maximae amentiae esset idiota, qui ea, quae a philosopho proponuntur, falsa esse assereret propter hoc, quod ea capere non potest; ita et multo amplius inimiae stultitiae esset homo, si ea, quae divinitus revelantur, falsa esse suspicaretur ex hoc, quod ratione investigari non possunt (S. Contra Gentes,* l. I, c. 3).

Fere iisdem argumentis refellitur opinio illorum qui putant immediatam revelationem haberi per Dei manifestationem in *intellectu,* in *conscientiâ,* et in *libertate humanâ,* suoque destituitur fundamento opinio *Strauss* affirmantis prophetas esse auctores et evolutores religionis, quatenus res de Deo clarius perceperunt. Verum hi, ex quibus etiam Dorner est recolendus, praeter quam quod verum phantheismum doceant, confundunt revelationem cum *auxilio interno,* quo homo adjuvatur ad illam admittendam. Revelatio enim respicit veritatum absconditarum manifestationem, auxilium autem internum non versatur circa novas

fit ut etiam religio christiana non sit divinitus revelata, sed humanum systema per fusionem doctrinae a Christo, Petro et Paulo praedicatae.[1]

---

veritatum manifestationes, sed circa assensum excitandum, qui est veritatibus revelatis praestandus. Quare licet concludere hanc internam operationem non esse cum miraculo confundendam, quia non omnis operatio supernaturalis est miraculum, quamvis miraculum ipsum sit quaedam operatio supernaturalis. Deus enim semper supernaturaliter in mentes hominum agit, quando gratiam largitur; nemo tamen sanae mentis hanc gratiae largitionem miraculum appellare audebit. Relate vero ad *Pfleiderer* opinamenta, notamus in primis non posse sustineri quod ipse asserit, nempe non esse admittendum quidquid humana ratio intelligere nequit, de facto enim constat plurima haberi, quae tamen nequeunt intelligi ab humana ratione, ut ecce vires telluris. Praeterea erronee asserit Pfleiderer hominem passive tantum concurrere ad revelationem, scimus enim hominem *passive* et *active* concurrere. *Passive* quidem quatenus intellectus ejus obedientialiter ad altiorem ordinem elevatur; *active* vero, quia homo in revelatione accipienda *vitaliter* agit, uti in omni alia cognitione, quamvis hujusmodi actus vitalis sit a Deo illustratus et confortatus. Uti, exempli gratiâ, impressio specierum, quae fit ab externis obiectis in sensus nostros, activitatem hominis non tollit, ita impressio specierum, a Deo facta, non tollit, immo includit hominis vitalitatem. Verum ex hac hominis cooperatione non sequitur revelationi divinae ita misceri elementa humana, ut rei veritas tollatur; quia ubi habetur revelatio, ibi habetur etiam absoluta et immutabilis veritas ejus rei, quae revelatur, cum revelatio nihil aliud sit, quam manifestatio cognitionis divinae, quae non potest esse falsa aut mutabilis. Unde concludimus elementa humana non afficere *id quod* cognoscitur, sed *modum quo* cognoscitur. Quare omnis imperfectio, si quae possit haberi in revelatione, se tenet ex parte illorum ad quos revelatio dirigitur, scilicet in *modo* quo rem apprehendunt, quia veritatem apprehendunt non proprie, sed per *conceptus analogicos*, quo fit ut veritatem non sufficienter apprehendant. Quibus incommodis occurrit Dei auxilium, haec tamen imperfectio *quoad modum* cognoscendi, non efficit ut revelationi errores admisceantur, omnis enim res revelata est in se et remanet immutabiliter vera. Nihilominus haec immutabilitas non excludit quominus veritates progressu temporum melius innotescant, quia in *intellectu* revelatarum veritatum potest admitti profectus, quin tamen cogamur admittere dogmata per progressum temporum et scientiae perfici. (Cf. *S. Th.* II–II, q. 171, art. 4, 5, 6; I, q. 16, art. 8; Pesch, *Op. cit.*, tom. I, p. 92–94; Denzinger, 1489–1493, 1140, 1659).

[1] Hujus rationalismi fautores licet invenire Kant, et Baur quorum pior opinionem *Petrinismi* et *Paulinismi* invexit.

79) 3° *Rationalismus philosophicus* qui etiam *theismus* appellatur, conatur argumentis metaphysicis, ex *independentia* et *sufficentia* rationis depromptis, negare revelationis possibilitatem et necessitatem. Fautores hujus systematis contendunt nullum validum afferri posse documentum ad revelationem probandam, cum miracula nec dari, nec saltem, si dentur, certo cognosci possint.

ARTICULUS II

REVELATIONIS POSSIBILITAS.

80) Ut hanc quaestionem rite persolvamus ad errores adversariorum refellendos, duo a nobis inquirenda sunt, scilicet 1°) possibilem esse revelationem cujuslibet veritatis, neque illis veritatibus exclusis quae mysteria dicuntur; 2°) mysteria de facto existere[1]; aliis verbis dicimus revelationem sive *in se* consideretur, sive ex parte *obiecti*, semper possibilem esse.[2]

81) NOTIO MYSTERII ET DIVISIO. — Vox *mysterium* (μυστήριον) latissimo sensu accepta quidquid occultum vel absconditum est significat. Quare apud sacros scriptores mysterium aliquando sumitur ad *secreta* in genere significanda, et idem sonat ac *sacramentum*, uti videre est penes Tobiam (XII, 7): *Etenim sacramentum* (mysterium, secreta) *regis abscondere bonum est*;[3] aliquando vero ad significanda Dei secreta, scilicet mysticam arcanam doctrinam, simul et

---

[1] Agimus hic de mysteriorum existentia, quae a plurimis rationalistis negatur, cum nonnisi id quod ab homine intelligitur, admittendum esse conclament.

[2] Cf. S. THOM., *S. C. Gentil.* l. I, cap. 3–6; VALSECCHI, *De fundamentis religionis*, lib. II, c. 6; WILMERS, *Op. cit.* p. 56 sqq.; CROSTA, *Op. cit.* p, 42; MAZZELLA, *Op. cit.* n. 91 sqq.; PERRONE, n. 5 sq.; JUNGMANN, n. 68 sq.; TANQUEREY, *Op. cit.* p. 56 sq.; GONDAL, *Surnaturel*, p. 305 sq.; SCHEEBEN, *Mysterien des Christ.*, § 2 etc.

[3] Cf. *Eccli.* XXII, 27; *Si aperueris os triste, non timeas: est enim concordatio: excepto convitio, et improperio, et superbiâ, et* MYSTERII (secreti) *revelatione, et plagâ dolosâ; in his omnibus effugiet amicus.* Cf. *Ephes.*, I, 9; III, 9.

sacramenta, indulgentias, aliasque spirituales gratias, per quas hominibus beatitatis janua patescit; quo sensu S. Paulus scribit (I Cor. IV, 1): *Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei*[1]; denique sumitur pro sacris ritibus qui initiatis tantum noti sunt, et hoc sensu adhibetur etiam a scriptoribus Ethnicis.[2] Sin autem mysterium quoad rem, generice tamen, consideremus, dicimus esse *veritatem cujus cognitionem ignoramus.*

82) Jamvero veritatem multiplici de causa ignorare possumus, vel 1°) quia *non est sufficienter proposita potentiae cognoscitivae*, quamvis posset mediis naturalibus consequi, ut ecce secreta cordium, et hujusmodi veritas dicitur mysterium *secundum quid,* vel *relativum;* vel 2°) quia veritatis cujusdam *existentiam* cognoscimus, non autem *essentiam,* ut ecce Dei existentiam cognoscimus, *modum* tamen proprium divinae existentiae, essentiae et perfectionum nonnisi ideis analogicis assequimur; vel 3°) quia *existentiam* cujusdam veritatis naturaliter cognoscere non possumus, sed ejus naturam, post cognitam existentiam, intelligimus; ut ecce unitas regiminis in Ecclesia, infallibilitas Romani Pontificis; vel 4°) quia cujusdam veritatis neque *existentiam*, neque *essentiam* naturaliter cognoscere possumus, ut ecce mysterium Trinitatis, Processio Spiritus Sancti a Patre et Filio, Incarnatio Verbi et alia hujusmodi. Verum sive existentia, sive modus existentiae alicujus veritatis, nos potest fugere vel *per se*, quando vires naturae ad eam investigandam nullimode sufficiunt; vel *per accidens,* quando de se vires naturae ad id assequendum sufficerent, sed attentis specialibus adjunctis nequeunt id, quod possent, assequi. Haec autem veritas quae nullimode potest acquiri per vires naturae dicitur *mysterium absolute;* si conjecturaliter et approximative acquiratur, dicitur *mysterium secundum quid.*

83) Ex dictis patet mysteria stricte dicta posse definiri:

---

[1] Cf. Luc. VIII, 10; I Tim. III, 9.

[2] Cf. Originem, *Hom. IX in Levitic.* n. 10.

Veritas ita intellectus humani capacitatem excedens, ut ejus existentiam ex naturalibus principiis invenire, et essentiam ex internis rationibus positive intelligere non possimus. Huic definitioni consona sunt verba Concilii Vaticani[1] ajentis: mysteria sunt *veritates absolute et per se occultae tum quoad existentiam, tum quoad essentiam, quae suapte naturâ intellectum creatum sic excedunt, ut etiam revelatione tradita, et fide suscepta, ipsius tamen fidei velamine contecta, et quadam quasi caligine obvoluta maneant.*

84) Quare constat haud perfecte perspectam habere germanam mysterii notionem, qui ea restringunt vel ad doctrinas et ritus solis initiatis cognitos, vel ad symbola doctrinas quasdam obscure indicantia, vel ad conceptus quosdam vividiore imaginatione haustos, vel ad eas ordinis naturalis veritates, quae solâ ratione difficilius demonstrantur; quia in omnibus hisce casibus nonnisi improprie vox mysterium adhibetur.

85) Mysteria possunt dividi in *scientifica, theologica* vel mysteria *improprie dicta*, et in mysteria *proprie dicta*, quarum prima, quae etiam *naturalia* dicuntur, habentur si veritates ordinis naturalis nonnisi obscure vel quoad existentiam, vel quoad essentiam cognoscamus, ut ecce existentia electricitatis; *mysteria theologica,* vel *praeternaturalia* sunt illa quae tantum quoad existentiam ignota sunt; denique mysteria *proprie dicta*, vel supernaturalia, sunt illa quae nec *quoad existentiam*, nec *quoad essentiam,* vel saltem quoad *essentiam* tantum naturaliter cognosci non possunt.

86) Doctrina catholica. — Jam verbis superius relatis (n. 83) Con. Vat. quibus genuina mysterii notio exponitur, accedunt ea, quibus mysteria existere, eademque revelari homini posse definitur. Etenim Sess. III (canone I in cp. 4). « *Si quis dixerit, in revelatione divina nulla vera et proprie dicta mysteria contineri.... A. S.* » Pariter de possibilitate revelationis Concilium Vaticanum definivit: « *Si quis di-*

---

[1] *Con. Vat.*, Sess. III, cap. 4.

xerit fieri non posse ut per revelationem divinam homo de Deo, cultuque exhibendo ei edoceatur, A. S.;.... si quis dixerit hominem; ad cognitionem et perfectionem, quae naturalem superet, divinitus evehi non posse.... A. S. ».[1] Hisce verbis innixi statuimus thesim.

87) Propositio III. — *Revelatio supernaturalis in genere sive immediata, sive mediata possibilis est, immo et revelatio mysteriorum, seu illarum veritatum, quae humanae mentis captum superant, nullam involvit repugnantiam.*

88) Status Quaestionis. — Possibilitatem revelationis supernaturalis[2], quam rationalistae denegant, ostendere conabimur, quatenus ipsa nullam importat repugnantiam. Dicimus autem revelationem *immediatam* et *mediatam* esse possibilem, sed potissimum agemus de revelatione *immediatâ*, quia hac demonstrata possibili, cum rationes eaedem applicari possint revelationi mediatae, ultro sequitur et *mediatam* possibilem esse. Verum difficultas pro revelatione mediata admittenda potius ex eo exurgit quod haud facile erit veram revelationem a falsâ distinguere. Ceterum huic difficultati respondebimus inferius quando sermo fiet de notis revelationis, quatenus omnis revelatio divina, ut talis ab hominibus habeatur, debet divina testificatione roborari.

89) Ulterius notetur nos in primis ostendere possibilem esse revelationem cujuslibet veritatis, ut sic via sternatur ad probandum neque revelationem mysteriorum esse impossibilem. Ceterum antequam probemus possibilitatem revelationis mysteriorum, debemus huic quaestioni alteram praemittere de existentia eorundem.

90) Thesis trifarie dividitur, in quarum prima agimus de immediatâ veritatis cujuslibet revelatione, in altera de revelatione mediata, postremo de revelatione mysteriorum.

91) Probatur I Pars. — *Possibilis est revelatio super-*

---

[1] Sess. III, can. 2 et 3, in cp. 2.

[2] Loquimur de revelatione supernaturali et quidem physica, idest de illa quae fit per signa, quia circa naturalem et moralem nulla est difficultas.

naturalis et immediata cujuslibet veritatis. Omnis difficultas pro admittenda revelatione supernaturali exinde repetenda esset quod repugnaret vel ex parte Dei, *seu ex causa efficiente revelationis,* vel *ex parte veritatis revelatae,* vel ex *parte hominis vel subiecti cui revelatio fit.* Atqui nullo ex capite habetur difficultas. Ergo etc.

92) Et sane 1° *non ex parte Dei;* quia Deus habet potentiam tum *physicam,* tum *moralem* revelandi. α) Physicam quidem, Deus enim qui dedit homini facultatem suas cogitationes alteri patefaciendi communicandique, num ipse non poterit per se hominibus veritates absconditas aperire? Neque dicatur Deum jam praestitisse hominibus medium veritatis cognoscendae, scilicet rationis loquelam; quia per hoc non sibi ademit facultatem altera viâ, scilicet supernaturali, easdem veritates vel alias homines docendi. Neque Deum modi latent omnes quibus veritates revelandas hominibus manifestet, quum sit omniscius; nec eum fugit quo meliori id pacto fieri possit, est enim sapientissimus; neque ille impedimento potest ullo detineri, quominus rem executioni mandet, quum sit omnipotens. Inest igitur Deo physica potentia veritates, quascumque voluerit, hominibus revelandi. Quas quidem veritates potest nobis communicare vel *interne* per ideas in mentem infusas, vel *externe* per sensibilem repraesentationem. β) Habet etiam *moralem* potestatem revelandi. Deus enim omnia facere potest quae non repugnant suis perfectionibus. Iamvero revelatio non repugnat *sapientiae divinae.* Hanc quidem repugnantiam admittere Rationalistae vellent, quia per revelationem Deus vel manifestaret veritates quae jam possent per rationem acquiri, et opus conficeret inutile; vel recognosceret inperfectionem operis sui. Verum revelatio non destruit rationem, sed lumen ipsi praebet, quo ratio ipsa veritates naturales facilius et absque errore, supernaturales vero, quas aliter nullo potuisset modo compertas habere, recte apprehendat: idcirco non inutilem sed utillimam praestat rem hominibus. Nec forte Deus dicatur sibi contradicere; quia inde ab aeterno potuit praestituere duplicem pro hominibus cognitionis ordinem, naturalem nempe et supernaturalem.

Nulla vero ex revelatione arguitur in Dei opere imperfectio, qui omnia in sapientia fecit. Potest namque fieri ut naturae in suo ordine nihil omnino desit, et tamen Deus habeat alia bona, quae quamvis ipsi naturae non sint debita, illi tamen convenientia sunt. Neque per revelationem defectus naturae supplentur, sed perfectio naturae ad altiorem ordinem evehitur. Verum etsi concedatur revelationem dari ad naturae defectus removendos, hinc tamen nihil absurdi exurgit; huiusmodi namque defectus simplicem boni alicuius negationem praeseferunt, haud equidem entitatis privationem in re, quae illam naturaliter habere debeat.

Non repugnat pariter Dei *majestati,* quia si Deum non dedecuit hominem condere, ipsum multo minus alloqui dicimus dedecere. Immo exinde homo, qui nequit determinare quid Deum dedeceat, vel non, ejus infinitam bonitatem admirabitur. Ad rem perbelle scribit TANQUEREY:[1] *Nam si Deum non dedecet hominem creare, cur dedeceret de eo curam habere, ejusque morali perfectioni ac aeternae saluti providere? Nostri non est definire quid Deo dignum sit vel non; ipse majestati suae consulet;* NIMIA SANE SOLLICITUDO EST QUAE DEI MANUS LIGAT NE PEREAT DIGNITAS.

93) 2° *Non ex parte veritatis revelatae;* quia, cum multa possint ab homine penitus ignorari, vel saltem haud perfecte cognosci, omnis veritatis revelatio perficit intellectum, cujus obiectum est veritas. Indifferens porro est quod veritatem homo per seipsum cognoscat, vel ab humano magisterio hauriat, seu quoad essentiam, seu quoad existentiam, vel quod ipsam per manifestationem a Deo apprehendat. Ad rem egregie observat clarissimus ZIGLIARA:[2] *Veritates* (loquimur hic de veritate naturali vel praeternaturali, de mysteriis enim loquemur in altera parte theseos) *ordinis naturalis, quae, utpote contentae in* MEDIO *obiectivo cognitionis naturalis, sunt eo ipso intra limites extensionis*

---

[1] Op. cit. p. 57. Cf. MAZZELLA, Op. cit. p. 63 seq.; CROSTA, Op. cit. p. 46: PESCH, Op. cit. p. 93 sqq.; ZIGLIARA, Op. cit. p. 126.

[2] Op. cit. p. 125.

ejusdem naturalis cognitionis obiective sumptae, proindeque, obiective loquendo, cognosci possunt vel per inquisitionem propriam, vel auxilio disciplinae humanae, vel nobiliori magisterio Dei: RES *enim, eo ipso quod res est, habet rationem entitatis, et ideo intelligibilitatis et veritatis;* MODUS *autem cognoscendi ipsi rei est indifferens, quia totus se tenet ex parte cognoscentis; consequenter ipsi indifferens est ut a nobis cognoscatur vel ignoretur, cognoscatur intuitione, vel demonstratione, vel per signa externa magisterii humani, vel per divinam revelationem.*[1]

94) 3° *Non ex parte subiecti cui fit revelatio.* Omnis enim difficultas ex eo exurgeret vel quia res quae revelatur non est consentanea rationi humanae, vel quia res revelatur modo naturae humanae indebito. Atqui neutrum admitti potest; ergo revelatio ex parte revelatarii possibilis est. Et sane *res* quae revelatur cum sit veritas jam est intellectus obiectum, uti vidimus superius (n. 93). Concedimus aliquando veritatem revelatam esse supernaturalem; at supernaturale non opponitur naturali, quia in primis licet supernaturale excedat capacitatem intellectus creati, non tamen excludit potentiam obediẽntialem intellectus ipsius, qua capax fiat per lumen supernaturale evehi ad altioris ordinis cognitionem. Insuper veritas supernaturalis potest coexistere cum naturali, quam perficit, non vero destruit, non secus ac planta nobilior agresti arbusto inserta[2] Non repugnat *quoad modum*, quia si est etiam *supernaturalis*, non est tamen *antinaturalis*. Ceterum, teste experientiâ, sicut homines in rerum notitiam possunt devenire per processum argumentationum ex ignotis ad nota, ita possunt devenire per magisterium extrinsecum, quatenus magister per signa sensibilia manuducit discipulum ad cognitionem veritatis, quin tamen infundat vel augeat lumen rationis in discipulo. Si vero possibile est hominem per magisterium humanum cognoscere veritates ignotas, item si verum est hominem posse instrui

[1] Cf. OTTIGER, *Theol. fund.* I, 58 seqq.

[2] Cf. ZIGLIARA, op. cit. p. 127; MONSABRÈ, Introd. al dogma, tom. I.

ab angelo, quatenus hic lumen intellectuale hominis potest confortare ad perfectius inspiciendum, (Cf. S. THOM. Qq. disp., De Veritate quaest. XI art. 3), vel in hominis imaginatione formando ex commotione organi corporalis species aliquas;[1] patet a fortiori Deum posse hominem edocere, et quidem perfectissimo modo, tum novum infundendo vel augendo lumen rationis, tum notitiam primorum principiorum imprimendo, ex quibus novae deinde, nec prius cognitae, veritates liquido eruantur. Nec dicat forte quis revelationem repugnare dignitati humanae, atque independentiae rationis; tum quia augmentum cognitionum, quocumque modo eveniat, ad perfectionem pertinet hominis, tum quia mens humana, etiam post propositam veritatem, potest ei absolute non adhaerere, eamque tantum amplecti tenetur quando viderit amplectendam esse. Preterea sicut nihil adimitur dignitatis hominibus credentibus aliquid verum esse, quia id testes fide digni affirmant, ita non est contra humanae rationis dignitatem, assensum praebere veritati per testem veracem et omniscium attestatae; proinde non magis tollitur rationis autonomia assentiendo veritatibus certo revelatis, quam veritatibus intrinsece evidentibus.

95) Haec doctrina confirmari potest *populorum consensu*, semper enim ab hominibus tum doctis tum indoctis creditum est Deum veritates hominibus manifestasse. PLATO, ut unum ex veteribus scriptoribus recolamus, censet, Delphis petendas esse leges de rebus divinis, sacerdotum autem electionem, si sacerdotia non sint haereditaria, Deo committendam, hinc qui hoc munere functuri sint, sorte esse eligendos.[2]

96) PROBATUR II PARS. — *Possibilis est revelatio supernaturalis mediata.* Haec pars est praecedentis corollarium, quia admissa possibilitate revelationis immediatae, etiam mediatam cogimur admittere, quia quod per se facit Deus, potest

---

[1] Cf. S. THOM. *Quaest. dispp. De Veritate* q. XI art. I *in corpore et in respons.* ad 9, 11, 14.

[2] PLATO, *De Legib.* VI c. 7.

etiam per alios facere. Omnis autem difficultas pro revelatione mediata admittenda exinde oritur, vel quia erroribus obnoxia est, vel quia difficulter potest secerni impostor a Dei legato.[1] Jamvero utrumque periculum potest praecaveri per Dei adsistentiam, quae impedit quominus homines, quibus fit revelatio, errent in ejus apprehensione et promulgatione. Porro media quamplurima praesto sunt, quibus Deus utitur ad depositi revelati genuinitatem servandam. Praeterea omnis revelatio, ut facilius Dei legatus ab impostore secernatur, iis debet ornari conditionibus ex quibus exurgit Dei testificatio et unde oritur summa atque perfecta moralis illa certitudo, quae in rebus ordinis moralis expetenda est, quae ad assentiendum impellit aeque ac certitudo phisyca et metaphysica, errandique formidinem tollit.

97) Probatur III Pars. — *Possibilis est mysteriorum revelatio* — A) Ut probemus *mysteria* posse revelari, debemus in primis ipsorum probare existentiam, quia eatenus adversarii negant posse mysteria revelari, quatenus mysteriorum existentiam non admittunt At probari nequit nulla esse mysteria, quia si Deus existit, etiam mysteria cogimur admittere. Atqui Deum existere ipsa ratio demonstrat. Quare in Deo debemus recognoscere omnimodam perfectionem infinite creaturarum perfectiones excedentem; proinde ab intellectu divino plurima intelliguntur, quae sunt intellectui humano impervia, utpote finito, quarum rerum ispe neque *connexionem,* neque *modum,* neque *causas* cognoscit. Hujus facti ratio exinde est desumenda quod quanto perfectior est intellectus, tanto perfectius et tanto plura intelligit; quamobrem ab aliquibus plura quam ab aliis, a puro spiritu plura quam ab homine intelligi possunt. At intellectus divinus cum unum idemque sit

---

[1] Cf. Rousseau, *lib. IV, Profession de foi du Vicaire Savoyard;* T. Paine, *The age of Reason* I p.$_1$ p. 7; Martineau, *Seat of Authority in Religion, p.* 307 seq.; Migne, *Theol. Cursus,* Tom. II p. 1136; Romanes, *Thoughts on Religion,* p. 165: Zigliara, *Propaed. lib.* II, c. 2; Mazzella, *Op. cit. disp. I. art. 5;* Tanquerey, ect. ect.

cum ipsâ naturâ divinâ, necessario infinitus est, plurima ergo Deus et quidem in seipso intelligit, quae homo intelligere nequit. Hoc argumentum ita exponit *S. Thomas* (Cont. Gent. l. I, c. 3): *Duorum, quorum, unus alio rem aliquam intellectu subtilius intuetur, ille, cujus intellectus est elevatior, multa intelligit, quae alius omnino capere non potest, sicut patet in rustico, qui nullo modo philosophiae subtiles considerationes capere potest. Intellectus autem angeli plus excedit intellectum humanum, quam intellectus optimi philosophi intellectum rudissimi idiotae, quia haec distantia inter speciei humanae limites continetur, quos angelicus intellectus excedit.... Multoque amplius intellectus divinus excedit angelicum, quam angelicus humanum... Unde non omnia, quae in se ipso Deus intelligit, angelus naturali cognitione capere potest, nec ad omnia, quae angelus sua virtute intelligit, humana ratio sufficit capienda.*

98) Eadem veritas probatur ex facto quod multa habentur mysteria, late sumpta, quae, quamvis non excedant capacitatem intellectus creati, nihilominus continuâ experientiâ constat a nobis ignorari, vel quia effectuum causam non novimus, vel quia nondum naturam et modum perspeximus, ut ecce unio animae cum corpore, faenomenon attractionis.[1] Ergo a fortiori in ordine spirituali cogimur admittere mysteria.

99) Notandum insuper et intellectum humanum accomodatum esse ad res inferiores tantum intelligendas, quatenus sunt ejus obiectum proximum; quare substantiae spirituales, licet in se ipsis magis intelligibiles sint, tamen difficilius ab hominibus cognoscuntur; quia intellectus humanus caret debita proportione ad illas intelligendas. Jamvero Deus infinite excedit substantias spirituales creatas; ergo in Deo sunt mysteria quae nequeunt

---

[1] *Rerum sensibilium,* scribit Aquinas, *plurimas proprietates ignoramus, earumque proprietatum, quas sensu apprehendimus, rationem perfecte in pluribus invenire non possumus. Multo igitur amplius illius excellentissimae substantiae transcendentis omnia intelligibilia humana ratio investigare non sufficit* (S. Contra Gentes, l. I, c. 3).

cognosci ab intellectu nostro, qui, ut ait *Angelicus* (Cont. Gent. I, c. 3) *sic se habet ad prima entium, quae sunt manifestissima in natura, sicut oculus vespertilionis ad solem.*

100) Denique animadvertimus res eo imperfectius cognosci, quo imperfectiores sunt imagines, quibus ad eas exhibendas utimur. Quamobrem quo magis aliquid sensibile est, eo perfectius a nobis cognoscitur (S. Th. I q. LXXXVII art. 9) quia illud exhibemus per *conceptus proprios;* subtantias autem spirituales imperfectius cognoscimus, quia sunt iisdem speciebus exhibendae, quibus et substantiae sensibiles exhibendae sunt, idest speciebus abstractis a rebus sensibilibus et *conceptibus analogicis.* Hujusmodi autem conceptus nonnisi imperfecte subtantias spirituales exhibent, imperfectissime vero Deum exhibent. (S. Th. I q. LXXXVIII art. 3) Ergo dantur mysteria.

101) Hucusque probavimus haberi mysteria in genere, abstrahendo a quaestione utrum sint mysteria late vel stricte dicta. Verum si quaeratur utrum a *priori* possit probari existentia mysteriorum stricte dictorum, negative respondemus, quia hujusmodi mysteria, relate ad eorum internam cognoscibilitatem pro intellectu nostro non habent magis rationem entis, quam non entis. Exinde tamen non sequitur nos posse a priori existentiam mysteriorum negare, quia rei, quam omnimo ignoramus, neque possibilitatem neque impossibilitatem a priori probare possumus, cum ea tantum et a priori probentur, quorum naturam perfecte cognoscimus.

102) B) Positâ mysteriorum existentiâ, debemus etiam admittere in Deo possibilitatem eadem revelandi. Si qua enim repugnantia haberetur, repetenda esset vel ex *parte mysterii*, quod revelatur, vel ex *parte hominis*, qui revelationem accipit. Atqui neutrum verificatur. Ergo ect. Et sane 1°) revelatio non repugnat ex parte *mysterii,* quia etiam mysteria, cum sint veritates absolute supernaturales, habent et ipsa rationem intelligibilitatis, sicut veritates ordinis naturalis: habent enim et ipsa rationem entis, quia *ens*, *verum et intelligibile,* sunt realiter idem. Immo mysteria sunt de se veritates magis intelligibiles, cum non sint

entia participata; sed omnis impotentia ne cognoscantur, non ex ipsis oritur, verum ex medio obiectivo naturali cognitionis nostrae, quae neque virtualiter continet veritates supernaturales, quae dicuntur positae extra limites obiecti *proprii* nostrarum *naturalium* cognitionum, quamvis tamen comprehendantur in extensione obiecti *adaequati* intellectus nostri,[1] quatenus saltem conceptis *analogicis* possunt proponi. 2°) Non ex parte *hominis*, [2] quia sicut ipse potest ab hominibus doceri multa quae neque videt, neque intrinsece intelligit, ita a fortiori potest a Deo edoceri, quin tamen ejus dignitati derogetur, immo ut ait S. Thomas (*Contra Gentes* l. I c. 5), *de rebus nobilissimis quantumcumque imperfecta cognitio, maximam perfectionem animae confert, et ideo quamvis ea quae supra rationem sunt, ratio humana plene capere non possit, tamen multum sibi perfectionis acquirit, si saltem ea qualitercumque teneat fide.*

De facto insuper constat homines doceri a doctioribus veritates, quas ipsi nonnisi per conceptus analogicos intelligunt, et quarum aliquando *existentiam* tantum, non vero existendi *modum* percipiunt.

103) *Solvuntur difficultates* — a) Mysteria non existere ex eo deducimus, quod omnis veritas relationem dicit et ad intellectum proportionem. Atqui quidquid est superintelligibile, ut sunt mysteria, proportionem non habet ad intellectum. Ergo mysteria non existunt, quia superintelligibile cum non sit veritas, neque est ens.

Resp. Concedimus mysteria esse veritates superintelligibiles, hoc tamen sensu quod sint tales relate ad intelligentias creatas, non vero relate ad intellectum increatum. Quare minor propositio vera esset, si superintelligibile excluderet

---

[1] Cf. Zigliara, *Op. cit.* p. 125 sqq.

[2] Omittimus loqui de impossibilitate revelandi ex *parte Dei*, quia haec difficultas ex eo exurgeret quod Deo desint media communicandae veritatis. Jamvero hoc affirmare erroneum est, cum superius ostensum sit Deum posse hominibus res ignotas revelare vel per signa, vel quocumque alio medio. Cf. S. August. *Sermo 11 de div.* n. 4, ubi recenset varios modos, quibus Deus alloqui potest creaturas.

quamcumque proportionem sive cum intellectu creato quam cum intellectu divino, quod nemo unquam probare poterit.

104) b) Bayle instat affirmando quod ea quae sunt supra rationem non sunt rationi conformia. Sed quae sunt supra rationem, sunt contra rationem. Ergo non existunt. Atqui mysteria non sunt rationi conformia. Ergo mysteria non sunt. *Homines*, ipse ait, *Orthodoxiores confitentur nos haud perspectam habere conformitatem mysteriorum cum philosophorum axiomatibus. Ergo nobis videtur mysteria non esse rationi conformia. Jamvero quiquid non est rationi conforme est rationi contrarium, non secus ac quodquid non est veritati conforme est veritati contrarium, et ita pariter cur non dicenda erunt mysteria esse rationi contraria, ex eo quod rationem excedunt.*

Resp. — Huic difficultati possumus respondere notando falsitatem suppositi, quod scilicet sit contra rationem quod supra rationem est. Aliud enim est rationem excedere, et aliud est rationi contrarium esse. Ex excessu hoc unice deducimus rem intrinsece non posse demonstrari, et rationem humanam quibusdam coarctari limitibus; nam omnis veritas eatenus dicitur rationem excedere, quatenus ejus essendi modus et natura ignorantur. Est autem rationi *contraria* quando inter terminos ipsos repugnantia invenitur, ut ecce *esse* et *non esse*. Ad illud vero quod spectat, *esse contra rationem* quod *non est rationi conforme*, distinguendum est: quod non est rationi conforme *positive*, est contra rationem, Concedo; quod non est conforme *negative*, Nego. Quum vero Bayle asserit nos non perspectam habere mysteriorum cum philosophiae veritatibus conformitatem, quaerimus ab eo utrum per haec verba supponat necessitatem superioris luminis, quatenus philosophia ad id assurgere non sufficit, et in hoc ipsi assentimus; sin autem supponat inter mysteria et philosophiam oppositionem haberi, ab eo dissentimus, ipse enim confundit *incomprehensibilitatem* quoad *modum* essendi, cum existentiae *repugnantiâ*.[1]

---

[1] Cf. Vecchiotti, *Op. cit.* p. 49 et sqq.; Mazzella, *Op. cit.* p. 70; ect. ect. Ad rem scribit Aquinas: *Ea quae naturaliter rationi sunt in-*

105) c) Revelatio mysteriorum est impossibilis, quia non debent homini ea ad credendum proponi, quae ratione ipse investigare non sufficit, cum divina sapientia cuilibet secundum modum naturae proprium provideat.

Resp. — Certe haec difficultas est magis contra utilitatem quam contra possibilitatem revelationis, nihilominus, ut pauca notemus, dicimus revelationem mysteriorum saltem id efficere ut veritates revelatae, licet incomprehensibiles sint quoad *essentiam*, manifestentur tamen quoad *existentiam*. Deinde si in mysteriis quae revelantur, non potest humana ratio nexum terminorum, quibus illa exprimuntur, investigare et percipere, ipsos tamen terminos et investigare valet et cognitos habere; ex quo non parum ipsa capit emolumenti. Adesse vero certo certius inter eos terminos nexum ex ipsa Dei testificatione edocetur. « *De rebus nobilissimis,* ait S. Thomas,[1] *quantumcumque imperfecta cognitio maximam perfectionem animae confert. Et ideo, quamvis ea, quae supra rationem sunt, ratio humana plane capere non possit, tamen multum sibi perfectionis acquirit, si saltem ea qualitercumque teneat fide.* »

ARTICULUS III.

REVELATIONIS CONVENIENTIA ET UTILITAS.

106) Status quaestionis. — Convenientia et utilitas revelationis duplici ex capite considerari possunt, nempe ex

---

sita, verissima esse constat, in tantum ut nec ea esse falsa sit possibile cogitare.... Quia igitur solum falsum vero contrarium est, impossibile est illis principiis, quae ratio naturaliter cognoscit, veritatem fidei contrariam esse. Item: illud idem quod inducitur in animam discipuli a docente, doctoris scientia continet, nisi doceat ficte; quod de Deo nefas est dicere. Principiorum autem naturaliter notorum cognitio nobis divinitus est indita, quum ipse Deus sit auctor nostrae naturae. Haec ergo principia etiam divina sapientia continet. Quidquid igitur principiis hujusmodi contrarium est, est divinae sapientiae contrarium; non igitur a Deo esse potest. Ea igitur quae ex revelatione divina, per fidem tenentur, non possunt naturali cognitioni esse contraria (*S. C. Gentes* l. I, c. 7).

[1] *Contra Gentes* I, 5.

parte actus revelandi, et ex parte rerum quae revelantur. Hujusmodi autem res vel veritates quae manifestantur, possunt esse ordinis *naturalis* et *supernaturalis;* unde convenientia et utilitas revelationis sub triplici respectu debent considerari, nempe revelatio in seipsa uti est actus revelandi, revelatio veritatum ordinis naturalis, revelatio mysteriorum.

107) Errores. — *Fichte* et Rationalistae plurimi negant revelationis convenientiam, tum quia libertas humana minuitur vel omnino tollitur, tum quia veritates supernaturales, si nostris conceptibus accomodentur, jam fiunt naturales et sensibiles, et quodammodo deprimuntur.[1]

Ad hos errores refellendos statuimus thesim:

108) Propositio IV. — *Revelatio, ut est revelandi actus et Deo et homini conveniens dicenda est, item utilis est ex parte veritatum quae revelantur, sive ipsae sint ordinis naturalis, sive sint ordinis supernaturalis.*

109) Praenotanda. — In hac propositione affirmamus 1°) revelationem in seipsa convenientem esse Deo si *active,* hominibus si *passive* consideretur; 2°) rem aliquam dupliciter Deo convenire, vel *a*) quia ita exigitur ut ejus oppositum excludatur, ut ecce conservatio perpetua animae rationalis, cujus destructio repugnat; vel *b*) quia ita exigitur ut tamen ejus oppositum non excludatur, ut ecce creatio mundi ad Dei perfectiones manifestandas. 3°) De hoc altero convenientiae genere nos hic loqui ex dictis colligitur, non enim revelatio ita necessaria censenda est, ut ejus oppositum repugnet. Insuper 4°) dicimus utilem esse revelationem veritatum naturalium, illarum inquam veritatum, quae sine magno labore sola ratione cognosci possunt; 5°) pariter utilem censemus revelationem veritatum ordinis supernaturalis, quo in ordine comprehendimus et *mysteria,* utique sensu stricto accepta, quae etiam post revelationem non possumus penetrare, nec per suas ipsarum causas demonstrare.

---

[1] Cf. Fichte, *Versuch einer Kritik aller Offenb.* § 11.

110) Probatur I pars. — *Revelatio congruit Deo.* Haec congruentia deducitur tum e conceptu *actionis ad extra*, tum e *manifestatione veracitatis.*

1°) Actiones Dei ad extra ejus perfectionibus manifestandis inserviunt, quatenus per ipsas Dei infinita sapientia, potentia et bonitas innotescunt; qua de re ex parte hominis exurgunt admiratio, submissio, laus et amor. Omnes igitur actiones Dei ad extra summe Deo congruunt. Jamvero revelatio in se ipsa considerata, est actio Dei ad extra et nova suarum perfectionum manifestatio. Ergo revelatio Deo congruit. Quapropter cum Angelico concludimus (*Contra gentes*, II, 6) si Deo competat ut aliis sit *principium essendi*, competit etiam ut hominibus se revelet.

2°) Deus est summa veritas in essendo, in cognoscendo et in dicendo. Porro ex nihilo res producendo Deus ostendit se tamquam summam veritatem in essendo, et summam veritatem in cognoscendo, quatenus suam infinitam omnipotentiam manifestat et sapientiam. Sed per revelationem Deus se prodit ut summam veritatem in dicendo, seu ut summe veracem, quatenus auctoritate sua testatur verum esse quod enunciat, eique ob suam auctoritatem, quae scientia et veracitate constituitur, esse fidem adjungendam. Ergo revelatio congruit Deo.

111) Neque veritas conclusionis infirmatur ex facto quod Deus in creatione se se etiam veracem manifestavit; quia per creationem implicite tantum, per revelationem autem explicite et formaliter verax apparet, proindeque perfectius hoc Dei attributum manifestatur, non secus ac, ut notat divus Thomas (S. Th. I, q. L, art. 1), Deus praeter homines, creando puros spiritus, se tamquam purum spiritum perfectius, idest formaliter et explicite, manifestavit.

112) Probatur II pars. — *Revelatio congruit hominibus.* Haec conclusionis pars vera demonstratur si considerentur et nobilitas docentis, et ratio formalis assensus.

Re quidem vera homini congruit ut doceatur, praesertim per auctoritatem, quum non omnes veritates, scitu necessarias, ipse immediate et per rationis discursum acquirere

valeat. Ad munus vero magisterii obeundum, requiritur, quod magister scientia polleat, vi cuius discipulus ad assensum movetur. Jamvero Deus cum sit sapientia infinita magisterio nobilissimo et peritissimo docet. Ergo convenit homini ut a Deo doceatur. Porro Deus per revelationem docet hominem. Ergo revelatio congruit hominibus. Eo magis si nobilitas docentis, et formalis praestandi assensus ratio considerentur; docens est ipse Deus, ratio praestandi ab hominibus assensus est illius scientia infinita cui omnia patent, et veracitas, quae uti nec per se nec per alios fallere, ita neque falli potest. Firmior autem est assensus docenti exhibendus, quo et nobilior est ratio ipsius assensus formalis. Firmissima quum sit ratio credendi Deo revelanti, jam patet maxime hominibus convenire revelationem, qui ad veritatem recte assequendam sunt ordinati. *Quomodo Deo,* perbelle notat Origenes contra Celsum (lib. I, n. 11), *credere non sit rationi consentaneum magis, quum a fide omnia humana pendeant? quis enim navigat, aut uxorem ducit, aut in terram spargit semina, quin ad haec facienda fide meliorum adducatur, quamvis secus possit accidere et aliquando accidat?*

113) Probatur III pars. — *Utilis est homini revelatio veritatum ordinis naturalis.* Cum quaelibet veritatis institutio utilis censenda sit, certe nemo negabit revelationem utilem esse, quam nonnisi veritatis institutionem esse scimus.

114) Ceterum, etsi sermo fiat de veritatibus naturalibus sive speculativis sive practicis, quae absque magno labore, sola ratione cognosci possunt, semper id affirmandum erit, nempe revelationem utilem esse, quia religionis *certior* acquiritur *cognitio* utpote Dei veracitati innixa; *praestantior,* et ad finem *convenientior* itemque *efficacior.* Denique utilitatem revelationis cognitionum uniformitas ostendit, qua errores praecaventur. De facto constat homines, cum rationi tantummodo veritates inquirendae relinquantur, in varias circa eandem rem abire opiniones et sententias, quae diversitas profecto errorem arguit, saltem in qui-

busdam, cum res eadem et sub eodem respectu considerata non possit simul esse et non esse.[1]

115) Ex dictis colligitur fidei assensum non deprimere intellectum, uti Rationalistae inclamant respuentes fidei assensum tanquam obscurum; quia hujusmodi assensus nonnisi relative obscurus est dicendus, ex eo quod non ab interno rei credendae lumine procedit, sed ex perspectis credibilitatis motivis, quorum formalis ratio est Dei auctoritas infallibilis, quae verum et eximium praestat lumen.

Ceterum etiam obscuritas relativa potest praecaveri, si fidei lumini intellectus humanus et lumen suum adjungat, quo fit ut eadem veritas sit tum fidei tum rationis obiectum. Id ita esse ostendunt ii, qui theologiae studentes, conantur mysteria quodammodo per rationem explicare.

116) Probatur IV pars. — *Utilis est revelatio veritatum ordinis supernaturalis, idest mysteriorum.* Certum est mysteria esse veritates rationem excedentes, sive quoad existentiam, sive quoad esse. Jamvero, semel admissa possibilitate ea revelandi, ut probavimus n.° 102, debemus etiam et utilitatem recognoscere. Et sane per revelationem mysteriorum in nobis amplior et perfectior gignitur Dei cognitio, quatenus nobis innotescunt quædam Dei attributa et perfectiones, quae antea nos latebant. Hinc exurgit perfectio intellectui creato accedens, qui ad altiorem rerum ordinem elevatur, resque occultissimas percipit; ab errore insuper praeservatur cum inducatur ad Deum considerandum non semper secundum modum nostrum, sed aliquando secundum rei veritatem; ut ecce erraret si putaret *unam naturam divinam* subsistere in *una persona divina*, non secus *ac una natura humana* subsistit *in una persona humana;* quare per revelationem Deus cognoscitur non ex rerum creatarum

---

[1] Superius (p. 65 in nota) retulimus verba Angelici Doctoris (*Summa Contra Gentes* l. I, c. 4) quae etiam huic quaestioni solvendae aptissime inserviunt. Illuc proinde lectores remittantur.

Hic notatum volumus Pium IX f. r. hanc propositionem Syllabi (6) damnasse: *Christi fides humanae refragatur rationi, divinaque revelatio non solum nihil prodest, verum etiam nocet hominis perfectioni.*

consideratione, sed modo, qui Deo tantum proprius est, cognoscitur, nempe directe; unde fit ut ex illa divinorum cognitione ad alia cognoscenda ducamur, atque intellectus humanus ad divinum intellectum, quodammodo assimilationem acquirat.[1]

Alia e revelatione mysteriorum emolumenta exurgunt, scilicet perfectio cognitionum nostrarum etiam in rebus philosophicis (e. g. de natura et hypostasi[2]); insuper hominis ambitio reprimitur cum clare cognoscat rationem suam limitibus coarctari, eiusque intensior fit erga Deum amor, cum quo familiaritatem quodammodo acquirit, ipsi enim, veluti amico, secreta Dei manifestantur.

Has, quae ex mysteriorum revelatione derivantur, utilitates exponit divus Thomas (*Contra Gentes* l. I, c. 5): *Tunc enim solum vere Deum cognoscimus, quando ipsum esse credimus supra omne id, quod de Deo cogitari ab homine possibile est, eo quod naturalem hominis cognitionem divina substantia excedit. Per hoc ergo, quod homini de Deo aliqua proponuntur, quae rationem excedunt, firmatur in homine opinio, quod Deus sit aliquid supra id, quod cogitari potest. Alia etiam utilitas inde provenit, scilicet praesumptiõnis repressio, quae est mater erroris. Sunt enim quidam tantum de suo ingenio praesumentes, ut totam naturam divinam se reputent suo intellectu posse metiri, aestimantes scilicet totum esse ve-*

---

[1] Hoc argumentum ita exponit S. THOMAS (*Sup. Boëth. de Trin.* q. 2, art. 2 c.): *Sicut Deus ex hoc ipso, quod cognoscit se, cognoscit alia modo suo, idest simplici intuitu, non discurrendo, ita nos ex his, quae fide capimus, primae veritati inhaerendo, venimus in cognitionem aliorum secundum modum nostrum, idest discurrendo de principiis ad conclusiones. Unde primo ipsa quae fide tenemus, sunt nobis quasi prima principia in hac scientia, et alia sunt quasi conclusiones.*

[2] Cf. PESCH, *De Verbo incarnato*, p. 41, ubi ait: *Naturali quidem philosophiae nulla substantia singularis et integra nota erat, quae non esset in scipsa, sed in alio. Si autem philosophi talem substantiam novissent, secundum sua principia debuissent dicere eam non esse substantiam primam seu hypostasim. Jamvero quod philosophi ignorarunt,* REVELATIO DIVINA DOCUIT ESSE SUBSTANTIAM HUMANAM SINGULAREM ET INTEGRAM, QUAE NON EXISTAT IN SE, SED SIT PROPRIA VERBI DIVINI.

rum, quod iis videtur, et falsum, quod iis non videtur. Ut ergo ab hac praesumptione humanus animus liberatus ad modestam inquisitionem veritatis perveniat, necessarium fuit homini proponi quaedam divinitus, quae omnino intellectum ejus excederent.

Quae cum ita sint concludere licet revelationem veritatum, quae sunt non solum ordinis naturalis, sed etiam ordinis supernaturalis, utilem esse, et proinde merito Concilium Vaticanum (Sess. 3 *de revel. canon.* 2) statuisse: *Si quis dixerit fieri non posse, aut non expedire, ut per revelationem divinam homo de Deo cultuque ei exhibendo edoceatur, A. S.*

ARTICULUS IV.

REVELATIONIS NECESSITAS.[1]

117) Quando dicimus revelationem necessariam esse, nondum tamen solvimus quaestionem circa revelationis factum; aliis verbis ex hoc quod revelationem necessariam probamus non possumus concludere revelationem reapse factam esse, solutio enim hujus alterius quaestionis pendet ab hypotesi quod Deus hominem ad finem supernaturalem destinaverit, quod nonnisi mediante revelatione cognoscere possumus.

At quamvis revelationis existentia argumentis positivis sit demonstranda, non erit tamen inutile heic ponere hanc quaestionem circa revelationis necessitatem ad *Rationali-*

---

[1] Cf. S. Thom., *S. Contra Gentes*, l. I, cap. 4; *Summ. Theol.*, I, q. I, art. 1; II-II^{ae}, q. II, art. 4; *De veritate*, q. XIV, art. 10; Migne, *Theol. Curs.* vol. II, p. 463 sq.; Valsecchi, *De Fund. relig.*, l. II, c. I sq.; Zigliara, *loc. cit.* p. 169–171; Dechamps, *La question religieuse*, vol. I, c. 3; Brugère, n. 21 sq.; Jungmann, n. 90 sq.; Mazzella, n. 114 sq.; Pesch, n. 170 sq.; Willmers, *Op. cit.*, lib. I, n. 94 sq.; Tanquerey, n. 49 sq.; Crosta, n. 65 sq.; Hettinger, *Apolog. du christian.* vol. II, c. 1–12; Weiss, *Apol. du christian.* vol. I, 8^{a} Conf., p. 337 sq.; Gondal, *Surnatural*, l. III, c. 3–5, p. 352 sq.; Gazzaniga, *Praelectiones Theologicae*, tom. III, p. 5 e seq.; Monsabré, *Introd. al dogma cattolico*, conferenza 6^{a}.

starum et eorum qui *Traditionalistae* vocantur, errores refellendos. Rationalistae enim revelationem apertissime denegant esse moraliter necessariam; Traditionalistae vero physicam revelationis necessitatem admittunt, quatenus homo physicâ impotentiâ laborat cognoscendi veritates quae ad religionem pertinent.[1]

118) Antequam tamen deveniamus ad argumenta pro revelationis necessitate adstruenda, plurima debemus animadvertere. In primis notamus hominem posse spectari vel qua talem, seu ut est talis naturae, vel ut est prosequens finem suum. Si primo modo consideretur, certe pro ipso revelatio saltem valde utilis dicenda est; sin autem secundo modo consideretur, cum duplex sit hominis finis, quorum alter *supernaturalis,* alter *ethico-religiosus* nempe naturalis, quibus finibus respondent *veritates ordinis supernaturalis* idest mysteria, et *veritates* et *praecepta ordinis naturalis*, duplex pariter revelationis necessitas est admittenda, *absoluta* quidem et *physica*[2] pro cognitione veritatum supernaturalium, quia homo nequit ad finem supernaturalem tendere, nisi ipsum cognoscat et media ad ipsum attingendum ei praesto sint; quare *Conc. Vatic.* (Sess. III, cap. 2) hoc sensu revelationem, absolute necessariam declarat, *quia Deus ex infinita bonitate sua ordinavit hominem ad finem supernaturalem, ad participanda scilicet bona divina, quae humanae mentis intelligentiam omnino superant.*

119) Sin autem consideretur homo in ordine ethico-religioso tantum, quatenus ad Deum tendit ut ad finem naturalem, praecisione facta a fine supernaturali, tunc revelatio, ratione habita praesentis humani generis conditionis, est *moraliter* necessaria, quamvis Deus alio modo possit hominis conditioni providere.

120) Verum huic duplici necessitati, duplex respondet

---

[1] Ex Traditionalistis praecipui sunt recolendi: P. Huet († 1721), De Bonald († 1840), P. Joachim Ventura († 1861), Bautain († 1867), Ubaghs († 1875), Bonetty etc. etc.

[2] Absolute vel simpliciter necessarium est illud, sine quo res omnino fieri nequit, desunt enim media ad illam perficiendam.

ex parte hominis impotentia, *physica* videlicet et *moralis*. Impotentia physica[1] consistit in defectu proportionis virium ad rem perficiendam, ut ecce in homine impotentia ad volandum; impotentia vero moralis consistit in difficultate accidentali effectum ponendi, non quod vires desint, sed quia hae aliquo impediuntur obstaculo.

Haec autem impotentia dicitur *totalis* vel etiam *stricta* si omnis prorsus impediatur operatio; *partialis* vel lata si secus. Hujusmodi conceptus si homini applicentur relate ad res religionis investigandas, statim cognoscimus quando physicâ, quando morali ipse laboret impotentiâ.

Hisce praenotatis statuitur:

121) PROPOSITIO V. — *Genus humanum a sufficienti et recta religionis naturalis cognitione acquirenda, in statu praesenti nimia difficultate impeditur, quo fit ut, alio praesidio extraordinario non supposito, revelatio, ad illam cognitionem obtinendam, sit moraliter necessaria.*

122) PRAENOTANDA. — Circa hanc quaestionem quaedam ad clariorem rei notitiam habendam praemonere oportet.

1°) Nos hic loquimur de *genere humano*, non *de singulis hominibus*, quatenus non negamus hunc vel illum hominem posse ad hanc cognitionem *propria inquisitione* pervenire; at quod est paucorum privilegium, certe non erit de omnibus et singulis hominibus praedicandum.

2°) Genus autem humanum in *praesenti rerum ordine* consideramus, nempe defectibus et erroribus obnoxium, non vero quale fingi posset in perfectiore statu.

3°) Addimus insuper *alio praesidio extraordinario non supposito*, quia posset Deus speciali providentia plura impedimenta vel interna, vel externa removere, et auxilia suppeditare uberiora, quibus veritates melius innotescant. Et merito ponimus hanc limitationem, ne nos videamur

---

[1] Impotentia physica potest esse *ab intrinseco* si vires de se impares sint ad effectum producendum, ut e. g. coecus incapax est ad videndum: *ab extrinseco* autem si quaedam desit conditio, sine qua facultas non potest exerere vires suas.

affirmare revelationem stricto sensu acceptam esse unicum medium ad veritatem cognoscendam.

4°) Affirmamus autem revelationem esse necessariam etiam ad religionem naturalem *sufficienter recteque* cognoscendam, quia cum homo plurimis impediatur internis et externis difficultatibus, non *omnes* simul potest veritates ad religionem, licet naturalem, pertinentes, *certe*, nempe non conjecturaliter et dubie et sine errore cognoscere, quamvis aliquas veritates acquirere valeat. Nomine vero veritatum ad religionem naturalem pertinentium, intelligimus summam earum veritatum practicarum et speculativarum sine quibus vita moralis et religiosa homine digna non est possibilis.

5°) Denique revelationem moraliter necessariam dicimus; non enim excludimus ab homine physicam potentiam, quae tamen ne ad actum deveniat maximis impeditur difficultatibus.

123) PROBATUR. — A) Haec veritas a priori ostendi potest, nempe scientificam inquisitionem non sufficere ad notitiam sufficientem multoque minus ad plenam et rectam de religione comparandam: requiritur enim quod omnia religionis naturalis capita ita complectatur, ut de illis cognitio satis evoluta exurgat non solum quoad prima principia, sed etiam quoad omnes veritates speculativas et practicas; itemque ita certa sit ut dubitationi locum non adsit; denique ab erroribus, praesertim circa cultum Dei, sit immunis. Atqui haec omnia absque revelatione obtineri nequeunt. Ergo absque revelatione moraliter impossibilis est religionis naturalis cognitio; revelatio proinde est moraliter necessaria.

Major patet, superius enim (n. 10) vidimus religionem veram illam esse quae verum Deum debito cultu prosequitur, ut finis ultimus consequatur, ordinate quidem et modo naturae rationali congruo. Porro ad hunc finem obtinendum non sufficit vaga de primis principiis notitia,

sed insuper requiritur aliarum veritatum cognitio, quae certa sit, et ab erroribus immunis.[1]

Minor vero patet per ea quae ex divo Thoma retulimus (p. 65 in nota).

124) B) Hisce argumentis a priori deductis factum historicum suffragatur: constat enim omnes populos, sive barbaros, sive excultos, revelatione destitutos in gravissimos errores religiosos et morales incidisse; quibus neque scientia, neque philosophia, neque alia remedia naturalia mederi potuerunt, quare revelatio necessaria dicenda est, cum sit unica via hisce malis medendi.

125) Quod autem philosophi[2] inepti fuerint hisce malis medendo probatur factorum expositione. Porro 1°) *notio divinitatis* apud ethnicos philosophos ita deformata fuit, ut modo *polytheismus*, modo *idololatria* viguerit,[3] modo Deus, etsi tanquam Supremum Numen, agnitus, *fato* tamen subiectus fuerit dictus, modo cum *naturâ*, modo cum Τῷ *ego* identificatus fuerit; unde merito S. Paulus (Rom. I, 21-24) de populis omnibus, et praesertim de sapientioribus, scribit: *Cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt aut gratias egerunt. Et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, et volocrum, et quadrupedum, et serpentium. Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam* etc. Falsam ethnicis philosophis inesse de Deo notitiam ipsa eorum verba insinuant, nam Tullius in libro II *De legibus* haec habet: *A Patribus acceptos Deos placuit coli.... illud ex institutis pontificum et aruspicum non mutandum est, quibus hostiis immolandum cuique Deo.* S. Augustinus haec verba refert de Seneca deprompta (*De Civ. Dei,* lib.

---

[1] Ceterum aliquando quorundam praeceptorum ignorantia invincibilis non est absolute finis ultimi obtinendi impedimentum.

[2] Ab hac labe neque Platonem purgare possumus, neque Aristotelem, quamvis iste merito ab Alligherio « *maestro di color che sanno* » appelletur.

[3] Lepide ludit Horatius (lib. I, Sat. 8):

> Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum;
> Cum faber, incertus scamnum faceretne Priapum,
> Maluit esse Deum. Deus inde ego.

6, c. 10: *Omnem istam ignobilem Deorum turbam, quam longa superstitio congessit, sic adorabimus, ut meminerimus cultum istum magis ad morem quam ad rem pertinere.*

Verum ne inutilem testimoniorum molem congeramus, sufficiat omnium populorum, praecipue Graecorum et Romanorum, qui cultiores extiterunt historiam recolere ut nobis persuadeamus tot Deos cultu prosequutos fuisse, quot fere coelum sidera enumerat.

Quod si philosophi non omnino errarunt circa Dei notitiam, haec tamen adeo vaga illis fuit et mutila, ut Apostolus modo dicat eos Deum novisse (*Rom.* I, 21), modo Deum ignorasse (I *Thess.* IV, 5[1]; *Galat.* IV, 8[2]).

Fatebantur quidam ex ipsis Deum esse omnipotentem, nihilominus verae omnipotentiae conceptu carebant, quum docerent Deum e praejacente materia mundum condidisse; fatebantur Deum, providum at veram providentiam destruebant vel fatum admittendo, vel negando eam ad res sublunares extendi; pariter omnia alia Dei attributa miserrime corrumpebant.

2°) Praeterea Diis multa vitia et cupiditates tribuebantur veluti turpissimorum criminum patronis.[3]

3°) Exulante ab hominibus verâ numinis ideâ, nec recta consequenter habebatur *cultus* praestandi cognitio. Superstitiosum fuisse apud ethnicos cultum nemo est qui ambigat, siquidem aliquando humanis victimis praestabatur, aliquando per obscoenos actus, ita ut pudoris leges publice

---

[1] *Non in passione desiderii, sicut et gentes, quae ignorant Deum.*

[2] *Sed tunc quidem ignorantes Deum, iis, qui natura non sunt Dii, servicbatis.*

[3] Homerus et Virgilius, ut de praecipuis poetis loquamur, Deos faciunt reos ebrietatis, incestus, raptus, adulterii, crudelitatis, invidiae, furti, mendacii. Ovidius scribit (*Trist.* lib. II):

> Quis locus est templis augustior? haec quoque vitet
> In culpam si qua est ingeniosa suam.
> Cum steterit Jovis aede, Jovis succurrat in aede
> Quam multas matres fecerit ille Deus.

violarentur.[1] Sin autem de cultu *interno* sermo fiat, nemo unquam ethnicorum docuit Deum esse amandum, *absurdum namque fuerit,* scribit Aristoteles (*Magn. Moral.* II, 11) *si quispiam dixerit se Jovem amare,* quum, teste Tullio, (*De natur. Deor.* III, 36) *quis, quod bonus vir esset, gratias Diis egit unquam.*

4°) Nec minus erronee homo ipse considerabatur, cum ejus vera ignoraretur origo, nam testatur Diodorus Siculus (*Bibl. hist.* l. I, c. 6) *quod de primo hominum ortu duae apud summae auctoritatis physiologos et historicos sententiae habentur. Alii enim horum, qui et ortus et exitus expertem mundum statuunt, hominum etiam genus ab aeterno sine ullo generationis principio extitisse affirmant. Alii contra, qui et genitum hunc mundum et corruptioni obnoxium esse censent, perinde atque illum, homines quoque certo tempore ortum consecutos asseverant.*

5°) Pariter de *animae immortalitate* non una erat apud ethnicos sententia, quamvis ad hanc asserendam ipsa natura homines impelleret; nihilominus plerique eam, vel negabant, vel in dubium vocabant; quare merito de libro Platonis, qui fuse de hoc disserit argumento, Paulinus Nolanus (carm. 41 *Ad Antoninum*, v. 39) canit:

Qui praeter titulum nil certi continet intus.

Quid circa animae immortalitatem etiam philosophi pagani, licet saniores, asserant nesciunt. Cicero, postquam argumenta pro animae immortalitate asserenda exposuit, ita concludit: *Quod si in hoc erro, quod animos hominum immortales esse credam, libenter erro, nec mihi hunc errorem, quo delector dum vivo, extorqueri volo. Sin mortuus, ut quidam minuti philosophi censent, nihil sentiam, non vereor, ne hunc errorem meum mortui philosophi irrideant. Quod si non sumus immortales futuri, tamen extingui ho-*

[1] *Saturnalia* festa, *lupercalia, taurobolium* aliaque plurima sacrificia possunt nos docere turpitudinem ethnici cultus. (Cf. Dionys. Halicarn., lib. I).

mini suo tempore optabile est. Nam habet natura, ut omnium aliarum rerum, sic vivendi modum.[1]

Et alibi[2]: *Evolvi ejus librum* (de immortalitate), *sed nescio quomodo dum lego assentior: dum posui librum et mecum ipse de animarum immortalitate cogitare coepi, assensio omnis ista elabitur.*

Neque Tacito constat de animarum immortalitate; ipse enim ita concludit Julii Agricolae vitam (n. 46): *Si quis piorum manibus locus; si, ut sapientibus placet, non cum corpore extinguuntur magnae animae: placide quiescas, nosque, domum tuam, ab infirmo desiderio, et muliebribus lamentis ad contemplationem virtutum tuarum voces, quas neque lugeri neque plangi fas est.*

De duobus, scribit Plato[3], *alterum est mors: nam aut velut in nihilum interitus est, ut ne ullum quidem ullius rei sensum retineat mortuus, aut, quod vulgo dicitur, commutatio quaedam et peregrinatio animi hac ex sede hinc in aliam sedem.*

Aperte vero denegat animae immortalitatem Plinius secundus[4]: *Post sepulturam,* inquit, *aliae atque aliae manium ambages. Omnibus a suprema die eadem quae ante primum: nec magis a morte sensus ullus aut corpori aut animae quam ante natalem. Eadem enim vanitas in futurum etiam se propagat, et in mortis quoque tempora ipsa sibi vitam mentitur: alias immortalitatem animae, alias transfigurationem, alias sensum inferis dando, et manes colendo Deumque faciendo, qui jam etiam homo esse desierit.*

126) Ex his falsis circa Deum et hominem principiis quam plurimum deperditi fiebant hominum mores[5]; hinc fides conjugalis nihili fiebat, cum vagi promitterentur

---

[1] *Cato Major,* sive *de Senect.* n. 86.

[2] *Tuscul.* l. II, c. 11.

[3] *Apolog. Socrat.* n. 32.

[4] *Nat. hist.* l. VIII, c. 55.

[5] Baltus, *Jugement des SS. Pères sur la morale de la Philosophie païenne.*

concubitus et uxorum commendaretur communitas[1]; infantulos haud bene conformatos exponere fas erat, fornicatio inter vitia non recensebatur, factaque erat cuilibet licentia pro lubitu contra naturam peccandi. Hanc morum pravitatem redarguit Apostolus (*Rom.* I, 26 sq.) scribens: *Nam feminae eorum immutaverunt naturalem usum in eum usum qui est contra naturam; similiter autem et masculi, relicto naturali usu feminae, exarserunt in desideriis suis in invicem, masculi in masculos turpitudinem operantes.... repletos omni iniquitate, malitiâ, fornicatione, avaritiâ, nequitiâ, plenos invidiâ, homicidio, contentione, dolo, malignitate, sussurrones, detractores, Deo odibiles, contumeliosos, superbos, elatos, inventores malorum, parentibus non obedientes, insipientes, incompositos, sine affectione, absque foedere, sine misericordia.*

127) Depravandi mores causam exponit Lactantius (*Inst.* V, 10): *Non est,* inquit, *difficile docere, cur Deorum cultores boni et justi esse non possint. Quomodo enim sanguine abstinebunt, qui colunt cruentos Deos, Martem atque Bellonam? Quomodo pudicitiam tuebuntur, qui colunt Deam nudam et adulteram et quasi apud Deos prostitutam?.... Possuntne inter haec justi esse homines, qui etiamsi naturâ sint boni, ab ipsis tamen Diis erudiantur ad injustitiam? Ad placandum enim Deum, quem colas, iis rebus opus est, quibus illum gaudere ac delectari scias. Sic fit, ut vitam colentium Deus pro qualitate nominis sui formet; quoniam religiosissimus est cultus imitari.*

128) C) Hujusmodi autem errores, quos etiam doctissimi philosophi protulerunt, nihil aliud ostendunt, quam ipsorum insufficientiam, quia ipsi nec *potuerunt* nec *voluerunt* populum edocere.

---

[1] Lactantius haec (lib. III, Inst. 21) habet relate ad *Platonis* opinionem, qui omnia in communi possideri voluit: *Ferri hoc potest quando de pecuniâ dici videtur; quod ipsum quam impossibile sit et quam injustum, poteram multis rebus ostendere. Concedamus tamen, ut possit fieri: omnes enim sapientes erunt et pecuniam contemnent. Quo ergo illum communitas perduxit; Matrimonia quoque, inquit, communia esse debebunt.... O miram Platonis acquitatem! Ubi est igitur virtus castitatis? Ubi fides conjugalis?*

129) 1°) Non *potuerunt* tum propter *scientiae,* tum propter *auctoritatis* defectum. Philosophos paganos plurima ignorasse, vel cum errorum admixtione res scitu necessarius didicisse, vidimus superius.

Insuper deerat ipsis *auctoritas* quia inter se perpetuo divisi erant, nec plene secum ipsis consentiebant. Quod si quid boni docerent, vita eorum difformis omnino erat a doctrinâ. Hisce philosophis aptari possunt quae de Seneca scribebat S. Augustinus (*De Civ. Dei,* lib. VI, c. 10): *Colebat quod reprehendebat; agebat, quod arguebat; quod culpabat adorabat. — Quotius enim,* ait Tullius (*Tusc.* lib. II, c. 4, n. 11) *quisque philosophorum invenitur, qui sit ita moratus, ita animo ac vita constitutus, ut ratio postulat? Qui disciplinam suam non ostentationem scientiae, sed legem vitae putet? Qui obtemperet ipse sibi et decretis suis pareat? Videre licet alios tantâ levitate et jactatione, iis ut fuerit non didicisse melius; alios pecuniae cupidos, gloriae nonnullos, multos libidinum servos; ut cum eorum vita mirabiliter pugnet oratio, quod mihi videtur turpissimum.*

Ipsorum doctrinam infructuosam fuisse docet Lactantius (lib. III, c. 16) quia *qui docent tantum, nec faciunt, ipsi praeceptis suis detrahunt pondus; quis enim obtemperet, cum ipsi praeceptores doceant non obtemperare?* Et alibi (cap. 29): *Nihil ponderis habent illa praecepta, quia sunt humana et auctoritate majori, idest divina, carent. Nemo igitur credit, quia tam se hominem putat esse qui audit, quam est ille qui praecipit.*

130) 2°) Neque *voluerunt* populum edocere, sequebantur

---

quae si tollas, omnis justitia sublata est. At idem dixit, beatas civitates futuras fuisse, si aut philosophi regnarent, aut reges philosopharentur.

Sallustius (*Bell. Catilin.* c. 12–13) ita describit mores Romanorum: *Ex divitiis juventutem luxuria atque avaritia cum superbiâ invasere: rapere, consumere, sua parvi pendere, aliena cupere, pudorem, pudicitiam, divina atque humana promiscua, nil pensi neque moderati habere.... sed lubido stupri, ganeae, ceterique cultus non minor incesserat. Viri pati muliebria, mulieres pudicitiam in propatulo habere.* Cf. Tertull., *Apolog.* c. 15; Dollinger, *Paganism.* p. 664–690; G. Boissier, *Cicéron et ses amis;* De Broglie, *La Morale sans Dieu.*

enim illud: *Odi profanum vulgus et arceo*[1], paucissimisque contenti discipulis tali tradebant stilo doctrinas suas, ut nunquam a multitudine intelligerentur, cum ipsi necessarium esse autumarent plurimas veritates a plebe ignorari.[2]

131) Ab his autem culpis nec excusari possunt hodierni philosophi, qui, omnino revelationem respuentes, in plurimos errores lapsi sunt, nempe in septicismum, pantheismum, subiectivismum, materialismum et positivismum,[3] quia scientia quam se possidere jactant multum conducit ad felicitatem temporalem, nunquam vero sufficit ut ad supremum finem hominem adducat; quare et recentibus Doctoribus licet Sapientis replicare verba (*Eccl.* I, 18; II, 11): *Et agnovi quod in his quoque esset labor et afflictio spiritus.... cumque me convertissem ad omnia opera quae fecerant manus meae et ad labores in quibus frustra sudaveram, vidi in omnibus vanitatem et afflictionem animi, et nihil permanere sub sole.*

Revelatio ergo est homini moraliter necessaria.

132) *Solvuntur difficultates.* — a) Revelatio est necessaria, ergo est debita.

Resp. — Revelatio est necessaria, Dist. absolute Nego; moraliter, Conc. — Ergo est debita. Subdist. absolute Nego; hypothetice, Conc., seu posito quod Deus hoc adjutorium et non aliud hominibus tribuere voluerit.

133) b) Homo naturaliter desiderat beatitudinem perfectam. Jamvero beatitudo perfecta consistit in visione intuitiva Dei; potest ergo homo sine revelationis ope cognoscere se ad intuitivam Dei visionem destinari.

Resp. — Desiderat homo naturaliter beatitudinem per-

---

[1] Horat., od. III, 1.

[2] *Est enim philosophia,* scribit Cicero (*Tusc.* l. II, c. 1) *paucis contenta judicibus, multitudinem consulto ipsa fugiens, eique ipsi et suspecta et invisa.*

[3] Juvat hic referre nomina illorum qui respuentes revelationem in turpissimos errores prolapsi sunt. Ex his recensemus *Hume, Bayle, Spinoza, Fichte, Schelling, Hegel, Vacherot, Kant, Spencer, J. Simon, Harnack.*

fectam, Dist. omnis scilicet mali expertem, et cuiuslibet felicitatis naturalis compotem, Conc.; beatitudinem perfectam seu supernaturalem in visione Dei intuitiva consistentem, Nego.

Jamvero beatitudo perfecta in Dei visione consistit. Subdist. Supernaturalis Conc.; Naturalis, quam appetit homo, Neg. Hinc falso deducitur hominem revelatione destitutum posse finem suum cognoscere.

Naturâ sane fertur homo in felicitatem, et quidem perfectam, eo tamen perfectionis genere quod homini convenit in ea, qua constitutus est naturali conditione. Quare id nequit appetere quod illam longe praetergreditur, quodque suis tantum nixus mentis viribus cognoscere impar est: nam ignoti nulla est cupido. Alius porro est modus cognoscendi Deum pro homine elevato et alius pro homine non elevato. Homo elevatus *intuitive,* non elevatus *abstractive* tantum Deum cognoscit. Quamobrem dici potest homini cognitionem Dei *intuitivam* nonnisi cum revelationis auxilio esse *connaturalem.* Denique notetur cognitionem *abstractivam* esse *in se perfectam,* non vero respectu habito ad cognitionem *intuitivam.*

134) c) Etiam post revelationem plures errores remanserunt. Ergo non est necessaria revelatio.

Resp. — In iis, ad quae non refertur revelatio, Trans.; in iis ad quae extenditur illa, Subd.: inefficaci revelationis ipsius virtute, Neg.; hominum vitio, Conc. Errores, peracta quoque revelatione per Deum, remansisse nec paucos nec minimos facile concedimus; quod tamen non debet inefficaci revelationis virtuti tribui, sed hominum prorsus culpae vitiisque. Revelatio enim non hominum malitiam omnino removet, quum ipsa neque mutet hominum essentiam, neque destruat ejus libertatem, neque impossibiles reddat abusus. Ceterum nemo profecto negabit homines, qui amplexi sunt revelationem eique plene adhaeserunt, non solum ab erroribus, in quos ceteri turpiter sunt prolapsi, immunes fuisse omnibus, sed veritates quoque scitu necessarias facillime assecutos fuisse, eosdemque bonis excultos moribus floruisse.

CAPUT III.

REVELATIONIS DISCERNIBILITAS.

135) Vidimus hucusque revelationem esse possibilem et moraliter necessariam; quare homines gravis adstringit obligatio in revelationem inquirendi, quo fit ut indifferentismus sit omnino respuendus (n. 55).

Modo ad cognoscendum utrum aliqua religio sit revelata et qua ratione a falsis distinguatur, itemque ut certi simus revelationem immediate quibusdam factam esse hominibus, *signa* quaerimus, quia ait S. Thomas (*S. C. G.* l. III, c. 155) *sermo propositus confirmatione indiget ad hoc quod recipiatur, nisi sit per se manifestus, ea autem quae sunt fidei sunt humanae rationi immanifesta, necessarium fuit aliquid adhiberi quo confirmaretur sermo praedicantium fidem. Non autem confirmari poterat per aliqua principia rationis per modum demonstrationis, quum ea quae sunt fidei rationem excedant. Oportuit igitur aliquibus indiciis confirmari praedicantium sermonem, quibus manifeste ostenderetur hujusmodi sermonem processisse a Deo.*

Humana quidem ratio, addit Pius IX (Enc. *Qui pluribus*) *ne in tanti momenti negotio decipiatur et erret, divinae revelationis factum diligenter inquirat oportet, ut certo sibi constet Deum esse loquutum, ac eidem, quemadmodum sapientissime docet Apostolus, rationabile obsequium exhibeat.*

Jamvero de hujusmodi criteriis seu notis, quibus divina revelatio certo cognosci possit, nobis hic est agendum, quod praestabimus duobus distinctis articulis, in quorum primo agemus *de criteriis in genere*, in altero vero *de miraculis in specie.*

ARTICULUS I

DE NOTIS REVELATIONIS IN GENERE.[1]

136) NOTARUM NOTIO. — Nomine notarum et criteriorum intelligimus illa *signa seu media quibus ad rem cognoscendam et verum a falso distinguendum pertingimus.* Hujusmodi media si rei cognoscendae inhaereant vel quasi unum aliquod cum re cognoscenda constituere cogitentur, *notae* vocantur; quatenus autem ex iis discernitur vera revelatio, dicuntur *criteria; motiva* vero *credibilitatis* appellantur ea, quorum ope revelatio digna redditur quae a nobis suscipiatur.

137) NOTARUM PRAECIPUAE PARTITIONES. — Notae divinae revelationis aliae sunt. a) *intrinsecae* vel *internae*, aliae *extrinsecae* vel *externae. Intrinsecae* quidem quae ipsi doctrinae revelatae inhaerent, ut ecce pulchritudo, sublimitas, harmonia doctrinae: *extrinsecae*[1] autem sunt quae non ex ipsa doctrina, sed ex aliorum circa divinam illius originem testimonio desumuntur; nam de revelatione idem valet quod de omni re cognoscenda adhibemus; omnis enim res aut cognoscitur per seipsam, aut per aliquod eidem non proprium. Quare ratio externa aliorum testimonio sive divino, sive humano; interna vero sive natura doctrinae propositae sive effectibus constituitur.

b) Insuper notae sunt aut *positivae* aut *negativae. Positivae* sunt illae, quae cum majori vel minori certitudine directa, nos movent ad doctrinae divinam originem admittendam, ut ecce doctrina excellentia, et cum ratione

---

[1] De criteriis externis haec habet Concil. Vaticanum (*De fide*, c. 3, *Denz.* 1639): *Ut fidei nostrae obsequium rationi consentaneum esset, voluit Deus cum internis Spiritus Sancti auxiliis externa jungi revelationis suae argumenta, facta scil. divina atque in primis miracula et prophetias, quae cum Dei omnipotentiam et infinitam scientiam luculenter commonstrent, divinae revelationis signa sunt certissima et omnium intelligentiae accommodatae.*

conformitas si de internis, miracula et vaticinia si de externis sermo fiat; *negativae* vero sunt immunitas revelationis a contradictione cum principiis rationis, cuique scientiarum generi applicatis.

Si haec criteria desint revelatio est aperte falsa, si vero adsint, praesumptio tantum veritatis exurgit. Praecipua criteria negativa interna sunt immunitas non solum a contradictione, sed etiam ab errore et fraude; negativa externa sunt praeconis veracitas et a delirio immunitas.[1]

c) Denique criteria externa alia sunt *sensibilia*, alia *insensibilia;* quorum priora sunt illa quae sensibus externis attinguntur; insensibilia quae sensus externos effugiunt, ut ecce motiones divinae, quae in seipsis sensui externo sunt inaccessae, quamvis in suis effectibus sint obviae sensibus externis.[2]

138) De scopo et usu notarum. — Quaerentibus cui fini inserviant notae, respondemus ad revelationis factum certo cognoscendum nos eas adhibere; in re enim tanti momenti requiritur certitudo saltem moralis Deum locutum esse, tum ut in fidei assensu firmitas obtineatur, tum ut errandi periculum omnino praecaveatur.

Ad factum revelationis probandum non sufficiunt, uti Rationalistae praesumunt, criteria interna, sed etiam criteria externa sunt necessaria, quia conformitas doctrinae cum ratione probat eam esse veram, non autem esse revelatam.

139) Sin autem sermo fiat de usu notarum, an scilicet anteponenda sit methodus *historica,* quae notis extrinsecis innititur, vel *philosophica* quae intrinsecis, non una est do-

---

[1] Quandoque criteria negativa illa dicuntur quibus veritas revelationis negatur, quando scilicet demonstratur adesse aliquid revelationis credibilitati contrarium.

[2] Ut hanc distinctionem intelligamus, id prae oculis habere debemus nempe criterium externum distingui a criterio *externe sensibili.* Motiones divinae, exempli gratia, sunt criterium externum quia distinguuntur a veritate revelata cui accedunt, sed non sunt in se externe sensibiles quia in hominis mente perficiuntur.

ctorum sententia.[1] Certum est methodum historicam esse *breviorem, faciliorem*, itemque *tutiorem,* sed hoc non tollit methodi doctrinalis utilitatem, quia aliquando nisi per hanc methodum praejudicia removeantur, inutilis fieret inquisitio historica, cum facta nihil probent pro iis qui

[1] Quidam notarum intrinsecarum vim nimis extenuant easque respuunt. Alii e contra nonnisi notis intrinsecis vim recognoscunt, et veterem Apologeticam omnino seponendam censent. Ex his habemus Mauritium Blondel qui vult apologiam magis in *conscientia* quam in *scientia* fundari. Hanc suam opinionem in quadam epistolarum serie exponit, quas primum edidit in ephemeride *Annales de la philosophie chrétienne* et postea separatim in opuscolo cui titulus: *Lettres sur les exigences de la pensée contemporaine en matière apologétique* (1896). *L'opuscolo,* scribit P. Semeria, (*Venticinque anni di storia del cristianesimo nascente*, p. 80 in nota) *mise il campo a rumore, cosa che non suole accadere neanche ai grossi libri, quando* (*come novantanove volte su cento avviene*) *ripetono cose vecchie.* Methodum doctissimi Blondel, quam strenue defendit Laberthonnière (*Le problème religieux à propos de la question apologétique*, 1897) quam e contra in eodem periodico refellit H. Gayraud (*Une nouvelle apologétique chrétienne*, Dec. 1896, Jan. 1897), et P. Schwalm in ephemeride *Revue Thomiste,* non solum approbat, sed omnino suam facit clarissimus Semeria, tum in opere citato, tum in dissertatione quae inscribitur: *Gente che torna, gente che si muove, gente che si avvia* (1901). Ipse substantialiter ait: *Si religio christiana esset doctrina mere scientifica, satis erit si intellectui lux afferatur. At fides pendet a voluntate. Jamvero veteres Apologetae christiani adeo certi erant de suis conclusionibus circa praecipua religionis capita, adeo fidenter philosophabantur, ut viderentur ad intellectum tantum se dirigere.* Quoniam cordi est mihi hanc quaestionem diligenter inquirere, eo magis, quod haec multam prae se fert connexionem cum altera quae de notis agitabitur, referam genuina verba eruditissimi auctoris, qui merito aetatis nostrae decus reputatur, a quo tamen si dissentire audeam, certe non recedam affectu et aestimatione, nam quandoque bonus dormitat Homerus, et soles etiam habent suas maculas. *Se il Cristianesimo,* (ipse ait, op. cit., p. 78, n. 10) *fosse una dottrina scientifica, come lo sono la matematica, la fisica, come lo è la storia, e anche* (*benchè in grado e con forme diverse*) *la filosofia, le condizioni subiettive.... sarebbero facilissime a determinarsi.... si richiederebbero delle disposizioni d'ordine puramente intellettuale. Or bene, i nostri apologisti cristiani fino a ieri parevano così sicuri della matematica o quasi matematica evidenza delle loro dimostrazioni* (*dimostrazioni dell' esistenza di Dio, della divinità di Gesù Cristo, della missione divina della Chiesa*), *tessevano con tanta fiducia i loro sillogismi e i loro soriti da far credere a chi li sentiva o leggeva che al-*

dogmata christiana absurda esse censent. Ceterum si hanc methodum utilem dicamus, non debemus tamen historicam et traditionalem respuere, quamvis quae methodus sit praeferenda est ex adjunctis dijudicandum. *Philosophus vehementius fortasse commovebitur,* ait NEWMAN (*Two*

---

l' intelletto direttamente, o, come suol dirsi, alla ragione pura s' indirizzassero e l'acume di questa reputassero sufficiente a raggiungere, a conquistare la fede.... Perchè cristiani, essi non potevano credere che il metodo dell' apologia cristiana sia puramente intellettivo, che l'apologia consti di sillogismi rivolti alla ragion pura — essi dovevano credere che per giungere alla fede ci vuole oltre e più che una certa apertura di mente, una DIRITTURA *di volontà — che ove questa manchi, nessuna apologia ha argomenti da piegare e convincere l' intelletto — che perciò quando questo effettivamente piega in* obsequium fidei, *non piega solo per l'energia oggettiva del vero che brilla dal di fuori, ma per la efficacia subiettiva della buona volontà che opera al di dentro. Ma sembrava, a sentirli parlare, che tutto questo elemento affettivo, morale, indispensabile alla fede avessero dimenticato.* Eandem opinionem profert in citata dissertatione. *Dio non vuole salvare il mondo colla dialettica.... I primi apologisti per agevolare ad altre anime il cammino verso la fede, descrissero quello che esse medesime avevano percorso.... le consuete apologie consegnate su pei libri io le chiamerei appunto così:* GUIDE ALLA FEDE.... *ma appunto perciò hanno due o tre difetti.... Il primo difetto d'ogni apologia si è questo, che essa è di natura sua una guida* UFFICIALE.... *Ma c'è di più: ogni apologia, non solo è una guida ufficiale e monca che non tiene conto dei sentieri, bensì anche una guida puramente* INTELLETTUALE. *Quando le apologie, in origine, erano storie, ci si rifletteva tutto l'uomo.... ma quando di storia viva divennero opera riflessa,.... furono una serie bella, ben ordinata, stringente di raziocinii.... Ma ragionare per credere non basta.... non basta studiare una buona, una logica, una stringente apologia della fede in un libro per arrivare al Cristianesimo, non basta* STUDIARE, *bisogna* AGIRE.... *Di qui il Laprune, e poi chiaramente il Blondel secondato dal Laberthonnière, fu condotto ad approfondire un criterio in realtà non meno filosofico che cristiano:* LA COLLABORAZIONE NECESSARIA DELLA VOLONTÀ COLL' INTELLETTO PER GIUNGERE ALLE VERITÀ MORALI E RELIGIOSE. *Convincere intellettualmente uno che il Cristianesimo è vero, è buono, è già molto ma non è tutto. Come si muoveranno verso il Cristianesimo, dopo che fu loro dimostrato sovrannaturalmente vero e bello, anime a cui manchi ogni palpito di vita superiore?... Questo dunque bisogna fomentarlo nelle anime. E il fomentarlo non è più opera d'intelletto, è opera di volontà, non opera razionale, è opera morale. Le verità religiose e morali sono fatte così, che non può dire d' averci* ADERITO *per davvero se non chi le abbia generosamente* ABBRACCIATE. *Dio, verità ed*

Essays on biblical and ecclesiastical miracle, 1890, p. 8) *populi judaici constitutione vel mira mutatione a Christianismo peracta. Ex adverso, praeclara Novi Testamenti moralia praecepta, eorumque luculenta ingenuitas indoctis ac spiritu simplicibus quam maximam persuasionem ingerunt. Operae*

---

amore, non può entrare in un' anima che come amico, e non vi entra come amico se non arriva fino al cuore. La verità morale e religiosa non basta ACCETTARLA, *bisogna* VIVERLA. *Non si crede davvero e utilmente a Dio dicendo con la punta dell' intelletto freddamente: Sì, c' è Dio... non si crede in Dio se non mettendo in Lui tutta l'anima e Lui introducendo in tutta la vita.... Che se aderire al Cristianesimo per davvero vuol dire aderirvi così con tutta l'anima abbracciandolo, niuna conversione può essere opera di intelletto puro e niuna apologia può in puri raziocinii esclusivamente trattenersi.* Cf. etiam: *L'arte e l'apologia cristiana nel Quo Vadis* ejusdem auctoris p. 35 in nota).

Plurima possunt circa hanc quaestionem notari. Si attente integrum caput legamus, hoc nobis persuadebimus, nempe doctissimum scriptorem confundere scopum ultimum quem sibi Apologistae proposuerunt, cum termino immediato suarum apologiarum. Sine dubio Apologistarum finis ultimus, quem sibi proponebant, ad fidei assensum terminabatur; terminus vero immediatus ab ipsis intentus erat certitudo moralis quod de facto Deus rem revelaverat: haec enim certitudo consistit in earum cognitionum complexu quae ad fidem habendam necessario praesupponuntur. Nam, ait AQUINAS (S. Th. II^{a}–II^{ae}, q. I, art. 4 ad 2^{um}) *ea quae subsunt fidei considerari possunt sub communi ratione credibilis,* ET SIC SUNT VISA AB EO, QUI CREDIT: *non enim crederet, nisi videret ea esse credenda, vel propter aliquid hujusmodi.* Jamvero hoc omne principaliter est intellectus et ratiocinii effectus. Apologistae enim prae oculis habuerunt distinctionem inter *fidem informem* et *fidem formatam;* ad fidem prioris generis habendam non requiritur motus voluntatis in obiectum tanquam ad ultimum finem supernaturalem; hujusmodi autem motus requiritur in fide formata, quo fit ut habeatur assensus fidei qui est actus intellectus determinati ad unum ex imperio voluntatis; quare fides, ut est virtus, non habet inquisitionem rationis naturalis demonstrantis id, quod creditur: habet tamen inquisitionem quandam eorum, per quae inducitur homo ad credendum; puta quia dicta sunt a Deo et miraculis confirmata.

Insuper notamus actum fidei pendere a voluntate quam supernaturalis gratia ita movet, ut hujusmodi actus sit salutaris, et nullimodo sit ratiocinii cujusdam consectarium, cum e converso immediate innitatur Veritati primae loquenti, quae infinite excedit vim argumentativam intellectus creati. At si voluntatis motus sit necessarius ad habendum

pretium est statuere Revelationis argumenta vim CUMULATIVAM *prae se ferre et mutuam vim sibi invicem praestare; quapropter argumentum e miraculis depromptum multo validius est, si una cum aliis perpendatur, quam si solum consideretur.*

§ I. — De criteriis internis positivis.

140) Ad revelationis factum certo cognoscendum necessaria sunt criteria interna positiva; haec tamen, praecisione

---

fidei actum, certe non requiritur ad veritatis inquisitionem, quia hujusmodi motus voluntatis est omnino intrinsecus, et una cum potentia intellectiva fidem emittit. Requiritur tamen in veritatis inquisitione conditio quaedam extrinseca, scilicet subiecti ad utrumlibet indifferentia, cui accedunt et animi rectitudo et propositi tenacitas, non secus ac requiritur etiam in studiis scientiarum naturalium et in inquisitione veritatis ordinis naturalis. Quare Apologistae recte ad intellectum suas direxerunt argumentationes et conclusiones.

His adde quod Apologistae jure meritoque, cum apodicticas recognoscerent suas argumentationes, non fidem immediate exigebant, sed assensum exurgentem ex obiectiva certitudine, quam credibilitatis motiva praeseferunt. Caeterum de hoc tantum Apologistae contenti erant, licet indirecte ad fidei assensum obtinendum conspirarent; ad quem assensum habendum probe sciebant necessarium esse voluntatis concursum. Jam vero si hoc idem intendat P. Semeria, ejusque in hac opinione praedecessores, ei assentimus; sin autem apologiae methodum intendat, quae magis conscientiae, quam scientiae innitatur, certe hoc ipsi non concedimus, quia, utar verbis doctissimi P. Mattiussi S. J., *si giudica insufficiente l'oggettiva e storica realtà a convincere l'intelletto, sperando che dai bisogni sentiti nel cuore si deduca meglio la necessità di un ordine soprannaturale.* Hujusmodi enim processus ad fidem excedit non solum entitativam proportionem, sed etiam naturalem exigentiam spiritus creati. Quod si aliquando hujusmodi Apologiae subiectivae genus ita hominem excitat ut ad fidem tandem aliquando perveniat, certe non erit tuto sequendum, non enim fas est argumentationibus de se non validis inniti, praesertim cum facilius in Kantianum subiectivismum, unde scepticismus absolutus manavit, possimus incidere.

Sed ut pressius insistamus in verbis clarissimi Semeria, certum est quod *non in dialectica complacuit Deo salvum facere populum suum,* fides enim est donum a Patre luminum descendens, ad quam nunquam ratiocinia adducere poterunt; at in mentem eruditissimi Patris revoca-

facta a criteriis externis, quae in re nostra sunt praecipua habenda, nullius ponderis sunt; siquidem criteria interna positiva, quae consistunt in doctrinae excellentia, sublimitate, et in honestatis fructibus exinde manantibus, nihil aliud ostendunt quam doctrinam esse veram, non autem esse revelatam.

---

mus fidem non fuisse immediate ab Apologistis intentam. Verum est non sufficere ratiocinium ad fidem habendam et necessariam esse *la collaborazione della volontà coll' intelletto per giungere alle verità morali e religiose;* sed haec cooperatio necessaria est ut aliquis fidei actum emittat, verum ad hoc habendum praecise requiritur *un palpito di vita superiore.* At certe hujusmodi palpitum nequeunt Apologistae fovere, quia solus Deus est causa gratiae, nullaque creatura potest gratiam efficere ut per se agens.

Solius Dei, ait Em.^{us} SATOLLI (*De Gratia,* p. 165) *est commutare voluntatem ex parte ipsius potentiae. Alio modo ex parte obiecti potest immutari potentia, adhibendo scil. obiectum, quod potentiam moveat. Atqui voluntatem non movet de necessitate obiectum, nisi quod est naturaliter motivum* (ut beatitudo) *vel aliquid hujusmodi, quod voluntati a* SOLO DEO *proponitur. Ergo etiam ex parte obiecti solus Deus potest immutare voluntatem.* Quoniam autem fides est donum Dei, nulla praeparatio positiva, requiritur, quasi antecedens divinum auxilium, neque homo potest se praeparare positive ad gratiam, quae profecto praeparatio haberetur si Apologistae foverent in homine palpitum vitae superioris. Potest tamen negative se praeparare removendo obices.

Certum tamen est adhaesionem ex parte intellectus tantum, esse imperfectam, et quod simplex adhaesio intellectus non efficit quod Deo *utiliter credatur;* quia ut fides sit salutaris debet esse perfecta, et ut quis adhaereat christianae religioni debet ipsam amplecti; at exinde non exurgit subiectivitas Apologiae.

Nihilominus ne omnino spernenda dicamus argumenta Blondel, Semeria, etc., concedimus non omnino perfectas esse veteres Apologias et proinde in medio virtutem consistere, quo fit ut utraque methodus simul adhibita Apologiam perficiat ipsamque reddat efficaciorem; hoc tamen requirimus ut praecipuae partes dentur methodo obiectivae; quod certe etiam clarissimo Semeria, qui prae ceteris mitigatior apparet, placere confidimus.

Hanc mediam viam et nos sequendam praedicamus, quam a doctissimis viris scimus excultam, ut ecce TORREGROSSA, *Il metodo in Apologetica e A. T. P. De Broglie,* (Siena 1896); TANQUEREY, *Sinopsis Theologiae* (Tomo I. p. 83); BACHELET, S. I., *L'apologétique traditionnelle et l'Apologétique moderne* (Paris 1898). De hoc novissimo scribit Semeria

Erroneum quippe esset asserere hujusmodi criteria sufficere ad revelationis factum probandum, et Spinozae assentiremus affirmanti quod *ipsi persuasum est divinae revelationis certitudinem solâ doctrinae sapientiâ, non autem miraculis adstrui posse.* Quare nos dicimus criterium positivum utile esse ad revelationem dignoscendam, non autem esse primarium criterium.

(op. cit. p. 81 in nota) : *Molto più temperato si mostrò il P. Bachelet, ammettendo che il nuovo metodo apologetico preconizzato dal Blondel (chiamandolo nuovo, benchè forse, se si studiassero — oltre i neo-scolastici e gli scolastici — i Padri, si troverebbe che ha molti elementi antichi) poteva essere il solo utile a certi determinati spiriti. Il che non gli darebbe diritto di combattere e di voler eliminare il metodo tradizionale, ma di sussistere anche lui accanto a questo. È già qualche cosa benchè io dubito che il Blondel e suoi se ne accontentino, giacchè essi nelle loro ricerche non sono guidati da considerazioni di opportunità, ma da ragionamenti obbiettivi.* Unde patet neo-apologetas praecipuas partes tribuere apologiae subiectivae.

Haec jam scripta erant quum Vir Eminentissimus Card. Parocchi ad me, licet indignum, comiter dignatus est remittere eruditissimam ac de more splendidam facili eloquio dissertationem, qua ipse die 28 Martii hujus anni, saecularibus festis primum redeuntibus ab origine Pontificiae Academiae Romanae Religionis Catholicae, ejus praeclara in Religionem emolumenta celebravit. Cum hanc dissertationem perlegissem, quaedam inveni ad rem maxime conducentia, eaque verbatim referenda duxi quippe quia auctoritate tanti Viri nostra confirmatur opinio. *Troppo vagherei lontano dall'argomento,* ipse ait, *se volessi qui passare in rassegna i vari sistemi, pensati a' nostri giorni per ammodernare l' apologetica. Mi contento d'osservare, qui alla sfuggita, che tra le proposte davvero solide, e da tenerne conto, sovente se ne intrudono di ardimentose e indiscrete, piuttosto nate a imbaldanzire l'antitesi, che a rinsaldare la tesi. Ma basti il cenno. Quanto a noi, crediamo tenere la giusta via, occupandoci, secondo il codice nostro, di svolgere le verità religiose e impugnare gli errori, che le guerreggiano.*

Et paulo inferius addit: *Si dice, anche da chi si dovrebbe meno: la mobilità dell' intelligenza, ed i nuovi gusti trascinano alla novità de' metodi e de' sistemi.*

Più che l' intelligenza, è mobile la fantasia, e guai a chi fa dipendere da questa le attitudini della scienza. La moda è tiranna incommoda, anche solo prescrivendo le foggie degli abiti; quanto più incommoda, se pretende foggiare a suo grado gli abiti dell' intelletto.

Che l'angolo prospettico, per così dire, dell' apologia, possa orientarsi diversamente, secondo le esigenze del tempo, non abbiamo difficoltà a con-

Et sane ut criterium positivum tanquam primarium habendum sit, requiritur quod perfecte interna doctrinae veritas vel sublimitas innotescat pluribus, quia signum debet esse magis notum quam res cujus est signum; unde fit ut illud signum praestantius habeatur, quod facilius applicari potest. Jamvero doctrinae veritas vel sublimitas difficillime a plerisque cognoscitur, attenta praesertim hominum conditione, qui antequam ad examen revocent doctrinam revelatam, deberent idonei esse ad percipienda et dijudicanda illa omnia, quae de Deo deque morum honestate Philosophi docuerunt. Quod si hujusmodi praevium examen circa veritates quae non excedunt ordinem naturalem non potest ab omnibus fieri, certe impossibile evadit si doctrina revelata contineat, sicuti de facto continet, mysteria, quorum interna possibilitas perspici nequit.

Verum etsi cognoscamus doctrinae internam perfectionem, difficillimum adhuc est judicare utrum haec doctrina Deum habeat auctorem an non; ad hoc enim judicium ferendum Dei auxilium necessarium est.

141) Neque debemus tanquam unicum revelationis criterium illud admittere quod in sensu interno Protestantes reponunt, quia ut aliqua doctrina omnibus placeat hominibus, requiritur ut homines eam absque praejudiciis recipiant, quod omnino haberi nequit cum alio modo doctrina eadem hominem afficiat vitae integritate praestantem, et alio modo moribus corruptum; quapropter hujusmodi criterium admodum instabile est dicendum.

---

cederlo un' altra volta. E però ne' particolari, che riguardano il fatto, non sarà mai eccessiva la diligenza per assicurarne la verità. Nè sarà perduta l'opera di chi trasferisca all'apologetica, siccome gli ebrei fecero con gli egiziani, le spoglie veramente preziose degli avversari.

Ma che per i costoro pregiudizi abbiasi anche solo a dissimulare la verità, e perchè essi negano il principio della ragione sufficiente e delle cause finali, non se ne debba tener conto nella difesa, neppure ragionando ab absurdis, *neppur dimostrando, che negati quei due principii, il grande ed il piccolo mondo cioè l'universo e l'uomo precipitano nell' anarchia, questo è troppo; e per via sifatta vedremo pervertirsi gli apologisti, senza che nulla guadagni l'apologia.*

142) Denique doctrinae fructus quamvis sit divinae revelationis argumentum, arbor enim e fructibus dijudicanda est, nihilominus non est hujusmodi criterium inter praecipua computandum; nam aliquando etiam doctrina non revelata bonos protulit fructus, constat enim, etiam apud ethnicos, quosdam virtutem coluisse, et homines, post revelationem susceptam, errores protulisse.

143) Concludentes hanc de criteriis positivis internis quaestionem, dicimus haec criteria non esse praecipua ad factum revelationis certo probandum, praesertim si tanquam unicum criterium adhibeantur, esse tamen validissimum criterium si una cum externis adhibeantur.

Qua in re hoc notatum volumus nempe criterium positivum internum non esse ad hanc vel illam doctrinam coarctandum, sed ad totius veritatis complexum; quo fit ut hujusmodi criterium plurimum ponderis acquirat, quum totius doctrinae revelatae complexus in comparationem adductus cum sistemate ethico-religioso, quod philosophi revelatione destituti protulerunt, praestantissimus appareat, et divinitatis quodammodo sigillum praeseferat.

§ II. — De criteriis internis negativis.

144) Quae diximus de criteriis internis positivis, etiam internis negativis applicari possunt, nempe haec criteria non esse praecipua; attamen si haec criteria desint, certo constat revelationem non esse factam; si vero adsint, nihil aliud ostendunt quam revelationis possibilitatem.

Ceterum haec criteria prae oculis habenda sunt, quum sint via expeditior et brevior ad revelationis inquisitionem perficiendam, quia si cuidam doctrinae subsit vel falsitas, vel cum morum honestate pugna, vel cum principiis rationis cuique scientiarum generi applicatae contradictio, jam patet doctrinam non esse revelatam, Deus enim, utpote summa Veritas, nequit testimonio suo confirmare doctrinam

falsam[1] (Cf. S. Th. II-II^{ae}, q. CX, art. 2) et mendacium, quod natura sua est malum, idque ipsi Deo, qui est Summa Bonitas pariter repugnat, non secus ac ei repugnat quod sit auctor doctrinae quae ordini morali adversetur et actionem inhonestam approbet.

Denique, si Deus legem inhonestam lege positiva aut preciperet, aut approbaret jam in homine pugna oriretur et posset ipse Deo obedientiam recusare; quod affirmare absurdum est.

ARTICULUS II.

DE MIRACULIS.[2]

145) Quum criteria interna tam positiva quam negativa, quamvis plurimi facienda sint, non sufficiant ad

---

[1] Ad rem scribit S. THOMAS (*S. Th.* II-II^{ae}, q. I, art. 3): *Nihil subest alicui potentiae, vel habitui, aut etiam actui, nisi mediante ratione formali obiecti: sicut color videri non potest, nisi per lucem; et conclusio sciri non potest, nisi per medium demonstrationis; dictum est autem quod ratio formalis obiecti fidei est veritas prima; unde nihil potest cadere sub fide, nisi in quantum stat sub veritate prima, sub qua nullum falsum stare potest: sicut nec non ens sub ente, nec malum sub bonitate; unde relinquitur quod fidei non potest subesse aliquod falsum.*

[2] Cf. S. THOM., *S. Th.*, I, q. CV, art. 6–8; q. CX, art. 4; CXIV art. 4; I-II^{ae}, q. CXIII, art. 10; II-II^{ae}, q. CLXXVIII, art. 1–4; III, q. XLIII, art. 2–4; q. LXXVIII, art. 4; *S. C. Gent.* l. III, c. 101; Qq. *disp.*, *De Potentia*, q. VI *De miraculis*; S. AUGUST., *Serm. In Joann.*; *De civit. Dei*; HOOKE, *apud Migne, Theol. Curs.* II, p. 507 sq.; PERRONE, n. 109 sq.; BRUGÈRE, n. 4 sq., n. 34 sq.; MAZZELLA, n. 171 sq.; LAMBRECHT, q. 152 sq.; CROSTA, *op. cit.*, n. 53 sqq.; ZIGLIARA, *op. cit.*, lib. I, cap. 20, 21; lib. II, cap. 10; WILLMERS, *op. cit.*, lib. I, cap. 3, art. 5, n. 141 sqq.; TANQUEREY, *op. cit.*, n. 68 sqq.; HURTER, n. 19 sqq.; SPAGNI, *De miraculis*; VAN WEDDINGEN, *De miraculo*; BENEDICT. XIV, *De servorum Dei beatificatione et de beatorum canonizatione*; NEWMANN, *Essays on miracles*; CARD. PAROCCHI, *L'orrore al soprannaturale*; TRENCH, *Notes on the miracles of O. Lord*; BUSHNELL, *Nature and the Supernatural*, 1892; J. B. MOZLEY, *Eight Lectures on miracles*, 1890; GONDAL, *Le miracle*; MEAD, *Supernatural Revelation*, c. 4–6; DE BONNIOT, *Le miracle et ses contrefaçons*, ed. 5, 1895; IDEM, *Le miracle*

probandum factum revelationis, necessaria sunt, uti diximus, criteria externa. Ex hisce praecipuum locum tenent miracula, quae, uti Card. *Newmann* affirmat, sunt sigillum quod propriâ manu Deus cuidam legationi apponit, licet per hominis ministerium factae.[1] Quapropter, cum hujus criterii maxima sit vis, ejus debemus sedulo inquirere naturam, ut de ipso perfectam notionem acquiramus et discernere valeamus quando et quibus in adjunctis miraculum operetur.

Igitur hanc quaestionem in quatuor distinctis paragraphis persolvemus, in quorum primo agendum est de *miraculi notione*, in altero *de miraculi possibilitate*, in tertio *de miraculi cognoscibilitate*, in quarto denique *de miraculi ad probandum efficaciâ*.

Cum haec quaestio gravissima sit, nostra enim aetate impudentissime supernaturale respuitur, rem cogimur fusius pertractare; nemo proinde nobis obiiciat nos aeque partium distributioni quasi non consulere.

---

et les sciences médicales; J. Didiot, *Logique surnaturelle objective*, th. 26; Ottiger, p. 170; Martin. Del Rio, S. J. *Disquisitionum magicarum libri sex*, 1640; Monsabré, *Introduz. al dogma Cattolico*, Vol. III; Blanche, *Études de métaphysique religieuse, Le Surnaturel;* Frayssinous, *Défense du Christianisme, Conférence sur le Miracle en général;* Freppel, *Le surnaturel et le Miracle;* Ginon, *Les Miracles de Lourdes;* Nicolas Aug., *Études philosophiques sur le Christianisme, Les miracles;* D. Imbert Gourbeyre, *La stigmatisation, l'Extase divine et les Miracles de Lourdes* (1894); Idem, *L'Hipnotisme et la Stigmatisation* (1899); De La Barre, *Faits surnaturels et forces naturelles* (1900); A. Vallet, *Les trois formes du surnaturel* (1900); Emm. Coste, *Qu'est-ce que le miracle?* (1900); Boissarie, *Lourdes depuis 1858 jusqu'à nous jours* (1894); Tronchère, *Est-il possible de constater de vrais miracles;* Meric, *Le merveilleux et la science;* Lescœur, *La science et les faits surnaturels contemporains* (1897); Surbled, *Les Stimastes selon la science;* P. Coconnier, O. P., *L'hypnotisme franc* (1897); Lépicier, *Del miracolo, sue leggi, sue relazioni con l'ordine soprannaturale* (1897); etc. etc. etc.

[1] Newman, *Two Essays on biblical and on ecclesiastical Miracles* (p. 10). En ejus verba: (A miracle) *professes to be the signature of God to a message delivered by human instruments.*

§ I. — Notio miraculi.

146) Miraculum si *quoad nomen* spectetur, significat quidquid admirationem excitat, a verbo enim *miror* derivatur.[1] *Nomen miraculi,* ait S. Thomas [2] (*Summ. Theol.* I, q. CV, art. 7) *ab admiratione sumitur.... miraculum autem dicitur quasi admiratione plenum.*

Jamvero in miraculo, non secus ac in aliis operibus, debemus tum effectum, qui sensibilis est et spectabilis, tum causam, quae occulta est, considerare. Ex facto, cuius causam ignoramus, exsurgit admiratio. Haec autem admiratio, quae ex causae occultatione oritur, potest esse *subiectiva* vel *obiectiva.*

a) Habemus admirationem *subiectivam* vel etiam *relativam* quando, uti notat Angelicus (*Qq. disp.* q. VI, art. 2), *causa effectus quem miramur non est occulta simpliciter, est occulta huic vel illi, nec in re quam miramur est dispositio repugnans effectui quem miramur, secundum rei veritatem, sed solum secundum opinionem admirantis; et ex hoc contingit quod id quod est uni mirum vel admirabile non est mirum, vel admirabile alteri, sicut sciens virtutem calamitae non miratur si videat ferrum ascendere, ignorans autem hunc virtutem*

---

[1] Miracula variis, pro diversitate considerationis, nominibus donata sunt; si factum ipsum consideremus tanquam excedens facultatem naturae *virtutes* (δυνάμεις) dicta sunt, quare S. Marcus de Christo scribit (VI, 2): *Unde huic haec omnia?.... et virtutes tales, quae per manus ejus efficiuntur;* si id consideremus propter quod miracula fiunt, scilicet ad manifestandum aliquid supernaturale, tunc signa (σημεῖα) (Joann. VI, 2) appellantur, vel etiam *gloriosa* (ἔνδοξα) prout Dei gloriam manifestant; propter autem ipsorum excellentiam *portenta* dicuntur vel *prodigia* (τέρατα) quasi procul aliquid ostendentia, vel etiam *opera* (ἔργα) utpote opera Dei propria. Hanc denominationum distinctionem prae oculis habuit divus Paulus haec ad Corinthios scribens (2ª ad Cor. XII, 12): *Signa apostolatus mei facta sunt super vos in omni patientia, in signis, et prodigiis, et virtutibus.* (Cf. S. Th. II-IIae, q. CLXXVIII, art. 1 ad 3.)

[2] Cf. Qq. disp. q. VI, art. 2.

miratur, cum sciat ferrum naturali motu debere tendere deorsum.

b) Habemus autem admirationem *obiectivam* vel *absolutam* quando causa simpliciter et omnibus est occulta[1], et quando in re est contraria dispositio, secundum naturam, effectui qui apparet.

147) Miraculum *quoad rem* consideratum ita potest generice definiri: *Manifestatio divinitatis in opere sensibili extraordinario;* in qua definitione dicimus miraculum esse 1°) *signum sensibile,* idest phaenomenorum complexum quae sint externa et materialia, quo fit ut miraculum, quum nunquam possit esse phaenomenon intrinsecum, locum habeat inter mundi materialis eventus et inter scientiarum physicarum obiecta. 2°) Miraculum est *signum extraordinarium,* idest *praeter ordinem communiter observatum in rebus,* proinde praeseferens aliquid miri, cujus existentia non dependet a serie agentium naturalium.

Haec, quam adduximus definitio, nobis nondum veram exhibet miraculi notitiam, quare adhuc quaedam debemus addere ut miraculi proprie dicti notionem habeamus.

Igitur miraculum proprie dictum *est signum sensibile a Deo productum extra ordinem totius naturae creatae,* vel *Dei extraordinaria manifestatio per opus sensibile, exclusive divinum et extra ordinem totius naturae creatae,* vel brevissime cum S. Thoma (*S. Th.* I, q. CXIV, art. 4) *miraculum proprie dicitur quod fit praeter ordinem totius naturae creatae.*[2] In traditis definitionibus, quae omnes ad Angelici definitionem reducuntur, quatuor invenimus ele-

[1] Cf. Qq. disp. q. cit.; S. Th. I, q. CV, art. 7; Lépicier, *op. cit.*, p. 67.

[2] Cf. *S. Cont. Gentes* l. III, c. 101. — Clarissimus Lépicier (*op. cit.* p. 67) ita definit miraculum: *è un' opera meravigliosa, stupenda, fatta in una creatura sopra o anche contro la sua potenza naturale passiva e quindi fuori dell'ordine consueto di tutta la natura creata, allo scopo di manifestare gli attributi divini nel governo morale del mondo; opera fatta da un agente il quale sia all'uomo del tutto sconosciuto quanto alla sua natura, e questi non è altro che l'Agente Primo.*

menta, vel causas; nempe duas intrinsecas ipsasque effectus constitutivas, quae sunt *causa materialis* et *causa formalis;* duas autem extrinsecas idest *causam efficientem* et *causam finalem.*

Causa materialis vel materia miraculi innuitur per verba *signum sensibile,* causa formalis per verba *extra ordinem totius naturae creatae;* causa efficiens per verba *a Deo productum;* causa finalis per verba *Dei manifestatio.*

Porro haec ultima, nempe causa finalis, non necessario ingreditur miraculi notionem, quamvis operationem sequatur. Omnis enim agens propter finem agit; nihilominus in definitione ponitur etiam haec causa ut perfectior miraculi notio habeatur, quia omnes istae causae ita secum ipsis ordinantur ut ad invicem perficiantur.[1]

De quatuor hisce causis est aliquid dicendum ad miraculi notionem explicandam.

148) A) Causa efficiens. — Cum dicimus miraculum excedere ordinem totius naturae creatae *simpliciter,* non vero totius naturae *creatae sensibilis,* jam dicimus causam efficientem miraculi esse solum Deum. Et sane, uti animadvertit Aquinas,[2] *cum miraculum proprie dicitur quando aliquid fit praeter ordinem naturae creatae, non sufficit ad rationem miraculi, si aliquid fiat praeter ordinem naturae alicujus particularis: quia sic cum aliquis projicit lapidem sursum miraculum faceret; cum hoc sit praeter ordinem naturae lapidis; ex hoc ergo aliquid dicitur esse miraculum, quod fit praeter ordinem totius naturae creatae. Hoc autem non potest facere nisi Deus: quia quidquid facit Angelus, vel quaecumque alia creatura propria virtute, hoc fit secundum ordinem naturae creatae, et sic non est miraculum; unde relinquitur quod solus Deus miracula facere possit.*

---

[1] Cf. S. Thom. *Sum. Th.* I-II^{ae}, q. I, art. 2; Opuscul. XXXI.

[2] S. Th. I, q. CX, art. 4. (Cf. Willmers, *op. cit.* p. 124; Mazzella, *op. cit.*, p. 116 et sqq.; Suarez, *De Angelis,* l. IV, c. 39, n. 10; Idem, *De Relig.,* tom. 1, l. 2, c. 16, n. 2; Lépicier, *op. cit.*, p. 103 sq.; Coste, *op. cit.* p. 18).

149) Verum ut recte intelligamus quo sensu Deus est causa miraculorum, debemus in primis notare distinctionem inter *causam principalem*[1] et *causas instrumentales*.[2]

Causa principalis illa est quae effectum producit per virtutem suae formae, cui assimilatur effectus.

Causa instrumentalis ea est quae agit non per virtutem suae formae, sed solum per motum, quo movetur a principali agente: unde effectus non assimilatur instrumento, sed principali agenti.[3]

Jamvero Deus tanquam causa principalis miraculum operatur et quidem independenter a juvamine superioris agentis, quia est causa omnium prima. Hoc tamen non prohibet quominus Deus ad effectum producendum instrumentis, veluti causis secundis, vel spiritualibus vel corporalibus utatur; quare nemo unquam negabit miraculum esse a Deo productum; quia sive Deus immediate operetur, sive per operationem instrumentalem vel Angelorum, vel Apostolorum, vel Sanctorum, vel rerum inanimatarum, vel naturae elementorum, semper hujusmodi miracula sunt divini exemplaris reproductiones, Deumque habent auctorem.

---

[1] Causa principalis potest esse universalis, prima, totalis.

[2] Causae instrumentales etiam causae secundae appellantur. *Occasionalistae*, quorum dux est MALEBRANCHE, refricarunt quorundam veterum philosophorum opinamenta, rati in omnibus effectibus esse ad causam primam assurgendum, a qua *unice* et *immediate* pendent effectus creati, quamvis causae secundae videantur admittendae, quae tamen de facto nihil aliud sunt quam mera occasio, qua causa prima utitur ad suam vim exercendam. Quando igitur, concludit Malebranche, videmus in hoc mundo aliquem effectum produci, nos ipsos fallimus si hunc a determinatis causis secundis productum putemus; Deus solus per se ipsum integrum effectum producit, agens secundarium nonnisi occasionem praestat. Hunc errorem egregie refutat S. Thomas in III qui est *Contra Gentes* libro, cap. 69.

[3] S. TH. III pars, q. LXII, art. 1. Notandum tamen est creaturam duplici modo instrumentum esse posse, quo Deus utatur ad miraculorum effectionem; nempe tamquam causa instrumentalis physica, quae realiter influit in effectum producendum; vel tamquam causa instrumentalis moralis, quae moraliter Deum movet ut ipse effectum producat.

150) Notatum itaque volumus nos non excludere propriam actionem causarum secundarum quando ipsas instrumenta appellamus. Nam causae secundae duplicem habent actionem, unam instrumentalem, et principalem alteram: aliquando enim ope principalis agentis operantur, aliquando autem eae ipsae sunt agens principale; e. g. Deus potest uti hominis ministerio ad mirabilia producenda, et hoc in casu homo agit tanquam causa instrumentalis; potest vero homo per se statuam vel aliquod aliud egregium opus perficere, et hoc in casu tanquam agens principale operatur.

At quando causa secunda operatur tanquam agens principale, semper operatur secundum propriam virtutem naturalem, quam effectus nunquam excedit, quamvis aliquando effectus entibus ordinis inferioris extraordinarius appareat; quia omne ens, quocumque sit in entium gradu constitutum, nunquam, si veluti causa principalis operetur, effectum producere poterit, qui integrum totius naturae creatae ordinem excedat, in quo praecise miraculi ratio formalis consistit.[1]

151) Sin autem sermo fiat de Angelorum virtute, quaerimus utrum ipsi sint aliquando causa principalis miraculorum. Certe huic quaestioni ita propositae negative est respondendum ob rationes superius (n. 149) adductas. An-

---

[1] Cum creaturae rationales aliquando tanquam instrumentum agant in miraculorum patratione, non semper tamen operantur veluti causa moralis, sed etiam veluti causa physica instrumentalis, et quidem *potestative* quasi Deo cooperando. *Substantiae spirituales creatae,* notat S. Thomas (*S. C. Gent.* l. III, c. 103), *non faciunt miracula propria virtute. Dico autem propria virtute, quia nihil prohibet hujusmodi substantias spirituales, in quantum agunt virtute divina, miracula facere; quod etiam ex hoc videtur, quod unus ordo angelorum specialiter deputatur, ut Gregorius dicit, ad miracula facienda, qui etiam dicit, quod quidam sancti miracula interdum faciunt* EX POTESTATE, *non solum ex intercessione.* Nihilominus quando dicimus sanctos e. g. miracula facere *ex potestate,* nolumus intelligere ipsos agere per virtutem *formae* ipsis inhaerentis habitualiter, sed per modum formae imperfectae, quae *intentionalis* appellatur, quaeque nonnisi praesente agente principali residet in causa secunda. Haec autem forma etiam *motus* appellatur.

geli enim, non secus ac omnis alia virtus creata, duplicem habent virtutem, scilicet virtutem naturalem, et virtutem instrumentalem, quibus virtutibus relative respondent operationes naturales et operationes instrumentales. Per virtutem naturalem nequit Angelus miraculum stricte dictum efficere, quamvis effectus quosdam ipse producat qui tantum *quoad nos* miracula sunt, quatenus nempe, *cum non omnis virtus naturae creatae sit nota nobis, aliquid faciunt praeter ordinem naturae creatae nobis notae per virtutem creatam nobis ignotam.*[1] Hinc fit quod Angeli, licet vera miracula non operentur, nihilominus aliquid superhumanum producunt, quia ipsi habent naturalem potestatem supra materiam: quam facultatem exercent vel 1°) per *motum localem,* idest res ex uno loco in alium celerrime transferendo, in altum hominem aut alia obiecta attollendo, ita ut volare videantur, res ex hominum conspectu subtrahendo, efficiendo ut statuae, tabulae moveantur, ambulent, loquantur etc.; nam ipsi per eas loquuntur; vel 2°) applicando *activa passivis.*[2]

At omnes recensiti effectus numquam vera miracula dici poterunt, quamvis sint opera mirabilia.[3]

Concludimus igitur Deum tantum esse causam efficientem miraculorum, quamvis possit uti causis instrumentalibus, sibi tamen reservando vim causalem efficientem principalem; quae vis efficiens totalis remanet quando Deus per se solum operatur. Verum nullum opus, quod perficitur a creatura vel spirituali vel corporali, agente tanquam causa principali, miraculum dicendum erit, licet mirabile.

152) B) Causa finalis. — Deus utpote miraculi causa efficiens principalis agere debet propter aliquem finem. Vidimus enim omnia agentia necesse esse quod agant pro-

---

[1] S. Th. I p., q. CX, art. 4 ad 2; cf. etiam *Qq. disp.*, q. VI, art. 3; *Sum. C. G.*, lib. III, c. 102; Lépicier, *op. cit.*, p. 102 et sq.; Coste, *op. cit.*, p. 21; Mazzella, *op. cit.*, p. 116.

[2] S. Th. I p., q. CXIV, art. 4; I-II, q. LXXX, art. 2.

[3] Cf. Card. Mazzella, *op. cit.*, p. 117 sq.

pter finem, *quia,* inquit S. Thomas,[1] *natura non consequitur formam, nisi secundum quod movetur ab agente,* quo fit ut prima inter omnes causas sit causa finalis. Cum vero in causis, quarum una subiicitur alteri, subtractâ primâ, coterae subtrahantur, sequitur quod, subtracto fine, omnes aliae causae, etiam efficiens, subtrahantur. Quidquid ergo agit, propter finem agit.

Jamvero si vis intellectiva sit causa cur creaturae rationalis actiones ad finem dirigantur, quanto verius hoc de Deo affirmandum erit, qui est ipsa intelligentia infinita? Deus igitur agit propter finem.

Porro quis dupliciter agit propter finem vel per *desiderium,* vel per *amorem* finis ipsius. Per *desiderium* quidem quando finis nondum possidetur, et hic modus proprius est creaturarum; per *amorem* vero quando finis integre possidetur, et hic modus proprius est solius Dei.

Hisce positis dicimus Deum esse causam efficientem miraculorum non solum ob ipsorum intrinsecam bonitatem quae ipsis a Deo imprimitur, sed etiam quia vult miracula esse medium quo finis ultimus cognoscatur; aliis verbis causa finalis miraculorum est ut ipsa sint *manifestatio Dei.*

Et sane miracula ostendunt infinitas Dei perfectiones; ejus bonitatem et providentiam et justitiam, quia semper operantur ad hominis utilitatem, vel, ut ait S. Thomas,[2] ad confirmandam veritatem revelatam, vel ad demonstrationem sanctitatis alicujus, quam Deus hominibus vult proponere in exemplum virtutis.

Unde licet aliquando Deus ad miracula patranda, impiorum etiam hominum ministerio utatur,[3] numquam tamen Deus prodigia operatur in erroris confirmationem vel

---

[1] S. Th. I–II^{ae}, q. I, art. 2. Cf. *S. Contra Gentes,* l. III, c. 2.

[2] S. Th. II–II^{ae}, q. CLXXVIII, art. 2.

[3] Si Deus non exigat sanctitatem in causis secundis tanquam conditionem essentialem pro miraculorum effectione, patet vim effectivam miraculorum neque causam esse, neque semper signum infallibile sanctitatis.

vitiorum approbationem, quia Deus veritas et bonitas per essentiam est causa prima omnium rerum quae veri et boni rationem habent, et proinde contra se ipsum ageret si miracula ad alium finem ordinaret praeter quam quod ad ordinis moralis suarumque perfectionum manifestationem.[1]

153) C) Causa materialis. — In definitione miraculorum diximus miracula esse *signum* sensibile, quibus verbis indicamus miraculorum causam materialem. Et sane si finis operationum Dei sit manifestare actionem Dei, ejusque perfectiones, quae invisibiles sunt, nonnisi per effectus visibiles ostendi possunt. Cum autem miraculum ad id tendat ut sit revelationis nota, debet vel directe vel indirecte cadere sub sensibus, nempe esse factum aliquod sensibile, ut facilius admirationem excitet, tum quia miracula fiunt in bonum hominum, qui, quum anima et corpore constent, nonnisi per visibilia ad invisibilia rapiuntur ; tum ut possit ipsorum veritas statui per historico-scientificos processus.

Hoc enim, ait Coste, (Op. cit., p. 24), *est privilegium singulare miraculorum quod sint in eodem rerum dominio ac inveniuntur fundamenta demonstrationum, quae scientiarum propriae sunt, et possint proinde exigere illorum hominum attentionem, qui ita animo sunt dispositi ut omne respuant quod non est rationabile et ut decernant fundamentum cujuslibet rationalis processus debere esse aliquid experimentale, affirmantes nonnisi observationis methodum esse legittimam.*[2]

---

[1] Cf. P. Lépicier, *op. cit.*, p. 62 ubi in nota merito veluti minus rectam reprehendit opinionem Cardinalis Newmann affirmantis *che l'esser diretto allo scopo di appoggiare qualche principio immorale non fa altro, per riguardo al miracolo, che renderlo estremamente improbabile e non assolutamente falso.*

[2] En verba genuina clarissimi Coste: *C'est un privilège remarquable du miracle de se recontrer ainsi dans le même domaine que les fondements des démonstrations scientifiques ; et de réclamer l'attention des hommes décidés à repousser tout ce qui n'est pas rationnel et à établir qu'à la base de tout procédé rationnel, on doit trouver une donnée expérimentale, et affirmant enfin que la méthode d'observation est la seule légitime.*

Adeo autem necessarium est miracula esse sensibilia, ut omnia illa opera mira quae Deus occulte operatur in animâ, nequeant proprie miracula, quoad nos, appellari, effectus enim non conspicitur.

154) At quamvis de essentia miraculi sit ipsum esse sensibile, nihilominus non omnia miracula sunt eodem gradu sensibilia, quaedam enim miracula sunt *physice* sensibilia, ut ecce Lazari abhinc quatuor dies mortui resurrectio; quaedam sunt *moraliter* sensibilia, ut ecce Martyrum fortitudo; quaedam denique sunt *intellectualiter* sensibilia, ut ecce prophetia.

155) D) Causa formalis. — Cum non omne opus Dei ad extra sit miraculum proprie dictum, quaerimus quo sensu verba in definitione posita, nempe *extra* vel *praeter ordinem totius naturae creatae,* quibus innuitur miraculi causa formalis, sint intelligenda.

Certe mundi, animarumque creatio sunt opera quae a Deo fiunt praeter causas naturales et tamen non sunt miraculum, quia mundus animaeque *non sunt secundum ordinem naturalem nata creari ab alia causa quam a Deo,*[1] proindeque proprie *non contingunt praeter ordinem naturae.*[2] Quare ut aliqua res fiat extra ordinem naturae creatae et consequenter proprie miraculum sit, requiritur non solum quod Deus sit causa effectus quem miramur; sed insuper quod in subiecto, in quo mirabilis effectus videtur, sit *naturalis ordo ad contrarium effectum vel ad contrarium modum faciendi.*[3]

Verum ad hanc quaestionem intimius perpendendam debemus in primis inquirere quid hic veniat nomine *naturae,* quid *ordinis naturalis,* quid denique *legum naturalium.*

156) Natura licet variis acceptionibus sumatur a philo-

---

[1] *Qq. Disp.*, q. VI *de Pot.* art. 2 ad 5.[um]
[2] S. Th. I q. CV. art. 7 ad 1.[um]
[3] *Qq. Disp.*, q. VI *de Pot.* art. 2.

sophis[1], tamen hic nomine naturae sumitur complexus creaturarum una cum omnibus suis viribus.

Cum autem per proprium activitatis principium omne eus tendat ad suum finem et quidem modo uniformi et constanti, hinc exurgit naturae ordo, qui potest definiri: « *Rerum series apte inter se connexarum, quae certis affixae legibus, certisque praeditae viribus subiiciuntur sensibus.* »

Hic autem ordo, qui etiam physicus appellatur, duplex est, nempe *singularis* vel *particularis* si respiciat modum quo quaelibet creatura agit nativae suae dispositioni relicta; *universalis* autem si respiciat modum quo omnes res creatae agunt, attenta ipsarum ad invicem relatione, quatenus una ab altera influxum accipere, vel in aliam agere potest: hinc est quod ordo universalis omnes vires totius naturae creatae complectitur.[2] Hisce naturae ordinibus relative respondent *leges particulares* et *leges universales.*

Nomine autem legis physicae, de morali haud solliciti, quae actus liberos regit, veniunt illae *relationes* (vulgo rapporti) *immutabiles quae intercedunt inter quantitates variabiles;* aliis verbis lex cujuslibet entis est relatio suarum proprietatum ad operationem.[3]

Rem explicemus exemplis. In meccanica e. g. nomine legis, venit relatio inter velocitatem gravis cujusdam et

---

[1] S. Thom., *de Ente et essentia,* cap. I.; Cf. Coste, *op. cit.* p. 31.

[2] Cf. Tanquerey, *op. cit.* p. 85 sq. — Quidam, *quantum ad rationem* ordinem considerantes, ponunt etiam ordinem *universalissimum* (Cf. S. Thom., C. G. l. III. c. 98) qui est Deus ipse qui naturam omnem creavit et ordinavit, a quo omnia gubernantur et ad quem, tanquam ad unicam causam primam universalissimam, omnes effectus reducuntur.

Notandum insuper est in mundo praeter ordinem physicum etiam moralem inveniri, cujus ope omnes actus liberi vel proxime vel remote ad eundem finem concurrunt, et ordinem intellectualem. Proinde ut rectam habeamus notitiam de totali naturae ordine debemus et physicum et moralem et intellectualem ordinem prae oculis habere.

[3] Lex ita definitur a De Bonniot (*Le miracle et ses contrefaçon,* p. 10): *un rapport constant et invariable entre les phénomènes et leurs diverses phases; en d'autres termes: les mêmes phénomènes se produisent invariablement quand les circostances sont identiquement les mêmes.*

calorem quem ipsum producit; in optica relatio inter angulum incidentiae et angulum refractionis radiorum luminosorum; in chimica relatio inter basem carbonii et illam oxigenii unde exsurgit acidum carbonicum, etc. Et merito hujusmodi relationes debent veluti leges considerari, quia ipsae manent etiam si phaenomena varient, idest si varient velocitas, incidentiae angulus, bases substantiae chimicae etc. Quare quando dicimus legem esse immutabilem, hoc unum intelligimus, nempe relationes numquam mutari, non vero excludimus phoenomenorum mutabilitatem; proinde inter legem et phoenomenum hanc essentialem oppositionem invenimus, quod nempe *phaenomenum sit variabile, lex sit constans* etsi omnia elementa varient.[1]

Exinde patet quantum a vero aberrent qui nomine legis intelligunt vim aliquam effectivam et principium activum operationum.[2]

Praeter phoenomena et leges secundum quas haec fiunt, debemus causas considerare, quae virium nomen accipiunt, et nihil aliud significant quam *energeias*, quibus creaturae gaudent. Hae autem vires vel sunt *actuales* vel sunt *potentiales*.[3]

---

[1] Quidam ponunt distinctionem inter legem *positivam* et *negativam*. Lex positiva idem sonat ac lex *realis*, exprimens essentiales relationes, negativa vero exprimit impossibilitatem relationis praedictae, quando limites essentiales praetergraediuntur. Ad rem audiamus De Bonniot, (*op. cit.* p. 9) « *Un être vivant,* ipse ait, *porte en lui-même le principe qui le fait vivre et la loi suivant laquelle sa vie parcourt son évolution; en cela, tout est positif. Mais il est une limite où ce principe de vie s'épuise totalement: cette limite s'appelle d'un nom tristement familier, la mort; or c'est une loi négative pour tout être vivant de ne par revenir à la vie après la mort. Cela ne veut pas dire, ainsi qu'on langage peu mesuré le ferait croire, qu'il y a quelque part une nécessité inexorable qui empêche à tous jamais le mort de revivre; cela veut dire tout simplement que le mort n'a plus en lui le principe de vie, est privé en lui-même de la puissance de revivre. Telle est la loi négative.* »

[2] Cf. De la Barre, *Faits surnaturels et forces naturelles*, p. 51 seg.

[3] Hae vires nihil aliud sunt quam singularum creaturarum potentia naturalis, quae potest esse vel activa, vel passiva. Haec ultima etiam obedientialis appellatur.

157) Hisce positis dicimus rationem formalem miraculorum in eo consistere quod effectus sint extra ordinem generalem totius naturae creatae, non autem extra ordinem particularem[1]; nempe requiritur ad miraculi essentiam quod effectus nequeat produci a causis secundis per suarum virium exercitium. Hoc tamen ita non est intelligendum quod omnes effectus *in se* requirant infinitam potentiam ut possint proprie miracula dici, sed quod semper attentis vel *naturâ* operis, vel *modo* quo producuntur, vel *circumstantiis*, nonnisi Deo sint tribuendi; quare aliquando quaedam opera vere sunt miracula quia *supponunt operationem independentem a subiecta materia*, ut ecce mutatio aquae in vinum; aliquando quia sunt *contra dispositionem materiae et vim creatricem supponunt*, ut ecce mortui resuscitatio; aliquando quia *sunt contra leges naturales*, ut ecce per clausas januas intrare; aliquando denique quia *modo instantaneo operantur*, ut ecce sanatio febris unico momento solo verbo vel tactu,[2] quae fiunt praeter leges naturae.

158) Ex dictis patet miraculum esse *extra*, non vero *contra ordinem naturae;* quia miraculum non destruit vires naturae, neque evertit suarum legum ordinem.

---

[1] Cfr. *S. Th.* I, q. CX, art. 4 ad 2.

[2] Cf. Pesch, *op. cit.* p. 114. — Diximus superius opus miraculosum *in se* non semper requirere infinitam potentiam, quamvis hanc requirat saltem ratione circumstantiarum, vel modi quo efficitur, nolumus tamen per hoc subscribere iis quae habet clarissimus Semeria in citato opere (*Venticinque anni di Cristianesimo nascente*) ubi (p. 239) recognoscit quidem quod miraculum: *non è una forza occulta della natura,* sed tamen affirmat quod *metafisicamente non è impossibile che la natura, come dà la vita ad un bambino, la dia ad un morto.... la cosa è estremamente, infinitamente improbabile; ma la possibilità metafisica c'è:* quia metaphysice nequit haberi effectus non supposita causa proportionata; neque habetur causa unitatis substantialis et vitae in membris mortuis. Quod si contingat haec reviviscere, nonnisi Deo, qui per essentiam omnes naturae vires excedit, hoc est tribuendum; quare negamus omnino comparationem. Quando enim infanti vitam communicamus, effectum producimus cujus ratio essendi necessario includitur in virtute generantis et in seminis unitate.

Quaerentibus autem utrum miracula sint *violatio* vel *derogatio* legum naturae, vel earundem *suspensio*, respondemus quod si nomine legis intelligamus limites quibus vis activa cujuslibet entis circumscribitur, certe omnis effectus qui hos limites praetergreditur debet *derogatio* appellari; at si nomine legis relationem inter quantitates variabiles consideremus, nullus effectus proprie loquendo potest derogatio appellari, licet interveniat specialis Dei motio, qua effectus aliquis producitur excedens sive in se, sive ratione circumstantiarum, vires totius naturae. Et merito, cum ex tradita legum definitione sciamus relationes non mutari per effectuum variationem; hinc patet nullam hoc in casu derogationem vel suspensionem haberi.[1]

Ad rem clarius intelligendam animadvertimus omnes effectus posse per causarum conflictum mutari, hinc fit quod quilibet effectus insolitus, praecipue debeatur illi causae quae est praestantior et efficacior; verum nunquam

---

Insuper notamus quod miracula, cum per suam rationem formalem extra naturae ordinem posita sint, jam hoc ipso nequeunt esse effectus naturales, ad quos natura non habet metaphysicam possibilitatem. At verba clarissimi Semeria possent quodammodo sustineri, si per *methaphysicam possibilitatem* ipse intelligat vires naturae per potentiam obedientialem posse a Deo evehi ad ordinem superiorem, ita ut effectus mirus qui a Deo producitur tanquam a causa principali, videatur etiam produci et de facto producatur a causis secundis, tanquam instrumenta conjuncta in manu Dei. Verum cum Deus miracula non semper per causas secundas producat, sed aliquando immediate et per se solum illa patret, nequit Semeria generice et absolute affirmare quod in natura habeatur methaphysica possibilitas miracula patrandi.

[1] Ad rem scribit Angelicus (*S. C. G.* l. III, c. 100): *In agentibus corporalibus hoc videtur, quod motus qui sunt in istis inferioribus corporibus ex impressione superiorum, non sunt violenti, neque contra naturam, quamvis non videantur convenientes motui naturali, quem corpus inferius habet secundum proprietatem suae formae. Non enim dicimus quod fluxus et refluxus maris sit motus violentus, cum sit ex impressione coelestis corporis; licet naturalis motus aquae sit solum ad unam partem, scil. ad medium. Multo igitur magis quidquid a Deo fit in qualibet creatura, non potest dici violentum, aut contra naturam.*

per hujusmodi conflictum lex naturalis destruitur. Exempli gratia, lex gravium neque destruitur, neque violatur quando lapis, manu in altum projectus, sursum tendit, quia habetur praevalentia alterius vis nempe hominis, supra vim corpori insitam; sed vi extrinseca cessante, denuo stat suo robore vis nativa corporis. Quod autem verificatur per vim hominis vel alterius agentis, idem verificatur per Dei actionem, qui aliquando efficit ut causae secundae a Deo ad altiorem ordinem elevatae aliquid producant quod ipsarum ingenitam vim activam longe excedit, aliquando vero per seipsum aliquid producit, quod nullimode potest ipsis causis secundis tribui, quin tamen hisce in casibus leges naturales destruantur, vel abrogentur, vel suspendantur.[1]

159) Ex dictis colligimus miracula non esse confundenda cum iis gratiis,[2] quae sunt manifestationes quaedam divinae bonitatis, in hisce enim effectibus nihil invenitur quod sit extra naturae ordinem.

160) Miraculorum partitiones. — Miracula multipliciter dividi possunt, nam a) si consideremus ordinem quem excedunt habemus miracula *physica* si physicum, *moralia* si moralem, *intellectualia* si intellectualem.

b) Sin autem consideremus *virtutem* quae ad effectum requiritur tunc habemus miracula tum *quoad substantiam* vel etiam *primi ordinis*, quae in seipsis spectata, nempe naturâ suâ, divinam requirunt potentiam, cum a nulla vi creata produci possint; tum *quoad modum* vel *secundi ordinis*, quae in seipsis considerata vim creatam non excedunt,

---

[1] Cf. Coste, *op. cit.*, pag. 44 seg.; De Bonniot, *op. cit.*, p. 18; De la Barre, *op. cit.*, pag. 24; Tanquerey, *op. cit.*, pag. 86.

[2] Cf. Lépicier, *op. cit.*, pag. 68. Juvat hic referre quae ipse habet: *Queste grazie*, ipse ait, *non si devono confondere con il miracolo... L'effetto prodotto, oggetto di ardenti brame o di fervide preci, vien preparato e condotto a fine dalle proprie cause seconde; non vi è nessuna brusca interruzione nel corso delle cose, ma piuttosto un regolare ed esatto ordinamento delle cause seconde al determinato loro effetto, talchè paia che dovcva succedere così e non poteva essere altrimenti. Se vi è del meraviglioso in tali effetti, egli è appunto l'assenza del meraviglioso.*

sed tamen ex modo quo fiunt et ex circumstantiis in quibus fiunt, nonnisi a Deo produci possunt, e. g. restitutio visus solo jussu aut per applicationem medii naturaliter inepti.

161) Ad hanc divisionem merito referri possunt quae habet divus THOMAS[1] (*S. Th.*, I, q. CV, art. 8): *Dicitur aliquid miraculum per comparationem ad facultatem naturae quam excedit; et ideo, secundum quod magis excedit facultatem naturae, secundum hoc majus miraculum dicitur. Excedit autem aliquid facultatem naturae tripliciter:* Uno modo *quantum ad substantiam facti: sicut quod duo corpora sint simul, vel quod sol retrocedat; aut quod corpus humanum glorificetur; quod nullo modo natura facere potest: et ista tenent summum gradum in miraculis.* Secundo *aliquid excedit facultatem naturae, non quantum ad id quod fit, sed quantum ad id, in quo fit; sicut resuscitatio mortuorum, et illuminatio coecorum, et similia; potest enim natura causare vitam, sed non in mortuo; et potest praestare visum, sed non coeco: et haec tenet secundum locum in miraculis.* Tertio modo *excedit aliquid facultatem naturae, quantum ad modum et ordinem faciendi: sicut cum aliquis subito per virtutem divinam a febre curatur absque curatione et consueto processu naturae in talibus; et cum statim aër divina virtute in pluvias condensatur absque naturalibus causis, sicut factum est ad preces Samuelis et Eliae*[2]*; et hujusmodi tenent infimum locum in miraculis; quaelibet tamen horum habent diversos gradus, secundum quod diversimode excedunt facultatem naturae.*[3]

---

[1] Cf. *S. Th.* I–II, q. CXIII, art. 10.

[2] *I Reg.*, 22, et *III Reg.*, 18.

[3] Eandem divisionem habet Angelicus in *S. C. G.* (lib. III, c. 101), cujus verba referenda duxi utpote clarius exposita: *Summum gradum,* ait, *inter miracula illa tenent, in quibus aliquid fit a Deo quod natura nunquam facere potest, sicut quod duo corpora sint simul, quod sol retrocedat, aut stet, quod mare divisus transeuntibus iter praebeat; et inter haec etiam ordo attenditur: nam quanto majora sunt illa quae Deus operatur, et quanto magis sunt remota a facultate naturae, tanto majus miraculum est...*

Secundum autem gradum in miraculis tenent illa, in quibus Deus aliquid

162) c) S. Thomas tertiam addit miraculorum partitionem attento *modo quo sunt insolita*, nempe ponit miracula *supra* naturam, *contra* naturam, *praeter* naturam.[1] Haec tamen distinctio debet intelligi juxta Angelici mentem, non vero sicut quidam Theologi, et praesertim Apologistae, qui saeculo XVIII floruerunt, qui putabant miracula esse *proprie contra naturam*. Certe verba Angelici recte considerantibus hoc persuasum erit a divo Thoma nullum mi-

---

facit quod natura facere potest, sed non per illum ordinem. Opus enim naturae est quod animal vivat, videat et ambulet; sed quod post mortem vivat, post coecitatem videat, post debilitatem claudus ambulet, hoc natura facere non potest, sed Deus interdum miraculose operatur. Tertius autem gradus miraculorum est cum Deus facit quod consuetum est fieri operatione naturae, tamen absque principiis naturae operantibus, sicut cum aliquis a febre curabili per naturam, divina virtute curatur, ut cum pluit sine operatione principiorum naturae.

[1] *Circa ea quae Deus miraculose facit,* ait S. Thomas (Qq. Disp. *De Pot.* q. VI, art. 2 ad 3^{um}) *talis solet adhiberi distinctio, quod quaedam dicantur fieri supra naturam, quaedam contra naturam, quaedam praeter naturam. Supra naturam quidem, in quantum in illum effectum quem Deus facit, natura nullo modo potest; quod quidem contingit dupliciter; vel quia ipsa forma inducta a Deo, omnino a natura induci non potest, sicut forma gloriae, quam inducet Deus corporibus electorum, et sicut etiam incarnatio Verbi: vel quia etsi talem formam possit in aliquam materiam inducere, non tamen in istam: sicut ad causandam vitam natura potens est; sed quod in hoc mortuo natura vitam causet, hoc facere non potest. Contra naturam esse dicitur, quando in natura remanet contraria dispositio ad effectum quem Deus facit; sicut quando conservavit pueros illaesos in camino, remanente virtute comburendi in igne, et quando aqua Jordanis stetit, remanente gravitate in ea; et simile est quod virgo peperit. Praeter naturam autem dicitur Deus facere, quando producit effectum quem natura producere potest, illo tamen modo quo natura producere non potest, vel quia deficiunt instrumenta quibus natura operatur (sicut cum Christus convertit aquam in vinum* (Joan. II) *quod tamen natura aliquo modo facere potest, dum aqua in nutrimentum vitis assumpta, suo tempore in succum uvae per digestionem producitur), vel quia est in divino opere major multitudo quam natura facere consuevit, sicut patet de ranis quae sunt productae in Aegypto; vel quantum ad tempus, sicut cum statim ad invocationem alicujus sancti aliquis curatur, quem natura non statim, sed successive et in alio tempore, non in isto curare posset; et sic accidit in miraculo inducto de socru Petri. Unde patet quod omnia hujusmodi, si accipiatur et modus et factum, facultatem naturae excedunt.* (Cf. etiam II Sent., dist. 18, q. I, art. 23).

raculum *simpliciter contra naturam*, sed solum *contra inclinationem* alicui naturae insitam declarari. Ipse enim aperte docet (*C. G.* l. III, c. 100) quod *licet Deus interdum praeter ordinem rebus inditum aliquid operetur, nihil tamen facit contra naturam. Cum enim Deus sit actus purus, omnia vero alia habeant aliquid de potentia admixtum, oportet quod Deus comparetur ad omnia sicut movens ad motum, et activum ad id quod est in potentia. Quod autem est in potentia secundum ordinem naturalem respectu alicujus agentis, si aliquid imprimatur in ipsum ab illo agente, non est contra naturam simpliciter, etsi sit aliquando contrarium particulari formae quae corrumpitur per hujusmodi actionem: cum enim generatur ignis et corrumpitur aër igne agente, est generatio et corruptio naturalis.* QUIDQUID IGITUR A DEO FIT IN REBUS CREATIS, NON EST CONTRA NATURAM, ETSI VIDEATUR ESSE CONTRA ORDINEM PROPRIUM ALICUJUS NATURAE..... *Hinc est quod Augustinus dicit: Deus creator et conditor omnium naturarum nihil contra naturam facit, quia id est naturale cuique rei quod facit, a quo est omnis modus, numerus et ordo naturae.*[1]

Verum quod jam Angelicus persenserat, modo ab omnibus admittitur, quia, utar verbis clarissimi Tanquerey,[2] *melius scrutata notione legum et virium naturae, moderni libenter agnoscunt ad miraculum non requiri legum naturae violationem, sed sufficere aliquem effectum particularem, Dei interventu, extra consuetum ordinem totius naturae creatae productum esse.*[3]

Igitur haec distinctio sub his tantum cautelis tuto adhiberi potest.

163) ERRORES. — Genuinam miraculi notionem evertunt qui 1°) nomine miraculi intelligunt omnes eventus sensibiles quorum causa non est natura in se spectata, sed

---

[1] Cf. etiam *S. C. G.* lib. III, c. 101, 102; *S. Th.* I q.CV, art. 6-8; q. CX, art. 4.

[2] *Op. cit.* p. 87 in nota.

[3] Cf. DIDIOT, *Logique surnaturelle objective*, th. 26.

Dei libera actio, ut ecce creatio mundi[1]; qui 2°) definiunt miraculum esse eventum rarum productum causarum naturalium concursu, quem Deus ab initio statuerit, nobis vel absolute ignoto,[2] vel non absolute impervio[3]; qui 3°) cum BENDER (*Das Wesen der Rel.* S. 206) miraculum putant quidquid virium humanarum limites excedit; qui denique 4°) cum RITSCHL (*Unterricht in der christl. Rel. 4 Aufl.* Bonn, 1890, § 17) miraculum vocant quidquid Deus per omnipotentiam suam et sapientiam in hominis gratiam operatur. Secundum horum placita fides de providentia Dei parit persuasionem de miraculis, et quicumque Dei providentiam credit, etiam agnoscit in seipso miracula fieri, singularis enim Dei providentia non raro experitur. Hinc est quod si contingat Scripturas Sacras agere de factis, quae contra naturae leges evenerint, de ipsis non est anxie inquirendum, cum ex illis non pendeat fides.

Omnes istae opiniones, uti patet, rejiciendae sunt quia in istis deest ratio formalis miraculi, quod nempe sit extra ordinem naturae, quo fit ut *miraculi conceptus,* ut ait WILLMERS[4], *non ex rerum natura hauritur, sed fingitur et conformatur systemati, quod ex indigentiae sensu, religionem omnem repetit et cum eo confundit.*

§ II — MIRACULORUM POSSIBILITAS.

164) STATUS QUAESTIONIS. — Quando dicimus miracula esse possibilia, quaestionem possumus vel *intrinsece,* vel

---

[1] Cf. DORNER, *Glaubensl* I, § 55.

[2] Ex hisce habemus etiam catholicos viros, inter quos recensemus C. BONNET (*Recherches philos. sur les Preuves du Christianisme,* cap. 5) qui accedit opinioni HOUTTEVILLE (*La Religion chrét. prouvée par les faits,* l. I, c. 6).

[3] Hanc opinionem suam facit WEGSCHEIDER (*Inst. dogm.* § 48). *Miracula,* ipse ait, *sunt eventus mirabiles, qui Deo moderante, ita comparati erant, ut spectatores ad certam divinae Providentiae efficientiam agnoscendam excitarent, eosque ad fidem novae religionis doctori habendam moverent.*

[4] *Op. cit.* p. 129.

extrinsece considerare. *Intrinsece* quidem quatenus nulla in rebus invenitur repugnantia ut aliquid fiat extra ordinem in rebus communiter servatum; *extrinsece* vero quatenus quaerimus utrum Deus possit aliquid operari extra ordinem totius naturae creatae, quin suis attributis infinitis contraveniat.[1]

Quaestio autem de possibilitate extrinseca miraculorum est *absoluta*, quatenus rem ontologice et Dei potentiam

---

[1] Hanc quaestionem egregie exponit clarissimus LÉPICIER (*Del Miracolo* pag. 17–19). Quamvis ipse putat miraculum esse derogationem quandam ordinis naturalis, non eo sensu quo nos posuimus, nihilominus rem adeo clare exponit, ut ejus verba referenda duxerim, quin tamen ei assentiam *derogationem* eo sensu admittendo. « Chiedere se il miracolo sia possibile, ipse ait, è lo stesso come chiedere se Iddio possa agire all'infuori degli ordini inferiori e particolari delle cose.

« Analizzata, questa domanda si risolve in altre due: una oggettiva, cioè, è egli possibile che un effetto venga prodotto all'infuori del corso della natura; l'altra soggettiva: data questa possibilità, è Dio potente abbastanza da effettuare questa derogazione? La prima questione riguarda la possibilità assoluta, ossia intrinseca del miracolo; la seconda riguarda la possibilità relativa, ossia estrinseca.

« In realtà però, la prima questione dipende dalla seconda. Poichè la possibilità oggettiva, ossia assoluta, del miracolo si fonda non sopra la potenza passiva naturale dell'effetto, ma sopra una potenza passiva che riguarda un atto eccedente, un atto improporzionato, ed ha per proprio principio effettivo l'agente primo al quale tutto deve obbedire, e perciò questa potenza suol dirsi *potenza obedienziale*. La possibilità dunque del miracolo risulta non tanto dalla non ripugnanza ossia possibile convenienza tra il soggetto passivo e l'atto eccedente o improporzionato, quanto dalla possibilità di trovare un agente il quale possa ridurre questo soggetto da una potenza passiva anche rimotissima, ad un atto eccedente improporzionatamente non solo la potenza passiva naturale del soggetto, ma bensì ancora la virtù attiva di ogni agente all'infuori del primo. Talchè, se mai vi sarà opera miracolosa, sarà appunto quando un effetto sorpassa, eccede qualunque attitudine od esigenza naturale del soggetto in cui si compie; come in un morto che vien riscuscitato, la vita eccede improporzionatamente la potenza del corpo morto, ed in quella verga che Mosè cangiò in serpente, la forma serpentina eccedeva pure improporzionatamente la potenzialità della verga di legno: nei quali casi, gli effetti richiedono per proprio principio attivo la virtù del primo agente.

absolute consideramus, quae se extendit ad producendum omne id quod potest habere rationem entis; est autem *relativa* quatenus quaerimus utrum Deus de potestate sua ordinaria possit aliquid facere praeter ordinem statutum, communiter observatum in rebus.

165) Insuper quaestio de possibilitate miraculorum potest respicere tum *ordinem speculativum*, quatenus nulla in miraculo invenitur repugnantia vel *intrinseca* vel *extrinseca;* tum *ordinem practicum*, quatenus *historice* probari potest quandoque aliquod verum miraculum factum fuisse.[1]

Certe haec quaestio non est hic agitanda, cum inferius de miraculi cognoscibilitate sit loquendum.

166) ERRORES. — Miraculorum possibilitas negatur 1) ab *Atheis* et a *Pantheistis* et a *Semipantheistis* omnibus, qui vel negando Deum et consequenter causam efficientem miraculi, vel Deum cum creaturis confundendo et proinde de medio tollendo causam formalem miraculi, jam nullus effectus habetur extra ordinem totius naturae productus. 2) Pariter *Rationalistae* sive *Mythici,* sive *Naturalistae,* sive *Materialistae,* sive *Positivistae* denegant miraculorum pos-

---

« Da questo già appare che cosa s'intende quando si domanda se il miracolo sia possibile. Domandare se il miracolo sia possibile, non è tanto dimandare se un tal atto possa o no convenire ad un tal soggetto, quanto se si possa trovare un agente abbastanza potente da vincere l'eccesso di superiorità dell'atto da indursi sopra la potenza passiva, e da ridurre con la sua virtù un soggetto da qualunque potenza in cui si trovi a qualunque atto, nonostante qualunque eccesso di questo sopra quello, purchè, e ciò ben s'intende, non si tratti di ripugnanza in termini, come sarebbe nel caso di una retta curva, o in un circolo quadrato. E per esemplificare il nostro pensiero, il quesito: può un sasso diventar pane, il che, di consenso di tutti, sarebbe un miracolo, si riduce formalmente a quest'altro: può trovarsi un agente il quale riduca un sasso dalla potenza passiva ad un atto improporzionatamente eccedente questa potenza, qual è nel caso la forma sostanziale del pane? »

[1] RÉNAN (*Vie de Jés.* Introd.) affirmat nullum unquam miraculum fuisse sufficienter demonstratum, quia Deus nunquam se per modum scientifice approbatum revelavit. Exinde apparet saepe ab iis qui negant miraculorum possibilitatem, confundi quaestio practica cum speculativa.

sibilitatem,[1] vel miracula confundendo cum Mythis, vel denegando ordinem supernaturalem, vel Deum humano more concipiendo, vel res Divinae Providentiae subtrahendo, vel extollentes nimium immutabilem naturae ordinem et vires naturae, veluti nobis adhuc ignotas, vel alia denique impiissima ratione Dei efficientem causalitatem inficiando.[2]

3) Negant pariter miraculorum possibilitatem illi qui ea explicare conantur tanquam effectus naturales vel spiritismi, vel magnetismi, vel hysterismi, vel auto-suggestionis. De hisce tamen loquemur inferius.

4) Item miracula esse posssibilia negant *Deistae*, qui Deum supponunt inde a creatione mundi, nullam amplius cum hoc relationem vel providentiae, vel gubernationis habuisse, vel habere posse.

5) Denique possunt ansam praebere negationi miraculorum etiam quidam ex Catholicis, qui nimium exagerantes *naturae vires,* putant plurimos effectus miros posse explicari per recursum ad naturae vires occultas.

167) DOCTRINA CATHOLICA. — Miracula esse possibilia affirmat Ecclesia Catholica, quae tum in Sillabo[3] (DENZINGER, n. 1554), tum in Constitutionibus Concilii Vaticani *De fide* sess. 3, can. 4 (DENZ. n. 1660) contra eos, qui mi-

---

[1] Quot errores sint prolati circa miraculorum possibilitatem vix credere licet. *Il miracolo trarrebbe a negare la storia e la provvidenza,* ait Lignana; JOSEPH FERRARI in suo impiissimo libro *Filosofia della Rivoluzione* (Vol. 2 p. 226) affirmat miraculum esse necessariam illationem erroris primitivi, quo creditur Deum existere.

[2] Ex his qui praecipue miraculum negarunt habemus SPINOZA, HOBBES, HEGEL, KANT, RÉNAN, STRAUSS, M. LITTRÉ, JULES SIMON, SABATIER, VOLTAIRE, ROUSSEAU, HUME, DUBOIS, REYMOND, HAVET, CHARCOT, MANTEGAZZA, WEISSE, BAHROLT, VENTURINI, MIRON, PROUDHON, DECHANEL, WINKLER, BURNOUF, E. GIBBON, BREAL, VERNES, M. MULLER, FISCHER, PFLEIDERER, HARNACK, LESSING, GOTTLOB, LARROQUE, GROVE, BONFIGLI, ZOLA aliosque plurimos.

[3] Propositio in Syllabo damnata haec est: *Prophetiae et miracula in sacris Litteris exposita et narrata sunt poetarum commenta, et christianae fidei mysteria philosophicarum investigationum summa; et utriusque Testamenti libris mythica continentur inventa; ipseque Jesus Christus est mythica fictio.*

raculorum possibilitatem inficiantur, definit: *Si quis dixerit, miracula nulla fieri posse, proindeque omnes de iis narrationes, etiam in Sacra Scriptura contentas, inter fabulas vel mythos ablegandas esse....* A. S.[1]

Ad recensitos errores removendos sit:

168) PROPOSITIO VI. — *Admissâ Dei existentiâ, miracula et intrinsece et extrinsece sunt possibilia; nihil proinde valent difficultates, quae contra miraculorum possibilitatem, ab ordinis supernaturalis osoribus congeruntur.*

169) PRAENOTANDA. — Tanquam fundamentum nostrae demonstrationis praesupponimus Dei existentiam, qua admissa necessario cogimur et ordinem supernaturalem non negare, et consequenter etiam miraculorum possibilitatem, quae sunt illatio necessaria hujus fundamenti, quod non est, uti FERRARI impiissime inclamat, error, sed certissima veritas et causa omnium veritatum.

170) In propositione defendimus miracula esse non solum *intrinsece* possibilia, scilicet nullam repugnantiam involvere ex parte legum naturae; sed etiam *extrinsece*, nempe neque ex parte Dei et *absolute* et *relative* repugnare; omnes proinde difficultates sive *philosophicas*, sive *scientificas* contra possibilitatem miraculorum nullius momenti esse affirmamus.

171) Thesim trifarie partimus; agentes in prima parte de possibilitate *extrinseca* miraculorum, in altera de *intrinseca*, in tertia demum de valore difficultatum.

172) A) PROBATUR I PARS. — *Miracula sunt extrinsece possibilia.* I) *Miracula* non repugnant potentiâ Dei *absolute* consideratâ.

1°) Argumentum praecipuum desumimus a *supremo Dei dominio* super omnes res creatas.

Et merito, Dei excellentiae congruit ut se exhibeat omnium rerum creatarum auctorem libere agentem, ipsarumque dominum, *nullo enim*, ait ANGELICUS (*C. G.* l. III, c. 99), *modo melius manifestari potest quod tota natura di-*

---

[1] Cf. *Encycl.*, Qui pluribus; *Alloc.* Maxima quidem.

vinae subjecta est voluntati, quam ex hoc quod quandoque ipse praeter naturae ordinem aliquid operatur, ex hoc enim apparet quod ordo rerum processit ab eo, et non per necessitatem naturae, sed per liberam voluntatem. Atqui aliquid *extra* vel *praeter* totius naturae ordinem operari, est miracula operari. Ergo Deus ect.

173) Rei veritas evidens fit ex comparatione inter operationes quae a creaturis rationalibus procedunt, et illas quae Deus facit. Jamvero constat Angelos et etiam Daemones[1] quaedam mira patrare et quodammodo vera miracula imitari, quia cum perfectiores sint quam homines, in natura sensibili quaedam operantur, quae humanam potentiam excedunt. Item constat hominem posse vel per suarum facultatum intellectivarum exercitium, vel per praestigia, quaedam operari, quae nos miracula, licet sensu improprio, appellamus, quae intra quemdam circumscriptum ambitum eveniunt; attamen ostendunt vim aliquam haberi supra materiam ab hac independentem, sed dominam, huic pro lubitu modificationes tribuentem. Modo si creaturae rationales inferiores aliquid mirum operari possunt, praecise propter ipsarum supra materiam dominium, multo magis poterit Deus vera miracula operari, qui omnes res creatas infinite excedit omniumque supremum tenet dominium.[2]

---

[1] Cf. S. Thom., *Qq. disp.*, q. VI *de Potentia*, art. 3, 4, 5.

[2] Hoc argumentum ita egregie exponit De Bonniot (*Le miracle et ses contref.*, p. 27 et seq.): « Si le libre arbitre de l'homme, ipse ait, est vraiment une force dans la vie et si la nature est uniforme, il doit être une force surnaturelle, agissant sur la matière, dont elle est essentiellement indépendante. Or, tout logicien qui admet le pouvoir d'une telle volonté, doit admettre non seulement la possibilité des miracles, mais admettre aussi le fait actuel de leur occurrence journalière. Tout acte de la volonté humaine est, dans la rigueur des termes, un vrai miracle; seulement ce miracle a lieu dans l'étroite enceinte du crâne. Les molécules du cerveau sont arrangées, disposées d'une manière spéciale, par une influence surnaturelle; leurs mouvements automatiques naturels sont suspendus; une force distincte intervient pour leur imprimer une direction. Sans doute, dans le langage ordinaire, le mot de miracle est plus restreint; mais par rapport à la nature, c'est essentiellement la même chose. Ce que l'on appelle communément miracles, ce sont des

174) 2°) Insuper facultas miracula patrandi Deo competit ob *suam infinitam potentiam,* Deus enim ut infinite potens multo plura agere valet quam quaelibet virtus creata, quae finita est, eosque producere etiam effectus, quos rerum creatarum natura non exigit et ad quos recipiendos non est naturaliter disposita, ut ecce ex lapidibus *filios Abrahae* producere, mortuum ad vitam revocare; neuter enim effectus nequit a causa naturali produci, cum sit contra dispositionem subiectae materiae. Porro aliquid agere quod nequeat a causa naturali produci, vel quod sit contra

---

actes, non de la libre volonté de l'homme qui dérange les mouvements automatiques du cerveau, mais de la libre volonté de Dieu qui dérange les mouvements automatiques de la matière hors du crâne, de la même façon que la libre volonté de l'homme dérange les mouvements automatiques de la cervelle sous le crâne. Une fois la libre volonté de l'homme reconnue, l'impossibilité et même l'improbabilité du miracle s'évanouissent.

« La science a projeté sur cette question une lumière infinie et inattendue. Si les faits ont la signification que je crois, lorsque j'affirme que je lance une pierre, parce que j'ai choisi de la lancer, ou que j'arrête une pierre qui roule, parce que j'ai choisi de l'arrêter, j'ai introduit, dans l'univers matériel, en agissant ainsi sur la matière, un désordre de nature exactement le même, sauf pour les dimensions, que celui que produisit Josué en arrêtant la lune au-dessus de l'Ajalon.

« Entre l'homme et Dieu, y a-t-il des êtres plus grands que l'homme et moindres que Dieu? La science n'en sait rien, n'en peut rien savoir et, par conséquent, n'a pas le droit de le nier. Si ces êtres, qui sont les anges, existent, d'abord il n'est pas douteux qu'ils ne sont pas compris dans la série des phénomènes mécaniques dont se compose notre univers. La raison est bien simple: ils sont immatériels, et le mouvement matériel ne peut se trouver en un sujet qui n'est pas matière. En second lieu, ils exercent leur action sur la matière, qui, de son côté, ne peut les atteindre. En effet, la création est une œuvre essentiellement ordonnée, et l'ordre, parmis les êtres capables d'action, exige que les inférieurs soient soumis à l'action des supérieurs. Il faut ou nier l'ordre, ou accorder cette subordination. C'est la raison même donnée jadis par les scolastiques: nous pensons qu'elle a gardé toute sa valeur en vieillissant. Du reste, ce que l'on est, en toute hypothèse, obligé d'admettre, c'est que l'existence d'êtres supérieurs à l'homme et capables d'agir sur la matière, est un chose possible. Rien n'empêche de supposer que leur action est purement directive, qu'il ne créent rien,

dispositionem subiectae materiae, est miraculum operari. Ergo Deus, ut infinite potens, miracula patrare potest.[1]

Neque dicatur Dei potentiam ligari et coarctari relate ad creaturas, nam hoc affirmare idem est ac concedere res creatas tali energeiâ donari ut divinae possint obsistere voluntati; quod est absurdum. Certe Deus aliquid infinitae

---

non pas même une unité de mouvement. Mais, de même que toutes les énergies du mond, livrées à elles-mêmes pendant des siècles sans fin, n'auraient pas pu produire le premier verse de l'*Iliade,* ni même le frontispice de l'*Almanach liégeois,* lesquels sont de vrais miracles par rapport à la nature physique, et des miracles produits par la direction de l'homme imposée aux forces de la nature physique; de même, les effets qui résultent de la direction imposée par les anges aux forces de cette même nature, à celles de la nature animale et de la nature humaine, sont supérieurs à tout ce que peuvent les natures inférieures, depuis l'élément matériel jusqu'à nous: ce sont des miracles surnaturels et surhumains. Or, pour le dire en passant, s'il ne nous est pas facile de donner de l'existence des anges une preuve directe, dès que des faits surhumains, dont Dieu n'est pas l'auteur, sont constatés, il devient expérimentalement certain qu'il y a d'autres créatures au-dessus de nous, que les anges existent.

« Ce que les hommes peuvent, ce que les anges peuvent, Dieu le peut; il peut mettre en jeu les forces qu'il a crées, mais de telle sorte que l'effet produit dépasse la puissance de la nature physique abandonnée à elle-même, ou bien dirigée par la nature humaine ou par la nature angélique. Il suffit d'énoncer une telle vérité pour montrer qu'elle s'impose à la raison. Ainsi, sans toucher à la costance relative de la somme des énergies qui animent l'univers, la raison est encore forcée d'admettre au-dessus des effets surnaturels et des effets surhumains, des effets surangéliques: des miracles divins. »

[1] Ad rem scribit S. THOMAS (*Qq. Disp.* Q. VI, *De Potent.* art. 1 ad 18): *Quanto aliqua virtus activa est altior, tanto eamdem rem potest perducere in altiorem effectum.... et inde est, quod res aliqua est in potentia ad diversa secundum habitudinem ad diversos agentes. Unde nihil prohibet quin natura creata sit in potentia ad aliqua facienda per divinam* POTENTIAM, *quae inferior potentia facere non potest. Et ista vocatur potentia obedientiae, secundum quam quaelibet creatura creatori obedit.* Ex Dei potentia infertur Deum non agere secundum necessitatem naturae, et consequenter posse immediate producere effectum proprium inferioris agentis, *in hoc enim differt,* inquit S. THOMAS (*C. G.* l. III, c. 99), *agens secundum necessitatem naturae, ab agente secundum voluntatem, quod ab agente secundum necessitatem naturae effectus non potest sequi nisi secundum modum*

suae perfectionis creaturis communicare potest, sed suis abdicare perfectionibus nunquam potest.

175) 3°) Ulterius res confirmatur *ex manifestatione potentiae Dei in creatione.* Deus ex nihilo mundum creavit, ergo miracula sunt possibilia; non solum quia inde sequitur ipsum posse res pro lubitu mutare, cum ei penitus subiaceant; sed etiam quia miracula, cum sint motus, jam inferioris ordinis sunt ac ipsae rerum substantiae et formae, et nihil aliud important, quam formarum et proprietatum modificationem.

176) II) Non repugnant miracula potentiae Dei *ordinariae.* Hucusque locuti sumus de potentia *absoluta* quam Deus habet miracula efficiendi. Sed quod affirmamus de potentia Dei *absoluta,* debemus etiam de ejus potentia *ordinaria* praedicare, quia Deus ea omnia facere potest, quae ejus infinitis perfectionibus non repugnant. Atqui miracula non repugnant ejus perfectionibus infinitis. Ergo Deus miracula facere potest.

177) 1°) Non repugnant miracula divinae *scientiae,* et *immutabilitati,* qui *Deus ab aeterno,* notat S. Thomas,[1] *praevidit et voluit se facturum quod in tempore facit. Sic ergo instituit naturae cursum, ut tamen praeordinaretur in aeterna sua voluntate quod praeter cursum istum quandoque facturus erat.*

Immo dicimus quod Deus miracula patrando non mutat voluntatem, scimus enim, duce Angelico,[2] quod *aliud est*

---

virtutis activae; unde agens quod est maximae virtutis, non potest immediate producere effectum aliquem parvum, sed producit effectum suae virtuti proportionatum; in quo tamen invenitur quandoque minor virtus quam in causa; et sic per multa media tendens a causa suprema provenit aliquis parvus effectus. In agente autem per voluntatem non est sic: nam agens per voluntatem statim sine medio potest producere quemcumque effectum qui suam non excedat virtutem; artifex enim perfectissimus potest facere opus quale faciat artifex imperfectus. Deus autem operatur per voluntatem et non per necessitatem naturae. Igitur minores effectus, qui fiunt per causas inferiores, potest facere immediate absque causis secundis.

[1] *Qq. Disp.* loc. cit. art. 1 ad 6.um (Cf. *S. Th.,* I, q. XIX, art. 7.

[2] *S. C. G.,* l. III, c. 99.

mutare voluntatem, et aliud est velle aliquarum rerum mutationem; potest enim aliquis, eadem voluntate immobiliter permanente, velle quod nunc fiat et postea contrarium fiat.

178) 2°) Pariter miracula non repugnant divinae *sapientiae,* Deus enim miracula operando neque arbitrarium de novo statuit naturae ordinem, neque ipsius leges, veluti defectivas, corrigit; tum quia leges immutabiles sunt perfectaeque, uti vidimus (n. 156); tum quia Deus ad agendum sapientissimis finibus impellitur, quorum praecipuum est suarum perfectionum *manifestatio,*[1] uti ostendimus (n. 152). Porro, ipsis *Rationalistis* fatentibus,[2] Deum decet veluti naturae auctorem extra et supra ordinem naturalem aliquid agere, quo manifestius ejus potentia appareat, ea enim quae juxta consuetum ordinem fiunt, quodammodo assiduitate vilescunt, *quia,* docet Augustinus,[3] *ille* (nempe Deus) *non est talis substantia quae videri oculis possit, et miracula ejus, quibus totum mundum regit, universamque creaturam administrat, assiduitate viluerunt, ita ut pene nemo dignetur attendere opera Dei mira et stupenda in quolibet seminis grano; secundum ipsam suam misericordiam servavit sibi quaedam quae faceret opportuno tempore praeter usitatum cursum ordinemque naturae, ut non majora, sed insolita videndo, stuperent, quibus quotidiana viluerant.*

Insuper animadvertimus cum divo Thoma[4] quod *ordo a divina sapientia rebus inditus, in quo ratio justitiae consistit non adaequat divinam sapientiam, ut sic divina sapientia limitetur ad hunc ordinem. Manifestum est autem quod tota ratio ordinis quem sapiens rebus a se factis imponit, a fine sumitur. Quando igitur finis est proportionatus rebus propter finem factis, sapientia facientis limitatur ad aliquem determinatum ordinem. Sed divina bonitas est finis improportionabiliter excedens res creatas. Unde divina sapientia non de-*

---

[1] Cf. *S. C. G.* l. III, c. 99.

[2] Cf. E. Scherer, *Mélanges de critique religieuse, Conversat. théolog.* p. 169–187; Guizot, *Méditations,* vol. I, c. 3.

[3] *Tract. in Joan.* (Migne, tom. XXXV, 1592–93).

[4] *S. Th.,* I, q. XXV, art. 5.

terminatur ad aliquem ordinem rerum, ut non possit alius cursus rerum effluere. Unde dicendum est simpliciter quod Deus potest alia facere quam quae facit.

Quod autem mutatio ordinis naturalis non arguat vel defectum vel mutationem ordinis in divina providentia et consequenter non repugnet Dei sapientiae ita probat S. THOMAS[1]: *Ordo inditus rebus a Deo, secundum id est, quod in rebus frequenter accidere solet, non autem ubique, vel secundum id quod est semper. Multa enim naturalium causarum effectus suos producunt eodem modo ut frequenter, non autem ut semper, nam quandoque, licet ut in paucioribus, aliter accidit, vel propter defectum virtutis agentis, vel propter materiae indispositionem vel propter aliquod fortius agens* (en conflictus causarum et virium); *sicut cum natura in homine generat digitum sextum. Non autem propter hoc deficit, aut mutatur providentiae ordo: nam et hoc ipsum quod naturalis ordo institutus secundum ea quae sunt frequenter quandoque deficiat, providentiae subest divinae. Si ergo per aliquam virtutem creatam fieri potest ut ordo naturalis mutetur ab eo quod est frequenter ad id quod est raro, absque mutatione providentiae divinae; multo magis divina virtus quandoque aliquid facere potest sine suae providentiae praejudicio, praeter ordinem naturalibus inditum rebus a Deo.*[2]

---

[1] *C. G.*, l. III, c. 99.

[2] Hisce Angelici verbis placet addere quae habet Eminentissimus Cardinalis PAROCCHI in citata dissertatione (p. 8–9): *Chi basta a circoscrivere l' onnipotenza di Dio? tutte le creature da ogni angolo dell' Universo ripetono a coro:* Non est impossibile apud Deum omne verbum. *Chi può vincolarne la libertà? o gli effetti che dipendono totalmente da Lui, si vorranno così immutabili come è la causa? Non può dunque Iddio quello che torna facile alle intelligenze create, serbare l' unità del consiglio variando i fatti? E le verità sgomitolate nel tempo, non furono prevedute, preordinate ab eterno? Tolto il soprannaturale, non risponderebbe più l' assoluta dipendenza delle creature, dipendenza intimamente diversa da quella che tengono gli effetti verso le cause seconde, le quali modificano, ma non danno l' essere, mentre Iddio dà, conserva, modera tutto l' essere, e vi si interna più a fondo che non faccia l' essere in sè medesimo.*

179) Immo concludit S. Doctor[1], *hoc ipsum ad suae virtutis manifestationem facit interdum.* Et sane:

1°) Deus miracula operando suam ostendit ***bonitatem,*** quam licet manifestaverit per mundi creationem et per legum naturalium et ordinum constitutionem, eam tamen luculentius ostendit, quando, extra naturae ordinem operando, beneficia quaedam largitur; ut ecce sanatio instantanea morbi, quam vires naturae et Galeni ars nunquam fugare potuissent, eo saltem modo.[2]

2°) Ostendit quoque suam ***veracitatem,*** quia Deus, cum veritates ignotas revelat, miracula operando, signum praestat in revelationis confirmationem, miraculum enim est indivulse cum revelationis facto connexum, legationisque divinum est sigillum. Igitur Deus miracula patrare potest, non enim infinitis suis repugnant perfectionibus.

180) B) PROBATUR II PARS. — *Miracula intrinsece non repugnant;* in tantum enim repugnarent, in quantum per ipsa ordo naturae et leges destruerentur. Atqui omnes effectus *extra* vel *praeter* vel *supra* consuetum ordinem naturae producti, neque leges, neque naturae ordinem destruunt. Ergo ect.

181) Cum ordo naturae sit contingens, patet ipsum potuisse non existere, vel alio modo existere; pendet enim a libera Dei voluntate, qui alium ordinem constituere potuisset; proinde potest praeter hunc ordinem agere, quin statutum destruat ordinem. *Deus,* inquit S. THOMAS,[3] *potest facere praeter ordinem rerum: quia ordini secundarum*

---

[1] Ibidem.

[2] Merito animadvertit S. THOMAS (*C. G.,* l. III, c. 99): *Licet ordo rebus inditus a providentia divina bonitatem suo modo repraesentet, non tamen ipsam repraesentat perfecte, cum non pertingat bonitas creaturae ad aequalitatem bonitatis divinae. Quod autem non repraesentatur perfecte per aliquod exemplatum, potest iterum praeter hoc alio modo repraesentari. Repraesentatio autem divinae bonitatis in rebus est finis productionis rerum a Deo. Non est igitur voluntas divina determinata ad hunc ordinem causarum et effectuum, ut non possit velle effectum aliquem in inferioribus producere immediate absque aliis causis.*

[3] *S. Th.* I. q. CV. art. 6.

causarum ipse non est subjectus; sed talis ordo ei subiicitur, quasi ab eo procedens, non per necessitatem naturae, sed per arbitrium voluntatis: potuisset enim et alium ordinem rerum instituere: unde et potest praeter hunc ordinem institutum agere cum voluerit, puta, agendo effectus causarum secundarum sine ipsis, vel producendo aliquos effectus, ad quos causae secundae non se extendunt.

182) Ex dictis apparet rerum ordinem non everti, nec leges mutari, quia, uti vidimus superius (n. 158) leges neque violantur neque suspenduntur, cum miracula non sint derogatio ordinis naturalis, licet alicujus causae particularis determinatis in casibus vis activa prohibeatur, raro tamen et absque perturbatione ordinis universalis hoc fit.

Perspicimus hoc verum esse singulas miraculorum classes considerantes.

Porro si agatur de miraculis quae fiunt *praeter* vel *supra* naturam, patet ipsa non repugnare, quia effectus qui in certis circumstantiis et conditionibus a causa finita produci potest, cur nequit indipendenter ab hisce conditionibus produci a causa infinita, quae nullius conditionis vel causae cooperationem exigit?

His adde quod si homo potest aliquos effectus producere praeter et supra vires creaturarum sibi subditarum, quin totum ordinem naturae evertat, ut ecce *lapidem* in altum projicere integra tamen manente *gravitatis lege*, multo magis id poterit Deus, quin ordo universalis perturbetur.

183) Argumentum istud ita egregie exponit Willmers:[1] *Deus in rebus effectus producere potest, ad quos ipsae proportionatae non sunt. Nam quod potest causa finita modo sibi determinato agens, idem potest causa infinita modo quo sibi placuerit. Atqui causae finitae modo sibi determinato agentes producunt quosdam effectus, ut homo generando, materiam disponit ad animam rationalem recipiendam: ergo Deus, causa infinita, modo quo sibi placuerit, materiam quam-*

[1] *Op. cit.*, p. 131.

cumque, etiam cadaver, ed eundem finem disponere atque ita mortuum ad vitam revocare potest.

Praeterea rerum naturae ita sunt dispositae, ut prout aliis et perfectioribus agentibus subjiciuntur, aliam perfectionem acquirant vel alios et perfectiores effectus ipsae producant. Hinc est, quod planta corpora anorganica, quae in se assumit, nova perfectione, i. e. vita vegetativa, donat. Deus vero perfectius et efficacius quam ulla causa finita in res influere potest; ergo etiam effectus in iisdem producere potest, quod nulla vis, in rerum naturis sita, producit. Potest ergo Deus corpus vivum natura sua dissolutioni et morti obnoxium perpetuo a morte praeservare.

Demum haec est rerum natura, ut, quo perfectiori causae principali, qua instrumenta, subjiciantur, tanto perfectius agant; unde quo perfectior est artifex, tanto excellentiores effectus producit instrumento licet vulgari. Deus est causa principalis infinite perfecta; potest igitur caecum curare luto ut instrumento assumpto.

Pariter potest Deus inhibere effectum, qui pro rerum cursu ordinario locum habere deberet. Quum enim res omnes omni modo Deo subjiciantur, potest RETINERE OPERATIONES RERUM NATURALIUM NE AGANT, QUOD NATAE SUNT AGERE[1].... *Quod enim alias fit causis naturalibus, id Deus per se facere potest; corporum actiones per causas creatas impediri posse, experientia constat; impediri igitur possunt per Deum ipsum. Duplici modo impediri possunt: aut ita, ut actio quidem existat, ejus vero effectus impediatur, quemadmodum ignis effectus naturaliter impeditur corpore interposito; aut ita, ut ipsa actio cesset; cessabit autem, si Deus rem agentem quidem conservat, cum ejus vero actione non concurrit.*

184) Exinde deducimus neque intrinsece repugnaro illa miracula quae *contra* naturam perfici ab antiquis dicebantur, nempe illa miracula quae fiunt contra dispositionem subiectae materiae; quia, quin lex destruatur, potest Deus contrariam dispositionem tollere, aut oppositam actionem

---

[1] S. Th., *Qq. Disp.* Q. 9, *De pot.*, art. 1 in corp.

impedire, non secus ac ignis proprietas, quae est comburendi, potest impediri ope substantiarum chimicarum.

185) Ne autem quis opponat quasdam vires vel dispositiones esse essentiales rebus, ita ut nequeant tolli quin simul et ipsarum destruatur natura, animadvertimus sedulo distinguendum esse inter rei potentiam et ejus actionem, quia rei potentia non tollitur, sed solum ejusdem impeditur exercitium sive actio, ut ecce posito intellectu, non sequitur necessaria ejus actio, ita etiam posita gravitate vel resistendi vi, non sequitur hanc potentiam non posse impediri per vim superiorem.

186) Haec autem vis superior *praevisionem humanam* impossibilem non reddit, omnis enim humana praevisio conditionem involvit, effectum a causis naturalibus oriturum esse, nisi a causa altiori impediatur; quod tamen *raro* et *late* verificatur, scientia proinde, uti inferius videbimus, etiam dato miraculo, stat suo robore.

187) His accedit quod vires naturales non semper eodem modo agunt; scimus enim ipsarum actiones perturbari vel modificari vel per alterius vis conflictum, vel per concursum circumstantiarum in quibus exercentur. Exempli gratia elementorum anorganicorum vires alio modo agunt si in plantas receptae viribus vegetativis subduntur, et alio modo, si in animal receptae, vitae sensitivae inserviunt. Porro si vires creatae elementa immutare possunt et actiones, multo magis hanc mutationem per Dei concursum non repugnare dicendum est.[1] Ergo miracula intrinsece sunt possibilia.

188) Denique animadvertimus certum esse ab alicujus rei possibilitate non esse ejus existentiam inferendam; idem tamen non est dicendum de argumentatione a facto ad possibilitatem. Si quis dicat e. g. revelationem esse possibilem, ergo existere; omnes vix certe risum tenere poterunt; verum si quis dicat: revelatio facta est, ergo est possi-

---

[1] Cf. S. Thom., *C. G.*, l. III, c. 99, n. 7; Gutberlet, *Naturphilosophie.*

bilis; omnes assensum facile praestabunt; a facto enim ad possibilitatem logica est illatio. Modo si certe constet miracula facta esse, jam evidens est miracula esse possibilia. Jamvero miracula facta esse probabimus inferius, ostendentes ipsa non esse cujuslibet causae naturalis effectum. Ergo miracula sunt possibilia.

189) PROBATUR III PARS. — *Nihil valent difficultates, quae contra miracolorum possibilitatem, ab ordinis supernaturalis osoribus congeruntur.* Quamvis plures difficultates jam, per ea quae dicta sunt, praeoccupatae sint, nihilominus quaedam addimus speciatim ad recentiorum opinamenta refellenda, quae si non nova sunt quoad substantiam, saltem novitatis speciem praeseferunt quoad exprimendi modum.

Omnes autem difficultates sive philosophicae, sive scientificae contra miraculorum possibilitatem ad haec reducuntur:

1°) *Miraculum est antiscientificum, quia scientia experimentalis nunquam ea observavit;*

2°) Item *quia progressus qui in scientiis philosophicis habentur in dies minus acceptabilem reddunt miraculi notionem; proinde licet concludere cum* SABATIER (Esquisse d'une philosophie de la religion, p. 47) *ideam miraculi, secundum quod naturae idea transformatur, evanescere;*[1]

3° *quia miraculum esset legum naturalium derogatio, proinde inordinatio quaedam in Deo contradictionem arguens;*

4°) *quia miraculum est phoenomeni productio quod non continetur in virium naturalium evolutione.*

5°) *denique quia negatio ordinis supernaturalis evenit dogma absolutum pro hominibus scientia praestantibus, nam historia mundi physici et moralis nos docet miraculum excludendum esse, cum mundus appareat evolutio quaedam in se suas habens effectuum causas.*[2]

---

[1] *L'idée de miracle est en train de s'évanouir à mesure que se transforme l'idée de la nature.* Cf. DE BONNIOT, *op. cit.* p. 33 et sqq.

[2] Hanc opinionem ita RENAN exponit in opere: *Marc-Aurèle ou la fin du monde antique:* « Une autre cause a miné fortement, de nos jours,

De singulis difficultatibus pauca brevissime monemus.

190) In primis possibilitas miraculi negatur, quia, dicunt adversarii, experientia numquam miracula observavit. Haec difficultas quam Rénan proposuit, ab omnibus Rationalistis refricatur.[1] Sed quid ponderis habeat haec opinio nemo non videt.

Ridiculum sane est Deum supponere ita miracula efficientem, ut prius advocet eos qui illa negant, et, ipsis cernentibus, res miras operetur. Ceterum miracula, hoc ipso quod ordinem naturae excedunt, nequeunt in se experientiae supponi, quamvis factum exterius possit esse experientiae obiectum. Exempli gratia non possumus, experientia duce, nos certiores reddere quomodo mortuus reviviscat; experientia tamen ad id nos adducere potest ut statuamus hominem de facto mortuum nunquam postea ad vitam rediisse, simulque ostendere vires naturae non tantum efficaciae habere, ut possint mortuum ad vitam revocare.[2]

---

la religion que nos aïeux pratiquèrent avec un si plein contentement. La négation du surnaturel est devenue un dogme absolu pour tout esprit cultivé. L'histoire du monde physique et du monde moral nous apparaît comme un développement ayant ses causes en lui-même et excluent le miracle, c'est-à-dire l'intervention des volontés particulières réfléchies. Or, au point de vue du christianisme, l'histoire du monde n'est qu'une série de miracles. La création, l'histoire du peuple juif, le rôle de Jésus, même passés au creuset de l'exégèse la plus libérale, laissent un reliquat de surnaturel qu'aucune opération ne peut ni supprimer ni transformer. Les religions sémitiques monothéistes sont, au fond, ennemies de la science physique, qui leur paraît une diminution, presque une négation de Dieu. Dieu a tout fait et fait tout encore, voilà leur universelle explication. Le christianisme, bien que n'ayant pas porté ce dogme aux mêmes exagérations que l'islam, implique la révélation, c'est-à-dire un miracle, un fait tel que la science n'en a jamais constaté. Entre le christianisme et la science, la lutte est donc inévitable; l'un des deux adversaires doit succomber. »

[1] Jules Simon, *Religion naturelle*, p. 284.

[2] Ad rem juvat recolere quae habet Tanquerey (op. cit. pag. 97): *Miraculum*, ipse ait, *non est experientiae contrarium; nam experientia proprie dicta nonnisi circa singularia facta versatur, eaque accipere debet*

Verum si nos ita animo parati simus ut nonnisi ea recipiamus, quae experientiâ vel nostra, vel doctorum hominum cognoscimus, pauca omnino admittere cogimur; de paucissimis enim rebus nos experientia directa certiores facit.

Avec une pareille règle, scribit Fonsegrive, *les hommes du moyen âge auraient eu raison de traiter de fous un* Graham Belle *ou un* Edison. *Ils auraient dû refuser toute créance au téléphone, si on leur en eût parlé.... C'est en s'appuyant sur cette prétendue règle que l'Académie des sciences a refusé d'examiner les faits d'hypnotisme qui sont maintenant si avérés.*[1]

191) At quantum secum invicem pugnent Rationalistae, evidens fit per ea, quae quidam ex ipsis opponunt, nempe experientiâ in dies minus acceptabilem reddi miraculi notionem.

Priores denegant miraculorum possibilitatem quia aufugit a dominio scientiarum experimentalium, isti idem denegant, quia praecise per experientiae conclusiones miracula impossibilia declarantur, utpote scientiae contradicentia. Errant isti et illi. Priores quidem errare vidimus superius (n. 190); etiam hos errare ex dicendis patebit.

---

prout contingunt, sine ullo a priori *praejudicio. Licet igitur millies compertum fuerit mortuos non surgere, si de facto viderimus aliquem e mortuis suscitari, tale factum rejici nequit ut praeviae experientiae contrarium, quum sit prorsus distinctum ab aliis factis antea observatis, sed eodem modo accipi debet ac alia, posteaque id solum concludere possumus, videlicet hujusmodi factum secundum ordinarias leges non contigisse; quod sane scientificae methodo omnino consentaneum est.*

[1] Cf. Littré, *Préface du livre de Salverte:* Des sciences occultes; Sabatier, op. cit.

Juvat referre quae legimus apud ephemeridem *La Rassegna Nazionale* (ann. XVII, 1° Feb. 1895, p. 384 et seg.) a clarissimo Morando exarata. Ipse difficultatem a Ferney propositam qui, ut miraculum possit admitti, exigit quod fiat vel coram Academia Parisiensi scientiarum, vel coram Societate Regia Londinensi, hisce verbis refellit: « Ragionando in questa maniera buffonesca si potrebbe dire: Per ammettere l'esistenza dei meteoriti è necessario che questi corpi cadano dal cielo in presenza di una Commissione e dopochè il suo presidente ha aperto la seduta. A questo modo si può ritenere non avvenuto tutto

Hujus erroris fautores conantur explicare omnia miracula tanquam virium naturalium effectus; in omnibus curationibus prodigiosis et etiam in mortuorum ad vitam revocatione, adducunt causam ex nervorum actionibus exsurgentem, vulgo *una spiegazione nervosa.*

At quid possint omnes scientiarum tum medicalium, tum naturalium investigationes, quicumque sanae mentis videt, nempe has miraculorum possibilitatem confirmare.

Et merito, quo magis ad naturae cognitionem devenimus, eoque magis nobis persuadebimus quosdam effectus non posse a causis naturalibus produci, cum omnes naturae vires iis limitibus circumscribantur, ut sit ad causam supernaturalem assurgendum si velimus horum effectuum, qui miri apparent, quodammodo originem cognitam habere. Immo quo perfectior est mundi cognitio, eo certius fit Deum esse mundi auctorem, et de ipso elevatiorem ideam concipimus, cui est absoluta potestas res efficiendi extra ordinis naturalis limites. Proinde ab iis tantum miraculum denegatur, qui de Deo et de ejus perfectionibus angustum conceptum et erroneum, immo indignum sibi efformant.

---

ciò che non è successo in un laboratorio; e del resto si sa come le accademie giudicarono Cristoforo Colombo e Fulton. »

Haud longe a FERNEY discrepat RÉNAN, ipse enim, referam verba prouti prostant in notula quadam apud TANQUEREY (*Op. cit.*, vol. I, p. 95) « ait miracula forsan admitti posse, si thaumaturgus coram Parisiensi Academiâ, non semel aut bis, sed iterum atque iterum, variis in circumstantiis, mortuos suscitaret. Aliis verbis, nisi Christus per se, vel per procuratorem, coram Parisiensi Accademiâ appareat, ibique consentiat pluries sese suaque opera peritorum investigationibus subjicere, miracula quae alibi perficiet coram populo, coram amicis et inimicis invalida erunt! Ergo Deus non potuit ab initio revelationem miraculis confirmare, sed patienter expectare debuit donec Parisiensis Academia fundaretur, et ab eâ RÉNAN deputaretur ad infallibile judicium ferendum de miraculis in confirmationem doctrinae revelatae patratis! Tantæne impudentiae Rationalismi coryphaeus reus esse potuit! Merito Christus de his qui tantâ superbiâ laborant dixerat: *Confiteor tibi, Pater, Domine coeli et terrae, quia abscondisti haec a sapientibus et prudentibus et revelasti ea parvulis.* » (MATT. X, 25).

Quare conditiones quas RÉNAN requirit sunt *impiae* in se et *absurdae, otiosae, iniquae, minus aptae, minusque tutae.* (Cf. CINTI, *Hist. eccl.* Vol. I, p. 230.)

Egregie MORANDO, in citata ephemeride, animadvertit: *Che cosa possono contro il miracolo gli studî e le indagini della medicina, di tutte le scienze della natura?*

E si scavizzola
Si stilla tanto
Che adesso un chimico
Rovina un Santo.

Per me tutto questo progresso, tutta questa luce che si diffonde sempre maggiore, non rovina niente affatto..... La natura colle sue meraviglie nell' infinitamente grande dei cieli e nell' infinitamente piccolo degli atomi, la vita colle sue leggi ammirabili, colle sue condizioni sapienti, coi suoi misteri, davanti ai quali i più dotti e nutriti ingegni s'arretrano esterrefatti senza vederne il fondo, ecco per me il miracolo dei miracoli, il testimonio indefettibile dell'esistenza di un Dio sapientissimo, onnipotente immensamente buono. Più questo testimonio s' interroga e più rivela a noi le meraviglie del Supremo Fattore: più l' universo si scopre ai nostri occhi e più si mostra degno tempio di questa sublime divinità, alla quale ogni virtù e santità si riferisce e donde viene a noi ogni dato ottimo di natura e di grazia.

Quare licet inferre miracula non contradicere scientiae; idque multo magis patet si consideretur scientiam non posse ad dignitatem principii unici elevari, quasi ipsa omnium rerum imperium teneat; quia semper supra scientiam stat *veritas* cui obsequium intellectus et voluntatis indefectibiliter est praestandum.

Hic autem est scientiae finis, ut sit veluti speculum referens obiecta eo modo quo sunt in se ipsis, quin ea immutet vel corrumpat; quare non secus ac speculum, quod imagines refert deformatas, nequit speculi nomine decorari, a suo enim deficit fine, ita ea scientia, quae veritatem corrumpit, nequit amplius scientia appellari, sed *error*.

192) Ut autem ii, qui scientiae se jactant tutores, ostendant miracula scientiae contradicere, ita ratiocinantur: Si naturae leges, ipsi dicunt, sunt mutabiles, jam hoc ipso scientia deficit, quia in incertum trahimur.

In primis animadvertimus leges naturae, eo sensu quo superius exposuimus (n. 156) immutabiles esse, proinde miracula apprime convenire cum legum naturalium immutabilitate; quae profecto immutabilitas ostendit causam superiorem effectibus mirabilibus interfuisse.

Insuper etsi concederetur leges esse mutabiles, jam non cessat per hoc scientia, quia haec praecise consisteret in hujusmodi mutabilitatis cognitione, et legum ad invicem relatione. Porro in quaestione de possibilitate miraculorum hoc unum inquirendum est, nempe de immutabilitate absoluta legum naturalium in se ipsis; non vero de relatione quam talis immutabilitas potest ad scientiam habere; igitur munus scientiae ad hoc definitur ut inquirat hujus quaestionis solutionem, quaecumque ipsa sit, nempe utrum leges naturales sint immutabiles an non. Tali posita conditione apparet miracula non contradicere scientiae.

Denique animadvertimus, quod quamvis concedamus ultro scientiam naturae consistere in legum naturalium cognitione, unde liceat certitudinaliter praedicere effectus agentium qui legibus naturae subduntur; nihilominus ex hoc non licet concludere contra miraculorum possibilitatem, quasi ipsa sint scientiae opposita.

Et merito, formula quam scientia sequitur in suis praedictionibus omnibus innotescit, et est quod *omne agens semper eumdem effectum producat quando invenitur in conditionibus rigorose iisdem.* Exempli gratia ignis pulveri piricae admotus explosionem producit, dummodo pulvis in ordinariis conditionibus inveniatur; quia si pulvis sit aquae admixta, absque dubio ignis actioni resistit, quin tamen hujusmodi factum sit veluti scientiae contradictorium explicandum.

Hoc idem verificatur in miraculorum patratione, quia ibi phoenomeni conditiones sunt visibiliter immutatae; miracula enim praeseferunt invariabiliter conditionem sensibilem, quae est thaumaturgi actio, licet haec sit diversimode sensibilis.

Quare haec difficultas, quam obiiciunt osores ordinis supernaturalis, merito potest cum clarissimo De Bonniot

appellari *une toile d'araignée,* quae regnum decorat Satanae, qui *Belzebub* idest *rex muscarum* interpretatur.

193) Jam per haec quae hucusque diximus, via aperitur ut judicium proferamus circa aliam difficultatem, quae affirmat miracula esse derogationem legum naturalium et consequenter inordinationem, quae in Deo contradictionem arguit.

Jam superius (n. 158) vidimus miracula non esse legum naturalium derogationem, proinde nolumus in hac quaestione diutius immorari. [1]

---

[1] Hanc difficultatem ita egregie refellit MORANDO in citata ephemeride (p. 387 et sg.) Clarissimus auctor nobis optime assentit affirmans miracula neque esse legum naturalium derogationem, neque Deum veluti sibimet contradicentem arguendum.

Verum quamvis ipsi assentire videamur quoad conclusionem, cogimur tamen ab ipso dissentire in quibusdam ad conclusionem praeambulis; ipse enim nomine legis non intelligit illam constantem inter quantitates variabiles relationem, qua fit ut leges omnino immutabiles sint. Hisce animadversis ut recte intelligatur cur MORANDO non absolute ponit leges immutabiles esse, referamus ejus eruditissima verba, quae, quibusdam mutatis, optime nostram confirmant sententiam.

Ipse ait: *Ma Dio non si contraddice, affermano gli avversarî dei miracoli. — E che ci entra la contraddizione? Chi è stato segretario di Dio al momento della creazione per affermare ch' Egli abbia voluto e disvoluto nello stesso tempo e sotto lo stesso rispetto? — Ma le leggi della natura creata sono immutabili, si aggiunge, e Dio non può senza contraddirsi trasgredire le leggi che ha posto Egli stesso.*

Anzitutto l' immutabilità delle leggi di natura ha bisogno di una dichiarazione. Vi sono leggi e leggi. Per le eccelse prerogative del lume di ragione, che è divino, raggio divino dell'eterna luce, le leggi del pensiero, ossia leggi logiche, sono immutabili assolutamente, com' è assolutamente immutabile la natura divina. È tanto assurdo che due e due non faccia quattro, che la somma degli angoli d' un triangolo non equivalga a due angoli retti, che un effetto non abbia la sua causa, ecc. quanto è assurdo e impossibile che Dio non sia più Dio. A queste leggi logiche Iddio non può toccare e far mutamenti, come non può far mutamenti alla sua natura che sarebbe assurdo. Lo stesso dicasi delle leggi morali e delle leggi metafisiche che alle leggi logiche si attengono e si riducono. Però quanto alla natura creata è un' altra cosa. Gli esseri creati hanno bene delle proprietà, conforme alle quali essi operano e che danno luogo alle leggi fisiche; ma come la loro natura non è necessaria nè immutabile, tali leggi si dicono solo immutabili

Hic tantum animadvertimus miracula neque esse deordinationem, neque in Deo contradictionem arguere. Attamen pro hac altera quaestionis parte, sufficiant quae monuimus (n. 158) et quae retulimus in nota a Morando deprompta; remanet ergo ut videamus miracula non esse deordinationem.

Et sane si miracula non sunt legum naturalium derogatio, vel suspensio, unde inordinatio derivaretur, jam cadit adversariorum assertio.

194) At quomodo miracula dici possunt deordinatio? Quid adversarii intelligunt nomine ordinis? Certe nos per

---

e necessarie in dipendenza dal volere di Dio che le ha stabilite in questo modo piuttosto che in un altro. Pertanto l' immutabilità delle leggi di natura ha evidentemente un limite nel volere divino, non è assoluta ma relativa, in quanto è voluta da Dio e in quel modo che è voluta. Il pensare che queste leggi vengano mutate nel corso dei tempi quasi con pentimenti tardivi è certo indegno di Dio, è una grossolana illusione d'antropomorfismo, è un abbassare Dio alle proporzioni umane d'un artefice maldestro. D'accordo. Ma il supporre che Dio creando al principio dei tempi la compagine materiale del cosmo per un fine altamente morale, quale solo era degno di Lui, abbia nel medesimo istante condizionato le leggi di questa natura fisica, a scopi di moralità librati nella sua eterna saggezza, questo, mi pare, non implica ombra di contraddizione veruna. O che, la natura materiale è fine a sè stessa? E quel Dio che ha potuto creare l' immensa costellazione dei mondi mentre non erano, prescrivere quelle leggi meravigliose che la tenebra dell' ignoto ancora in tanta parte ci asconde, non potè collo stesso fiat *imporre ad esse un corso variato dall' intreccio di arcane e non giudicabili finalità? E sostenere tale impotenza si chiama avere un concetto di Dio più alto, più intellettuale?*

Ma io voglio scendere ancora la scala delle concessioni; voglio ammettere che le leggi di natura siano al tutto immutabili, o per la volontà medesima di Dio che a principio non ha posto loro nessuna eccezione, o per l' intrinseco nesso che le stringa all'essenza delle cose e le innalzi quasi a toccare il grado di leggi metafisiche. Voglio concedere pertanto, che, ad esempio, la legge di gravità sia immutabile, o perchè Iddio creando i corpi ha voluto che si attirassero con questa legge costante senza eccezioni di sorta, o perchè forse è tanto inerente alla natura dei corpi lo attirarsi, che, data l' esistenza di essi, sia assurdo che non s' attirino. Fatta questa concessione, sostengo e dico che il miracolo può ancora avvenire senza toccare di un punto, senza alterare di un apice, l' immutabilità delle leggi di natura ch' io non sono molto lontano dal credere vera. Ritengo anzi che questo sia un modo più conveniente di concepire il miracolo che non il modo comune

ordinem intelligimus entium subordinationem et relationem non solum ad invicem, sed etiam ad primum principium: unde quidquid ab hac entium hierarchizatione recedit, ab ordine recedit, et exinde fit inordinatio; hinc est, et hoc etiam ab adversariis conceditur, quod mala physica sint vera deordinatio. Attamen quamvis hi concedant mala physica esse deordinationem, nihilominus quando affirmant miracula ordinem perturbare, jam ordinis notionem haud perspectam habere aperte ostendunt. Quare contra ipsos affirmamus miracula non solum non esse deordinationem; verum etiam esse causam efficientem ordinis, ita ut si quae deordinatio habeatur, non in re habetur, sed tantum in mente eorum, qui omni nisu conantur ordinem supernaturalem excludere.

---

secondo il quale viene ad essere un'alterazione o un sovvertimento di leggi. Amo meglio che le leggi rimangano rispettate, e che sia questione di fatti, non di principii. Io mi restringo a chiedere semplicemente: Perchè un corpo non cada al basso, o perchè invece di cadere al basso si sollevi in alto, è necessario che si muti o si sospenda la legge di gravità? Neppure per sogno, ed è un fatto che osserviamo tutti i giorni nel volo degli uccelli, nell' innalzamento degli arcostati, nel sollevamento, comunque avvenga, dei pesi. In generale basta che una forza qualsiasi si contrapponga alla gravità e ne elida l' effetto. Nei casi citati e ordinarii si tratta d' una forza materiale: la spinta all' insù dell'atmosfera, lo sforzo delle penne combinato colla resistenza dell'aria, l' impulso, ecc. Se nessuna di queste, o delle altre forze fisiche si trovasse impegnata e il corpo si alzasse ugualmente in alto, allora si avrebbe il miracolo ma non sarebbe da dire che la legge di gravità è sospesa, sibbene ch' è intervenuta una forza straordinaria, la quale, pur sfuggendo ai sensi, si contrappone alla gravità e la vince. Ecco avvenuto il miracolo pur rimanendo intatte le leggi della natura fisica. Dove si pescherà più qui la contraddizione? Nell' ammettere l'esistenza d' una forza spirituale inaccessibile ai sensi? Ma parliamo con gente che pretende avere di Dio un' idea molto elevata; e Dio, la forza per eccellenza, la causa infinita che ha prodotto dal nulla tutto l' universo, Dio è un puro spirito. *Nell'ammetterne l' intervento in grembo alla natura? Ma Dio che ha creato il mondo lo sostiene continuamente coll'atto creativo senza del quale la natura tutta ripiomberebbe nel suo nulla, e inoltre, come s' è già osservato, non si tratta di grossolani pentimenti o intrusioni posteriori, ma di azioni, sì della natura materiale che della natura spirituale, prevedute e volute tutte all' atto primo del creare senza alcuna omissione possibile.*

Et merito si mala physica sunt vera deordinatio, quonam pacto deordinationis dici poterit causa, qui mala repellit? Si ordo sit inferiorum entium a supremo subordinatio, certe nulla deordinatio habetur quod supremus rerum auctor absolutum dominium exerceat supra entia inferiora, etiamsi agat independenter a causis secundis; hujusmodi enim dominii supremi exercitium verificatur in miraculorum patratione.

Haud ulterius hanc prosequimur difficultatem, quam jam supra, indirecte saltem, refutavimus. Ceterum etiam hic non habemus sibi coherentes adversarios; quidam enim ex ipsis dicunt miracula esse *mentis reflexae effectum;* alii vero affirmant miracula esse *mentis mobilissimae* consectarium. Jamvero haec ipsorum discrepantia sufficiat ut dignoscamus quanti sint difficultates ipsae faciendae.

195) Hactenus vidimus quid philosophi rationalistae sentiant de miraculorum possibilitate, eorumque argumenta, summatim relata,[1] conati sumus pro viribus refutare.

Modo accedimus ad difficultates, quae scientificae appellantur, quaeque ex meccanica mundi constitutione desumuntur.

196) Miracula, affirmant ipsi, sunt effectus qui non continentur in virium naturalium evolutione, sed originem habent a quibusdam motibus, quorum causa est naturae extrinseca. Jamvero omnes motus naturales neque creantur neque annihilantur. Miracula ergo scientifice sunt impossibilia.

197) Principium quod adstruitur falsum esse a philosophia percepimus, nullum enim unquam audivimus motum

---

[1] Cf. M. Littré, *Un fragment de médecine retrospective,* apud ephemeridem *Philosophie positive* Jul. Aug. 1869; Édouard Féraud, *Le grand Dieu et les petits dieux,* p. 416; P. Guilly, *La nature et la morale,* p. 134; Jules Labbé, *La conscience,* p. 286; Lúcien Lenglet, *L'homme et sa destinée,* p. 498; Leon Richer, *Lettres d'un libre penseur,* 2ª série, p. 26; Duchassaing, *La religion rationnelle,* p. 344; Viardot, *Libre examen,* p. 34; A. Weill, *Vérités absolues,* p. 106; Franc. Bonavino, *Il razionalismo*; etc.

naturalem esse increatum; quod si quis, id affirmare contendat, hoc ipso ostendit se phoenomena, considerare non attenta eorum essentia, sed attentis actualibus mundi conditionibus. Quis enim ignorat motum naturalem contingentem esse, proinde non solum creatum esse, immo posse etiam annihilari?

Porro si consideremus phoenomena, quae quotidie eveniunt, videmus plurima producta esse ab hominum actione; aliis verbis homo plurium effectuum physicorum est causa efficiens, si non totalis, saltem partialis. Modo vel homo in suis operationibus externis producit aliquam partem motus, vel productio phoenomeni physici, quod dependet a causa extranea a serie causarum physicarum, non exigit productionem novi motus. Utraque hypotesis aeque favet miraculorum possibilitati.

Et sane homo in quibusdam effectibus, quamvis non integrum producat motum, aliae enim concurrunt causae efficientes eaeque cooperantes, aliquam tamen partem motus producit, idque experientia quotidiana aperte testatur.

Nihilominus mensuram hujusmodi motus ab homine producti ignoramus; tantum scimus vel parvam motus quantitatem sufficere ut reliquas causas aut vires efficientes ad effectum producendum determinet; ut ecce mollae pressio sufficit ut motum grandium virium determinet. Exinde apparet quod haec minima motus quantitas reapse producitur a principio vivente, immateriali, et quod proinde cadit opinio illorum qui nullum motum creari arbitrantur.

198) Venio nunc ad alteram hypothesis partem. Sicut aliquando homo novum producit motum, ita saepissime, licet exerceat realem actionem supra plurima phoenomena physica, nullum tamen novum producit motum; aliis verbis saepe homo in plurimis effectibus non *productivam* sed *directricem* vim exercet.

Res adeo evidens est ut probatione non indigeat; quotidie enim videmus per hominem virium creatarum cumulum inordinatum ad unitatem motus redigi, viresque omnes, postquam secundum ordinem, qui ab hominis intellectu et voluntate pendet, compositae fuere sibi ipsis relictas,

nova admodum ratione agere. Certe homo hisce in casibus nullum novum producit motum, sed tantum motus praeexistentis directionem mutat.[1]

Jamvero ex hac etiam parte cadit adversariorum difficultas. Et merito; si homo potest vires naturales coordinare, iisque directionem novam imprimere, unde effectus oriuntur miri, multo magis Deus potest exercere vim directricem supra omnes vires creatas, idest miracula facere.

Igitur sive agatur de novi motus productione, sive agatur de motus modificatione, semper remanet Deum posse miracula facere.

Animadvertimus tamen hanc demonstrationem vim habere in hypothesi quod Deus velit inviolabiliter servare de conservatione virium principium.

Ceterum hoc principium non est *absolutum,* sed *contingens*, uti contingens est materia; potest proinde Deus huic derogare principio.

199) Denique notetur quod certissimum est reapse miracula non contineri in legum naturalium evolutione, in hoc enim consistit miraculorum ratio formalis, nempe quod sint extra ordinem totius naturae creatae, praesupponunt proinde causam supernaturalem, quam Rationalistae impugnant, quaeque nullo pacto continetur in virium naturalium evolutione.

200) Exinde deducimus quanti facienda sint verba eorum, qui affirmant negationem ordinis supernaturalis evenisse dogma absolutum pro omnibus scientia praestantibus, cum mundus appareat evolutio quaedam in se suas habens effectuum causas.

Priores affirmant miracula non contineri in legum naturalium evolutione, et nos, in hoc tantum illis assentimus, licet tamen ad conclusionem contrariam deveniamus; illi enim ex hoc quod miracula non continentur in legum naturalium evolutione negant ipsorum possibilitatem, nos e contra affirmamus miracula ex hoc unice probari possibilia,

---

[1] Seguin, *Corrélation des forces physiques.*

quatenus est ad superiorem causam, nempe ad Deum, assurgendum. Alii dicunt omnes effectus oriri ab evolutione mundi, qui vim effectivam prope infinitam habet.

At ne praeveniamus quae infra dicenda erunt de miraculorum cognoscibilitate, neque denuo referamus quae jam exposuimus superius (n. n. 190 et seqq.) hoc unum dicimus, quod scilicet, verba Rénan legentibus hoc persuasum erit ipsum per verborum ambages omni nisu adlaborare ut miraculorum possibilitatem deneget, quin tamen nihil novi et sensati proferat.

Concludimus igitur evidentiam miraculorum adeo vexare adversariorum ingenium, ut nesciant amplius quid sibi sit opponendum in miraculorum exclusionem; quo fit ut saepissime inter se dissidentes sibi ipsis applicari scripturae [1] verba patiuntur: *Evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum.*

§ III. — Miraculorum cognoscibilitas.

201) Status quaestionis. — Licet quamplurimi Rationalistae miraculorum possibilitatem admittant, nihilominus alio confugiunt ut denegent miracula; nempe dicunt nunquam demonstrata fuisse, omniaque facta extraordinaria esse per causas naturales, nobis tamen occultas, explicanda,[2] eaque non posse a diabolicis operibus distingui.

Verum ut hanc quaestionem penitus persolvamus, debemus praemonere duplicem esse in se miraculorum cognoscibilitatem; idest *cognoscibilitas facti* seu *veritas historica* miraculi, et *cognoscibilitas de natura* facti ipsius. Aliis verbis possumus quaerere 1°) utrum reapse factum contigerit, ex. g. quod Lazarus resurrexerit, vel potius quod fuerit inanis quaedam illusio aut fabula; 2°) utrum supposita

---

[1] *Rom.* I, v. 21.

[2] Cf. Rénan, *Vie de Jésus,* Introduction; Lecky, *History of European morarls,* New-York, 1884, c. 3, p. 347; Hume, *Supernatural Religion,* vol. I, p. 77 sq.; etc.

historica veritate facti, ipsum factum sit revera supernaturale, scilicet excedens ordinem totius naturae creatae, vel potius sit a causa naturali, ut ecce ab hypnotismo, hysterismo, magnetismo, vel alia quacumque causa creata derivandum.

Porro veritas facti dupliciter nobis innotescit, nempe vel *evidentia auctoritatis*, si de facto alii testimonium perhibeant; vel *auctoritate evidentiae*, si factum homines suis viderint oculis. Veritas autem philosophica miraculi per *rationem* innotescit, si factum ostendatur excedere omnes vires creatae naturae.

202) Certe hic non est nobis agendum praecipue de miraculo, ut est factum historicum, quia cognosci potest eodem modo, quo cetera facta historica innotescunt; agimus proinde hic praesertim de veritate *philosophica*, idest de caracteribus quibus facta insigniri debent, ut possit recte dijudicari de ipsorum natura, et quomodo haec sint ab omni effectu agentium naturalium distinguenda.

203) Errores. — Cognoscibilitas miraculorum impugnatur ab omnibus iis 1°) qui, ducibus Strauss[1], Lessing, et Gibbon, affirmant miracula esse *mythum* confictum ad ideas sub facti imaginarii concreta quadam forma vulgandas; 2°) ab iis qui cum Rénan, Havet, aliisque scepticis Rationalistis de omnibus eventis dubitant; et qui aperte cum Laurentio Moshemio,[2] Rousseau[3] denegant miraculorum existentiam.[4]

Omnes hos, qui cognoscibilitatem miraculi, quatenus est factum historicum, non admittunt, excipiunt Rationalistae illi, qui vel 1°) affirmant naturae vires quasdam latentes

---

[1] *Leben Jesu.* Hisce accedunt Adulphus Harnack in opere *Lehrbuch der Dogmengesch,* I, ed. 2, p. 59, nota 2, et Woolston; Hume; Bretschneider.

[2] *De rebus Christianorum ante Constantinum.*

[3] *Vita di G. Cristo.*

[4] C. Hume's Works, ed. 1770, vol. III, p. 178; *Supernatural Religion,* vol. I, p. 77 sq. (Vide etiam confutationem factam a G. Campbell, *A dissertation on Miracles*).

haberi, ut omnes hi effectus miri sint per virium ignotarum influxum explicandi; vel 2°) qui omnes hos effectus conantur explicare, veluti a *vi magnetica,* vel ab *hypnotismo,* vel a *suggestione,* vel ab *allucinatione* derivatos, vel ab alia demum quacumque *forma* nervosi morbi. Hanc opinionem, quam plurimi ex recentioribus phisiologis acerrime tuentur, nuperrime suam fecit Prof. Bonfigli, qui in ephemeride *Rivista d'Italia* (ann. 1901, m. Aprile) edidit dissertationem cui titulus: *Santi e Malati.*

Hisce Rationalistis, indirecte saltem, assentiunt doctor Ferrand et P. Coconnier, O. P.,[1] qui arbitrantur *stigmata* esse suggestionis consectarium.

3°) Pariter negant cognoscibilitatem miraculorum, qui ea vel cum Bentham eodem censu habent ac opera magica et incantationes, vel qui cum Larroque ea confundunt cum daemoniorum praestigiis.

204) Doctrina catholica. — Quid autem a catholicis tenendum sit, jam definitum habemus per verba Concilii Vaticani, Sess. III *de fide,* can. 4 (Denz. n. 1660): *Si quis dixerit miracula nulla fieri posse, proinde omnes de iis narrationes inter fabulas vel mythos ablegandas esse, aut miracula certo cognosci nunquam posse....* A. S.

Hisce verbis innixi statuimus thesim.

205) Propositio VII. — *Miracula, ut sunt factum historicum et sensibile, testimonio humano transmitti possunt, ut aliis quoque, qui ipsis non interfuerunt, de iis et de eorum causa certo constet; itemque, ut sunt effectus divini, cognosci et distingui possunt ab effectibus naturalibus et a daemoniorum praestigiis.*

206) Praenotanda. — In prima parte theseos, ut excludamus opinionem eorum qui vel inter mythos miracula reponunt, vel de ipsis dubitant, vel ea absolute denegant, ostendimus ea esse factum historicum, quod saltem gaudet *evidentia auctoritatis,* et consequenter tanquam verum habendum esse.

---

[1] P. Coconnier, *L'hypnotisme franc,* 1897. Cf. etiam Paulum Mantegazza, *Le estasi umane.*

In altera vero parte defendimus miracula non posse causae naturali, quaecumque haec sit, tribui et proinde optime a phoenomenibus naturalibus distingui.

Nomine autem causae naturalis, hic intelligimus etiam virtutem diabolicam, quamvis haec magis proprie debeat *virtus praeternaturalis* appellari.

207) Probatur I pars. — *Miracula, ut sunt factum historicum et sensibile, testimonio humano transmitti possunt.*

Ut ad hanc deveniamus conclusionem, debemus in primis statuere quid ponderis habeat in nostra quaestione opinio quae *mythismum* audit. Haec autem opinio elementum supernaturale omnino respuit et consequenter miraculi possibilitatem, quam nos jam superius (n. 164 et seqq.) in tuto collocavimus. Mythicos *legendarias* narrationes cum historicis factis confundere nemo non videt; priores enim narrationes praeseferunt temporum locorumque ambiguitatem, ita ut possint omnibus aetatibus locisque aptari; miraculorum vero narrationes circumstantias locorum et temporum determinatas offerunt. Plurima insuper alia elementa invenimus in *legendis* ut ecce *inefficaciam demonstrationis* et *vim nullam* ut homines a vitiis revocent; e contra miracula hominem ad *veritatis cognitionem* et *vitae rectitudinem* adducunt.

208) Neque dicatur Patres aliquando *allegorice* miracula interpretatos esse; quia licet hoc verum sit, tamen prae oculis habendum est ipsos non convertisse conclusiones morales in facta, sed a factis morales deduxisse conclusiones. Ad rem optime conferunt quae egregie notat S. Gregorius Magnus: *In verbis sacri eloquii, fratres carissimi, prius servanda est veritas historiae, et postmodum requirenda spiritualis intelligentia allegoriae. Tunc namque allegoriae fructus suaviter carpitur, cum prius per historiam in veritatis radice solidatur.*

209) Hisce positis dicimus miracula cognosci posse ut *facta historice certa;* omnia enim miracula possunt cognosci vel quatenus sunt *factum praesens*, quae possunt sensibus spectari; vel quatenus sunt *factum praeteritum*, quae ab aliis ad alios narrantur.

a) Si consideremus miracula ut sunt *factum praesens*, evidens est dari de ipsis certitudinem, tum quia sunt signum sensibile, tum quia secus corrueret omnis naturalis certitudo, si ipsa empirica certitudo non admitteretur; possunt enim miracula, non secus ac quaelibet alia facta, observationi supponi. E. g. quod Titius coecus sit et quod absque ulla medicina naturali idem visum recipiat, sunt duo facta quae possunt ab omnibus per sensus observari.

210) Exinde patet quid censendum sit de opinione illorum, qui autumant miracula non posse observari, praecise quia sunt facta supernaturalia, miracula enim ideo sunt supernaturalia, quatenus *motus* idest *causa* et *modus* quo fiunt, naturae ordinem excedunt, non autem quatenus sunt factum sensibile; factum enim *in se* non est supernaturale, neque sensuum observationem effugit. Merito proinde in omnibus miraculis ponuntur tria elementa, duo sensibilia nempe factum antecedens, scilicet morbi existentia, et factum consequens, idest sanatio, et elementum suprasensibile, nempe *motus* unde factum consequens derivatur.[1]

Proinde, ut miraculum historice constet, satis est haec tria percipere: 1°) hominem de quo agitur revera antea coecum fuisse, 2°) eumdem visum recuperasse, et 3°) quidem subito et absque ulla medicina.

211) *b)* Sin autem agatur de miraculis, ut sunt *factum praeteritum*, nulla pariter difficultate humano testimonio transmitti possunt.[2] Et sane semel admissa miracula ut facta historica, eâdem prorsus ratione ac ceteri eventus vel

---

[1] Cf. MONSABRÈ, op. cit. vol. III, p. 46 sq.; CROSTA, op. cit. p. 63. CINTI, *Hist. Eccl.*, tom. I, p. 225 sq.

[2] Ad rem scribit LÉPICIER (*Del miracolo*, p. 147): *Come fatto, il miracolo appartiene al dominio della storia, e quindi deve essere giudicato con quelli stessi mezzi con i quali si giudicano i fatti storici. Non potendo noi stessi essere testimoni di fatti avvenuti centinaie di anni addietro, siamo costretti a rimetterci alla testimonianza di coloro i quali hanno veduto il fatto cogli occhi proprii, od almeno ne hanno sentito la relazione da testimoni fededegni. L'esigere testimonianze maggiori per ciò solo che il fatto appartiene all'ordine sopranaturale, è lo stesso come precludere la via al conoscimento di esso, poichè un fatto sopranaturale, in quanto che fatto, non può venire autenticato altrimenti che i fatti naturali.*

physici vel historici, qui per alios referuntur, propagantur; dummodo humanum testimonium debitas praeseferat conditiones.

Conditiones autem quibus humanum testimonium fulciri debet, hae sunt, scilicet: 1°) quod plures sint testes eventus, ut erroris, hallucinationisve periculum praecaveatur; 2°) quod testes sint praediti facultate percipiendi facta et de iisdem recte judicandi; 3°) sint probitate et veracitate praestantes; 4°) quod de facto sensibili unanime ferant testimonium, neque ullo praejudicio moveantur; 5°) quod denique factum sit eorum captui accomodatum et gravis momenti.

Jamvero si hae conditiones sufficiant ut habeatur testis idoneus in eventibus humanis referendis, idem dicendum est de miraculis; quia ipse tenetur non ad ferendum de indole eventus sensibilis judicium; sed unice ad recte de eventus sensibilis existentiâ testandum.

Igitur si quis id neget, etiam ipsam rationem diffiteatur et totam subruat historiam necesse est. Palmare enim principium est *veram sanis sensibus* hauriri factorum notitiam, eamque per *testes plures probosque certam* haberi. Jamvero hisce servatis non licet aut errorem, aut fraudem, aut mendacium, nisi concussâ *cognitionum sensibilium* certitudine, et submotâ *humani testimonii* auctoritate, suspicari.

212) Quare immerito Holback[1] contendit facta supernaturalia, quo facilius credantur, requirere multo plures testes, quam quod requirat aliud factum quodcumque, quod nihil a veritate absonum praeseferat; quia cum miracula extra ordinem naturae producantur, magis intuentium attentionem excitant et audientium inquisitionem provocant; quo fit ut aptius humano testimonio propagentur et certius cognoscantur quam ceteri eventus sensibiles; simulque pauci admodum testes sufficiant, cum hi, attenta diligentiore inquisitione, facilius possint vel de mendacio vel de nimia credulitate forte argui.

---

[1] *Le Christianisme dévoilé*, p. 68.

213) Neque ad valorem testimonii humani convellendum, cum HUME[1], opponatur facilius esse mille testes errare aut decipere, quam factum legibus naturae repugnans existere, primumque moraliter tantum impossibile et experientiae contrarium esse; quia: 1°) haec difficultas nihil probat cum nimis probet; pari enim ratione negandum esset etiam factum, quod oculis nostris vidimus et manus nostrae contrectaverunt, hac unice de causa quod est repugnans experientiae; 2°) quia falso supponit solâ experientiâ nobis constare quod homines vera dicunt; scimus enim alia haberi indicia veritatis exurgentia *ex humana indole, testium multitudine, testimonii consensu,* quibus certi sumus testes verum dicere voluisse, nec falsum dicere potuïsse, ita ut falsitas non deprehendatur; 3°) quia, et hoc jam superius ostendimus (n. 190, nota 2ª), miracula non sunt experientiae contraria, neque physice repugnant, sive quia legum item servatur constantia, sive quia causae naturales in iisdem circumstantiis semper eosdem producunt effectus, nisi tamen superior causa interveniat.

214) Hisce rationibus HUME non acquiescens addit: *In omni miraculo contra unum testem mille insurgunt; sic e. g. si unus testetur mortuum resuscitatum esse, milleni testes affirmant mortuos ad vitam non redire.*

Haec autem difficultas aliquid ponderis haberet, si reapse haberetur vera contradictio testimoniorum circa unum idemque obiectum, nempe *de eodem secundum idem;* sed hoc non verificatur in miraculis. Quando agitur de veritate historica miraculi, id quod testes affirmant non est certe ex. gr. mortuos ad vitam *naturaliter* revocatos fuisse, sed exceptionem inductam esse contra hanc regulam, qua mortui *naturaliter* resurgere prohibentur; proinde milleni testes hoc tantum negare possunt, idest mortuos *naturaliter* non resurgere; non vero possunt vim detrahere testimonio *moraliter* evidenti, quod asserit per miraculum mortuum resurrexisse, quod factum utique contradicit non testimonio

[1] *Loc. cit.*

millenorum hominum, sed facto alteri *physice* evidenti, de mortuis qui naturaliter non resurgunt.[1]

215) Contra eos autem qui contendunt miracula a spectatoribus certo cognita, non posse a posteris certo cognosci, quia successu temporis ipsorum minuitur certitudo[2], animadvertimus eadem necessitate teneri omnes eventus historicos; unde exurgeret quod de praeteritis temporibus nihil certi sciri, quod in dubium non revocetur.

216) Insuper frustra requirunt adversarii quod testes prodigiorum sint naturalis scientiae et criticae historicae periti; quia cum agatur de factis quibus certissime percipiendis sufficiunt sensus et nativa vis ratiocinandi, nihil aliud requiritur quam harum conditionum praesentia. Immo aliquando fit quod simplex villicus aptior sit ad ferendum judicium de facto sensibili, quam vir doctus; scimus enim per studium non perfici sensus, praesertim visum, cum e contra facta, ut sunt sensibilia, nonnisi sensuum ministerio cognosci possint.[3]

217) Concludimus ergo miracula, ut sunt factum historicum sive praesens sive praeteritum, humano testimonio non solum transmitti posse; immo etiam *quoad causam* certo cognita esse.

Et sane, cum principium indubium sit esse ad causam supernaturalem referenda illa facta, quibus efficiendis vires naturalium causarum impares manifeste apparent quoties ita res se habent, non licet opinari hallucinatos esse eos qui ita judicaverint, nisi velimus humanam mentem supponere ineptam sapientiae sibi comparandae per legitimas ratiocinationes. Porro in miraculis haec duo prostant: 1°) *facta notabilia* obiecta sanis sensibus plurium testium, qui ea retulerunt, gravitate et probitate pollentium; 2°) *factorum indoles* qua illa, vel in *se spectata,* vel ratione *modi*

---

[1] Cf. TANQUEREY, *op. cit.*, p. 98; J. H. NEWMAN, *Grammar of Assent,* London 1874, p. 306-307; CROSTA, *op. cit.*, p. 64; WILMERS, *op. cit.*, p. 143; DE BONNIOT, *op. cit.*, p. 78.

[2] BRETSCHNEIDER, Dogm. I, § 26, 6.

[3] Cf. LÉPICIER, *op. cit.*, p. 150.

quo evenerunt, evidenter excedunt vires causarum naturalium; quare merito cogimur ad altioris causae cognitionem devenire.

Qui igitur errorem in illis factis percipiendis, ut mihi sint verba clarissimi Cinti[1], *fraudem vel mendacium in iisdem patrandis aut referendis pertinaciter arguunt, hi nec sensus nec homines ullos veraces habent. Qui praeterea hallucinationis insimulant judicium quo mens necessario* ASSURGIT AD SUPERNATURALEM EORUMDEM CAUSAM, *naturali deficiente, hi profecto nullas fere rationis conclusiones tutas firmasque relinquunt. Vix enim est in empiricis cognitionibus illatio evidentiori ratiocinatione deducta.*

218) PROBATUR II PARS. — *Miracula ut sunt effectus divini, cognosci et distingui possunt ab effectibus naturalibus et a daemoniorum praestigiis.*

Ut certo constet de veritate philosophica miraculorum, debemus perspectas habere duas veri miraculi proprietates, nempe 1°) in re esse contrariam dispositionem secundum naturam ad effectum, 2°) solum Deum esse causam facti illius.

Certe prior proprietas facillime ab omnibus intueri potest, nam, experientiâ duce, videre possumus in hoc vel illo facto contrariam adesse, secundum naturam, dispositionem; nemo enim ignorat ex. gr. cadaver non esse idoneum subiectum vitae.[2]

---

[1] Cf. *Hist. Eccles.* vol. I. Hujus historiae auctor reputatissimus fuit ALEXANDER CAN. CINTI, vir doctrina optime excellens, pietate humilitateque insignis, qui licet quamplurima in Ecclesiae bonum et opera et scripta utilissima contulisset, maluit nesciri et pro nihilo reputari. Dolendum tamen est ipsum florente adhuc aetate e vivis sublatum fuisse anno 1898 die 24 decembris, quo factum est ut ejus Historia critica Ecclesiae Catholicae elocubranda suscepta, interrupta remanserit. Nihilominus dissertationes, quae supersunt, monumentum stant de vastitate doctrinae una cum rerum novarum cognitione conjunctâ, qua Professor Cinti eminebat, quem aliquando praeceptorem institutoremque habuisse, nonnumquam gloriabor.

[2] Hujusmodi argumentum optime exponit DE BONNIOT (*op. cit.* p. 77): « Que faut-il, inquit, pour que l'on puisse affirmer avec certitude que

Verum major difficultas habetur quando debet causa effectus determinari. Quoniam *directe* id probare non possumus, cum argumentum directum faciat tantum pro Catholicis, qui sincere credunt Deum posse miracula operari, quique facta mira non conantur explicare per recursum ad causas naturales, nos utemur argumento *exclusionis*, ostendentes nempe miracula non esse effectum causae vel naturalis vel diabolicae, proinde esse a Deo producta; trademus postea criteria, quibus facili ratione miracula possunt a naturalibus phoenomenibus et a diabolicis praestigiis dignosci.

219) A) *Miracula non sunt effectus vis cujusdam in natura latentis.* Vires naturae non sufficienter cognoscimus, dicunt adversarii, ut possimus determinare quousque se extendat earum efficacia. Unde fit quod de omnibus operibus mirabilibus semper rationabiliter dubitari possit utrum haec sint per vires naturae producta.[1]

---

le fait est surnaturel? Il faut que l'on sache d'une manière certaine que la succession n'est pas conforme à la succession naturelle des phénomènes. Qu'un clairvoyant devienne aveugle, voilà une succession toute naturelle, car les organes d'un être vivant sont condamnés à la *corruption* par leur nature, pour nous servire du langage de l'École; mais qu'un aveugle devienne clairvoyant, lorsque ses organes de vision sont détruits, c'est là une succession qui n'est point conforme à la nature; car il n'y a pas dans la nature d'agent qui régénère des yeux détruits. Or, si l'ordre de succession naturelle des phénomènes n'est pas connu de nous dans tous ses points, il est bien certain que nous en connaissons plusieurs détails d'une manière indubitable. Nous savons bien, par exemple, que la mort suit naturellement la vie dans une personne, et que la vie ne suit jamais naturellement la mort dans cette même personne. Il est donc facile, en plusieurs cas, de constater avec certitude si un fait est miraculeux ou ne l'est pas; très souvent on n'a pas besoin d'autres connaissances que celles dont la possession constitue le sens commun. »

[1] Cf. A. De Rochas, *Les forces non définies;* Charbonnier, *Maladies et facultés diverses des mystiques;* Richet, *La suggestion mentale et le calcul des probabilités.* Hic postremus scribit in Ephemeride *Revue scientifique* (29 oct. 1887): Lunae et solis eclipses miracula putabantur, modo autem factae sunt eventus certissimi et per scientiam humanam maxime praevidibiles. Nemo amplius contendit eclypses esse a daemone

Occultas quidem vires inveniri nondum detectas, ignotosque pariter esse cognitarum virium limites ultro concedimus. Verum in primis notamus 1°) quod, ad dignoscendam causam, quae operata est miraculum, exigi non potest ut *positive* cognoscatur quousque naturae universae vires se extendant, cum sufficiat dignoscere quaenam *causae naturales* de facto et quonam *modo* operandi interfuerint, quaeque in casu minime observatae fuerint; 2°) quod etsi non cognoscamus *positive* omnes naturae vires, eas tamen *negative* cognoscimus et *practice*, quatenus omnibus attentis personarum, locorum, temporisve circumstantiis, possumus certo deprehendere utrum proportio habeatur an non inter media adhibita et effectus productos. E. g. licet non cognoscamus omnes vires naturae, illud tamen verissimum est, nullâ creatâ vi, cadaveri post quatriduum jam foetenti vitam reddi posse; neque sine ulla rerum aut artium ope, sed solo nutu et verborum imperio morbos illico depelli.

Haec obiectio proinde, concludit Pesch (*Theol. dogm.*, tom. I, p. 109) *pugnat cum cotidiana nostra experientia. Saepe enim accidit, ut confinia diversarum rerum non possimus exacte distinguere, quamvis res ipsas optime distinguamus. Ita in spectro, quod vocant optico, non possumus determinate dicere, ubi unus color desinat et alius incipiat; nihilominus nemo negaverit nos omnino diversos colores posse cum certitudine distinguere. Similiter theoretica illa quaestio, quid absolute naturae vires possint et quid non possint, saepe non potest accurate definiri, sed nihilominus sunt res,*

---

productas, quia miraculum idem sonabat pro antiquis ac lex naturae neque determinata, neque cognita, unde fiebat quod omnia facta hujusmodi daemonis interventioni tribuerentur.

Verum quam inepta sit haec Richet opinio facile deprehenditur; quia licet verum sit aliquando homines vel ignorantia laborantes, vel nimium credulos, tribuisse causae supernaturali omnia facta, de quibus nesciebant sibi ipsis rationem reddere; nihilominus haud minus a veritate absonum est affirmare plurima facta haberi, quae nulla prorsus ratione possunt causae naturali latenti tribui.

quas omnino cognoscimus vires naturae trascendere.... Quare mirum non est, quod Rationalistae practice se ipsos refutant, quia in communi vita agunt ut homines omnino certi de legibus naturae, quamvis eas nequaquam omnes positive noverint. Quo enim venirent, si vellent semper dubitare, an non fortasse vires hactenus ignotae subito totum consuetum ordinem inverterent?

Ex dictis igitur patet miracula non posse explicari tanquam effectus ex virium ignotarum actione exurgentes.

220) B) *Miracula non sunt effectus neque magnetismi neque spiritismi, neque hypnotismi.*[1] Quidam ex analogiâ quae intercedit inter facta quaedam mirabilia et miracula, haec cum iis confundunt, rati etiam haec esse causae vel magnetïcae, vel spiriticae, vel hypnoticae tribuenda.

Sed quantum differant phoenomena magnetica, spiritica et hypnotica a veris miraculis ex dicendis patebit.

---

[1] Cf. Lapponi, *Ipnotismo e Spiritismo*, 1897; Baréty, *Le magnétisme animal*, 1890; Bernheim, *Hypnotisme, suggestion, psycothérapie;* Binet et Féré, *Revue philosoph.*, n. 1–3, 1885; Campili G., *Il grande ipnotismo*, 1896; Charcot, *Hypnotisme;* Cullerre, *Magnétisme et Hypnotisme*, 1895; Fontan et Ségard, *Hypnotisme et Suggestion;* P. Franco S. I., *L'ipnotismo tornato di moda;* Gilles de La Tourrette, *Ipnotismo*, vers. ital.; Heindenhain, *Il così detto magnetismo animale*, Arch. med. ital. 1883, fascic. 4, 5; Luys, *Hypnotisme expérimental;* Maggiorani, *Influenza del magnetismo sulla vita animale;* Max Simon, *Le monde des rêves;* Ochorowicz, *La suggestion mental;* Yung E., *Le sommeil normal et pathologique;* Bandi di Vesme, *Storia dello Spiritismo;* Calmet, *Apparition des Esprits;* Crookes William, *The Spiritisme and sciences;* Déchambre, *La doctrine spirite;* Délanne, *Le spiritisme devant les sciences;* Fichte, *Der neuer Spiritualismus;* Gibier Paul, *Le Spiritisme ou Fakirisme occidental;* Metzger, *Ipnotismo e Spiritismo;* Hare Robert, *Experiment investig. of the spirit. manifestations;* Rossi de Justiniani, *Le spiritisme dans l'histoire;* De Renzis, *Supplemento mensile della Gazzetta degli Ospedali*, ann. VIII, n. 10, Ottob. 1887; Deleuze, *Histoire critique du magnétisme animal;* A. Wood, *What is Mesmerism;* W. Capron, *Modern Spiritualism;* Edmond and Dexter, *Spiritualism;* Allan Kardec, *Le livre des esprits, des médiums;* O. Brownson, *The Spirit Rapper;* Cinti, *Hist. crit. Eccl. cath.*, tom. I, p. 200 sqq.; Matignon, *La question du Surnaturel*, 3 p., c. 8; Perrone, *De virtute Religionis;* Home, *Lights*

221) 1°) *De phoenomenibus magneticis.* Magnetismus animalis ab Antonio Mesmer, medico Vindobonensi, qui floruit circa finem saeculi XVIII, inventus fuit: unde magnetismus etiam *Mesmerismi* nomen accepit.[1] Ipse novos quaerens curandi modos, animadvertit vim magneticam posse suppleri per *fluidum subtilissimum*, quod fluido magnetico simile est, quodque ex animalium corporibus dimanat, quin immo omnia prorsus corpora pervadet.

Phoenomena magnetismo adscripta triplicis generis sunt, nempe α) *convulsiones,* variique physiologici effectus, qui varii sunt pro diversa infirmorum conditione; β) *paralisis* et *catalepsis* qua membra rigescunt et sensibilitatem amittunt; γ) *somnus magneticus*, in quo magnetizatus, licet sit sensuum usu destitutus, audit, loquitur, res antea ignotas, immo etiam morbos occultiores, sive suos sive aliorum etsi longe absentium cognoscit, et simul indigitat remedia validiora quibus certissime sanentur. Hujusmodi phoeno-

---

and shadows of Spiritualism; Charcot, *Leçons sur les maladies du système nerveux;* Richet, *L'homme et l'intelligence;* Salis-Seewis S. J., *Le estasi, la medicina, la Chiesa;* Lègrand de Saille, *Les hystériques;* P. Richer, *Études cliniques sur la grande hystérie;* Méric, *Le merveilleux et la science;* Touroude, *L'hypnotisme;* Moutin, *Le nouvel hypnotisme;* Björnström, *Hypnotism;* Bernheim, *De la suggestion et de ses applications à la théraupetique;* A. Moll, *Der hypnotismus,* anglice redditum « *Hypnotism* », 1893; E. Morselli, *Il magnetismo animale, la fascinazione e gli stati ipnotici;* Lelong, *La vérité sur l'hypnotisme;* P. Coconnier, in period. *Révue Thomiste,* 1893–1896 p. 152 sq. ubi multa alia opera citata invenies; Imbert-Gourreyre, *L'hypnotisme et la Stigmatisation;* Monsabrè, *Introd. al dogma cattolico,* Conf. XVIV, XXV; Vizioli, *Del morbo ipnotico;* Lombroso, *Studi sull' ipnotismo;* Blanc, *La suggestion hypnotique est-elle licite;* Christian, *Que faut-il penser de la Télépathie;* H. Gayraud, *Suggestion mentale et télépathie;* Oscar Giacchi, *Sulle Telepatie e sulla Psicotelegrafia;* Gurney, Myers, Podmore, *Les hallucinations télépatiques;* Gutberlet, *Le spiritisme et l'hypnotisme;* Meric, *La crise religieuse et le monde invisible;* Surbled, *Pour et contre l'hypnotisme;* Thomas, *La suggestion, son rôle dans l'éducation;* Verriest, *Des bases physiologiques de la parole rytmée;* Civiltà Cattolica, anno 1898, p. 520 sq.; P. Pio Michele Rolfi, *La magia moderna,* etc.

[1] Hanc doctrinam suam fecerunt sacerdos Faria et Anglus Braid, et Puysegur.

mena vulgo *chiaroveggenza, doppia vista, capacità di predire il futuro* appellantur.

Porro plurima ex hisce phoenomenibus *fraudis* convicta sunt; alia vero tam incerta et adeo ad usum inepta patuerunt, ut a medicinae cultoribus derelicta, cesserint histrionibus et circulatoribus apud coecum vulgus exercenda cum ceteris fallaciis.

Denique omnia facta magnetica si non sunt fraudis consectarium, sunt absque dubio per hypnotismum explicanda, idque clarius patet per modum quo producuntur, nempe per *manuum gesticulationes,* per *lucida obiecta,* per *simplicem voluntatis nutum* interdum verbis expressum; unde evidens fit non posse miracula per vim magneticam explicari, cum a doctis viris judicium prolatum sit de censu quo facta magnetica habenda sunt.[1]

222) 2°) *De spiritismo.* Spiritismus modernus[2] ortum habuit in Statibus Foederatis Americae, in oppidulo sta-

---

[1] Doctrina Mesmerismi jampridem entusiastice recepta a Deslou praeside facultatis medicalis parisiensis, et ab ipso rege Aloysio XVI, statim ad trutinam vocata est a Bailly (Cf. ejus opus: *Rapport de la Commission chargée de l'essais du magnetisme animal*) et nomine scientiae rejecta est. Anno 1826 Academia Parisiensis, instante Foissac, doctis viris munus commisit qui diligentissime inquirerent in relationem Bailly, et anno 1831 horum doctorum conventus statuit plurima facta *somatica* et *psychica* magnetismo animali tributa constatari posse, licet sit recurrendum ad interpretationes haud satisfacientes. Ceterum monendum est congregationem in errorem fuisse adductam a fraude quorundam ex magnetizatis, unde factum est ut acciperentur tanquam vere a magnetismo exurgentia quaedam facta, quae evidentissime falsa erant. Sed novis factis instantibus eo ventum est ut anno 1840 Academia Parisiensis statuerit facta magnetica non esse amplius consideranda, quippe quae falsa et fallaciae admixta. Verum paulatim coeptum est distinguere facta magnetica in vera et falsa, haec nullius ponderis habita sunt, priora sunt hypnotismo tributa, ope praesertim Beard, Velpeau, Broca, Verneuil, Cloquet, Follin, Richet, Mesnet, Demarquay, Giraud-Teulon, Duval, Charcot, Bernheim, Liébeault, Liègeois, qui in hanc conclusionem devenerunt nempe ab *hypnotismo* non differre *mesmerismum,* neque *somnambulismum,* neque *catalepsim arte inductam,* neque *somnum nervosum,* neque *braidismum* (Cf. Lapponi, op. cit., p. 18 sq.).

[2] Dicimus *modernum,* quia hujusmodi phoenomenon praeternaturale nomine tantum recens est, siquidem re inde a remotissimis saeculis in-

tus Neo-Eboracensis cui nomen *Hydesville*. Ibi methodisticae religioni adscripta incolebat gens Fox viro et uxore et tribus filiabus constans, quarum altera Margarita nomine abhinc 15 annos nata, et tertia Catharina annorum duodecim cum parentibus simul vivebant, cum jam major ex tribus in matrimonium data, longe abiisset a paterna domo. In domo hac statim crepitus et rumores audiri coeperunt: quibus stupefactae puellae sed non deterritae, *spiritum* enim adesse putabant, postulaverunt ut distinctis ictibus suis postulationibus vellet respondere; quod quidem ita successit, ut paulo post *mediatrices* (medium) evaserint inter spiritus et personas, quae cum eis communicare vellent.

Exinde anno 1852 ex America spiritismus in Europam invectus fuit, et adeo increbuit ut duorum annorum spatio per totam Europam communis factus fuerit.

223) Haec de spiritismi origine; modo de ejus formis. Variae autem hae sunt. Aliquando enim spiritus responsa dant *mediantibus mensis rotantibus* (tavole giranti) sive *varios ictus* producendo, et sic habemus *spiritismum tiptologicum* et *media tiptologa*, aliquando autem per *signa graphica* ope medii vel styli producta, et sic habemus *spiritismum graphologicum;* aliquando habemus *spiritismum invasionis* (spiritismo dello invasamento) quum medium spiritu possidetur et veluti instrumentum mechanicum a spiritu agitatum efficitur; habemus insuper *spiritismum videns* (spiritismo veggente) cum spiritus non solum a mediis sed etiam ab adstantibus conspiciuntur; denique habemus *spirituum reincarnationem* (materializzazione o reincarnazione

---

valuisse constat, praesertim apud *Indos* et *Aegyptios*, et *Haebreos*, et *Graecos*, et veteres *Romanos*. Neque desunt spiritismi indicia apud *Barbaros* qui primis Ecclesiae saeculis et ipsa media aetate floruerunt; neque tandem *humanesimus* ab hujusmodi labe immunis evasit (Cf. DEUTERON. XVIII, 10–12; REG. lib. I, cap. XXVIII, 7–21; lib. IV. cap. XVII, 17; cap. XXI, 6; cap. XXIII, 24; MATTH., IX, 34; XII, 24; LUC., XI, 14–19; JACCOLLIOT, *La bible dans les Indes;* CANTÙ, *Storia Universale*, ed. VIII, Tor. 1856, tomo III, p. 744, 916–918; CHARLEVOIX, *Histoire de la nouvelle France;* LAPPONI, op. cit., 30 sq.).

degli spiriti) quando spiritus non solum conspiciendos sed et palpandos se praebent.

Haec autem phaenomena comitantur vel *mechanici effectus,* quibus gravia in altum levantur et suspensa manent, vel *luminosae coruscationes fulgoresque* subito apparentes, vel *strepitus,* imitantes ventorum sibilum aut aquarum mugitum, vel soni harmonici humanas voces pariter imitantes,[1] etc. etc.

---

[1] Cf. Lapponi, op. cit., p. 93 sqq. ubi minutissime describit phoenomena spiritica, intra quae ex iis quae *Fachiris* praecipua et usitatissima sunt, praeter spirituum incarnationem, sunt *vegetationis acceleratio* accensenda et *foliarum saltatio (danza delle folie).* En clarissimi auctoris verba, quibus haec phoenomena describit:

Ai Fachiri indiani è famigliare un' operazione spiritistica, che si chiama la *danza delle foglie.* Il Fachiro, invitato a quest' uopo in una casa, vi si presenta completamente nudo, e coperto appena, per riguardo al pudore, da un brano di stoffa nella parte inferiore dell'addome, tenendo in mano il suo bastone di bambù. Dopo i salamelecchi d' uso, prende posto, assumendo una posa ispirata, e borbottando delle parole magiche incomprensibili. Poscia infilza per la loro parte mediana un certo numero di foglie di fico, o di altra pianta, in altrettanti bastoncelli di bambù, fissati verticalmente in terra in vasi da fiori o altrimenti. Se si vuole, il Fachiro non prepara nulla da sè e non tocca nessuno degli accessori. Allorchè tutto è pronto, egli si asside in terra, con le mani distese innanzi, e a tal distanza dagli oggetti preparati, che un adulto può senza imbarazzo passare comodamente fra essi e il Fachiro. Dopo qualche istante gli spettatori avvertono una specie di brezza che loro accarezza il viso; e le foglie ben tosto cominciano a scendere e a salire, con rapidità maggiore o minore, lungo i bastoni che le attraversano. Tutto ciò avviene senza nessun contatto visibile tra l'operatore e gli oggetti che servono alla operazione....

Tra le operazioni mirabili, che i Fachiri indiani compiono e attribuiscono agli spiriti, è da ricordare l' acceleramento della vegetazione. Il Jaccolliot narra così ciò che egli ha veduto fare in pieno giorno da un Fachiro da lui incontrato per caso presso Benarés. — « Io credetti di sorprenderlo fortemente » — egli dice: — « allorchè al suo arrivo gli manifestai il mio desiderio di vedere il miracolo dell' immediato germoglio e del pronto sviluppo di un vegetale ». — « Io sono ai tuoi ordini », egli mi rispose con tutta semplicità. — Io fui un poco sconcertato da cotesta sicurezza; ma ripresi ben tosto: — « Mi lascerai tu scegliere la terra, il vaso e il seme, che tu vuoi far germogliare sotto i miei occhi? » — « Il vaso e il seme, sì; ma la terra deve essere

224) Haec summatim praecipua spiritismi phoenomena; at suntne cum miraculis confundenda? Antequam quaestionem solvamus, non erit inutile quaedam admonere circa existentiam horum effectuum.

Quidam nimis leviter rem considerantes in eam devenerunt conclusionem, quod scilicet haec phoenomena sint prorsus neganda et praestigiatorum arti tribuenda. Inter negantes plurimos invenimus scriptores sive medicos, sive

---

presa da un formicaio di *carias*, e finamente pestata ». — Io ingiunsi al mio domestico di provvedere la terra indicata, di prepararla secondo che il Fachiro aveva detto, e di portarmi un vaso da fiori con una manciata di semi di specie differenti. In meno di un quarto d'ora, il mio domestico era di ritorno, portando tutti gli oggetti domandati. Io presi questi oggetti dalle sue mani, e quindi lo rinviai, non volendo lasciarlo comunicare con il Fachiro. Presa dalle mie mani la terra entro il vaso, il Fachiro l'annaffiò lentamente con un poco di acqua, recitando non so quali sue preghiere. Poi mi pregò di consegnargli il seme da me scelto, e alcuni metri di una stoffa qualunque. Io presi a caso un seme di papavero, e chiesi il permesso di contrasegnarlo. Avuta una risposta affermativa, io intaccai leggermente la pellicola del seme, e lo consegnai con alcuni metri di mussolina bianca. — « Io ora mi addormenterò del sonno degli spiriti, mi disse il Fachiro; giurami di non toccare nè la mia persona, nè il vaso già preparato. » — Io promisi quanto mi veniva richiesto. Egli piantò allora il grano nella terra, che con l'acqua aveva ridotto allo stato di pulte; poi drizzando presso la sponda del vaso il suo bastone, vi stese sopra la mussolina che io gli aveva dato e con cui coprì intieramente tutto il vaso. Quindi si piegò con la persona in avanti; distese orizzontalmente le due braccia al di sopra di quanto aveva apparecchiato; e a poco a poco cadde in uno stato completo di catalessi. Passò oltre due ore in questo atteggiamento, senza che il più piccolo movimento o sussulto muscolare ne rivelasse la vita. Completamente nudo, col corpo lucente e annerito dal sole, con l' occhio aperto e fisso, il Fachiro rassomigliava a una statua di bronzo in una posa di mistica evocazione. Intanto io non lo aveva perduto di vista un solo momento. Dopo due lunghe ore di attesa, mentre il sole cominciava a lambire l'orizzonte, il Fachiro emise un leggero sospiro e ritornò alla vita. Mi accennò di avvicinarmi, e togliendo la mussolina che copriva il vaso, mi mostrò fresca e verde una giovine pianticella di papavero dell'altezza di circa 20 centimetri. Indovinando i miei dubbi, il Fachiro tolse dalla terra, che intanto era tornata quasi asciutta, la tenera pianticella, e su di una delle due pellicole che aderivano ancora alle radici mi mostrò l' in-

philosophos, ad id adductos ne ipsis laevitatis nota inferatur. Alii e contra omnia phoenomena spiritica indiscriminatim tanquam vera recipiunt, absque ullo praevio examine.[1]

Certe utraque opinio falsa deprehenditur; quia haec phoenomena nequeunt in dubium revocari quin omnium nationum doctis viris, cujuslibet scientiarum generi intentis, contradicamus, qui unanimiter consentiunt plurima facta spiritica reapse vera esse; cum ad hanc conclusionem devenerint non inconsulto, sed post innumera experimenta eaque accuratissima.[2]

Certum proinde est reapse phoenomena spiritica existere, neque amplius in dubium revocari posse, idque, ut unum audiamus, aperte testatur WILLIAM CROOKES, qui scribit: « La gente sempre avida del sopranaturale ci domanda: Ci credete voi, o non ci credete? Noi rispondiamo: Noi siamo chimici, noi siamo fisici; il nostro ufficio non consiste nel credere o nel non credere, ma invece nell'accertare in modo positivo, se un dato fenomeno è, o non è, immaginario. Fatto questo, il resto non è di nostra spettanza. Ora, in quanto alla realtà dei fenomeni, noi li affermiamo, almeno provvisoriamente, perchè con immenso stupore dei nostri sensi e del nostro intelletto, la nostra evidenza ci costringe ad ammetterla.... Si ricordi il lettore che noi NON AVVENTURIAMO NÈ IPOTESI, NÈ

---

taccatura, che due ore innanzi io aveva fatto sulla buccia del seme. Nessuna sostituzione era stata possibile, perchè egli era intieramente nudo; perchè non poteva sapere che tra i molti semi io avrei prescelto un seme di papavero; e perchè io, che non lo perdei giammai di vista, non mi avvidi di nessuna cosa di simile. Dopo aver goduto per alcuni istanti del mio stupore, il Fachiro mi disse con un movimento di orgoglio mal dissimulato: « Se io continuassi le evocazioni, in otto giorni il papavero avrebbe dei fiori, e in quindici giorni darebbe i suoi frutti. »

[1] Ex iis qui phoenomena spiritica tanquam vere existentia admittunt, habemus JACCOLLIOT, *La bible dans l'Inde;* HUC, *Souvenirs d'un voyage dans la Tartarie et le Thibet;* NUS, *Choses de l'autre monde;* OLCOTT, *Catechisme boudd.* (Cf. *Revue britannique,* tom. XXXII, p. 378).

[2] G. ATHIUS, *(Idea vera dello Spiritismo)* refert seriem indefinitam doctorum hominum qui phoenomena spiritica utpote revera existentia admittunt (Cf. LAPPONI, op. cit., p. 127 in nota).

TEORIE DI SORTA ALCUNA. Noi attestiamo semplicemente alcuni fatti, al solo scopo e per la sola ragione, che in tutta la nostra lunga carriera cercammo di far conoscere la verità. I Comitati di esaminatori, gli uomini insigni e i pratici di ogni nazione che si unirono a vigilare severamente i nostri esperimenti concludono con noi: Noi non vi affermiamo una volta di più che questo è verosimile; ma vi affermiamo che questo è. Invece di dubitare o di credere alla ventura, lo che equivale, e di immaginarsi che noi fummo capaci di gittare il tempo a studiare giuochetti da cerretani, prendetevi la fatica di esaminare prima i fatti, come noi una volta increduli ci rassegnammo a fare.... Mostrateci con severa critica in quale punto errammo nel corso dei nostri esperimenti. Specificate e suggerite, se sapete, dei mezzi di esame più dimostrativi. Inventate complessi di difficoltà più insormontabili e più sottilmente congegnate di quelle, onde noi circondammo i nostri Mediums, pur tenendoli ad esse celate! Ma non venite così a casaccio a trattare i sensi del nostro corpo come menzogneri o facilmente ingannati; non accusate la nostra ragione di demenza (che, tra parentesi, noi soli dopo sì severi studî avremmo il diritto di riconoscere in voi), col pretesto che i fatti contrariano i vostri giudizî anticipati, simili a quelli che noi pure nutrimmo in passato. È difficile essere più scettico e più positivo di noi in fatto di cose sperimentali. Che se voi vi credeste da più di noi o per la vostra ignoranza o per il vostro sapere da dilettante, da qual parte dovrebbe tenere un uomo sensato? Noi sosteniamo che ogni maschera di saccenteria o di bonarietà disprezzante cade dal vólto alla vista di certi fenomeni effettuati da *Mediums reali e veri* nei nostri laboratorii; e che i più arditi motteggiatori diventano simili a quegli astuti contadini, che su per le fiere ammiccano ai compagni burlandosi di un apparecchio di Rhumkorff, e poi di subito mutano viso non appena hanno toccati i fili della macchina. In fine rigettare alla leggera le testimonianze di uomini ai quali si è commesso l'uffcio di esaminare un fatto e renderne ragione, equivale a dispregiare

ogni testimonianza umana di qualunque peso essa sia. Imperocchè non si dà verun fatto nella storia sacra o profana, o negli annali della scienza, che si fondi sopra prove più solide e più efficaci di quelle che resero noi, non solo convinti, ma perfino oppressi dalla evidenza. Non osate adunque mettere avanti la superiorità dei vostri sensi e del vostro scetticismo sui sensi e sullo scetticismo nostro; e così siano terminate coteste controversie oziose. »

225) Nihilominus si plurium phoemenorum e spiritismo derivantium existentia nequeat in dubium revocari, non omnia tamen facta extraordinaria, veluti spiritica jactata, sunt revera spiritismo tribuenda, saepe enim homines, vel lucri vel famae cupiditate allecti, fraudes suis experimentis immiscent, quo fit ut habeantur non phoenomena vere spiritica, sed facta mira et *pseudo-spiritica*.[1]

226) Hisce positis veniamus ad quaestionem de natura spiritismi. ZOLLNER, professor germanicus, ita conatur explicare facta spiritica: *Corpora,* ipse ait, *tribus constant dimensionibus, quae respondent tribus numeri potentiis, nempe* RADICE, QUADRATO, *et* CUBO. *At sicut infinitae sunt numeri potentiae, ita nos possumus entia invenire iis dimensionibus praedita, quae nos neque possumus imaginari. Si vero supponamus spiritus quatuor constare dimensionibus tunc facillime explicantur phoenomena spiritismi. Spiritus ut nobis appareant induunt illas tres corporum dimensiones, ad quas videndas oculi hominum sunt assueti; ut autem dispareant, spiritus nihil aliud faciunt quam quartam assumere dimensionem.*[2]

---

[1] Quod aliquando phoenomena sint *mediorum* fraudibus tribuenda patet ex facto quod plurimae spirituum manifestationes illico interruptae fuere ob inopinatum quaestorum apparitionem. ROBIN, ut unum recolamus, ostendit phoenomena spiritica, quae fratres DAVENPORT producebant esse maxima ex parte per fraudem et per artem praestigiatorum producta, idemque novissime evenit de quodam celeberrimo *Medio,* in Statibus Foederatis Americae degente.

[2] Cf. DE BONNIOT. op. cit., p. 256.

Haec ZOLLNER opinio plures nacta est oppositores, intuentibus enim statim apparet non solum gratuita, verum etiam valde inverosimilis.

227) Ne autem errores proferamus circa naturam spiritismi, ad mentis arbitrium systemata fingentes, hanc sequimur conclusionem, scilicet *phonenomena spiritica esse praeternaturalia.*[1]

Et sane ut possimus naturaliter explicare facta spiritica, deberemus ostendere haec esse per *vim physicam* producta; jamvero nemo id probare poterit, cum doctores consentiant *vim intellectivam* non vero *vim physicam* in spiritismo haberi. Verum haec vis intellectiva spiritualis nequit dici humana; homines enim neque possunt, neque talibus sciunt uti signis, quo fit ut cogamur admittere vim intellectivam *extra-humanam.* Cum autem haec vis intellectiva extra-humana duplicis generis sit, quaenam ex duabus modo sensibili intervenit conventibus hominum, vel

---

[1] Quamplurimi conantur ostendere phoenomena spiritica esse naturalia et quidem materialia, praecise quia haud recte considerant utrum spiritus agant in materiam, et quo agant modo. Jam supra (n. 151) vidimus quomodo spiritus agant in materiam; proinde cum spiritus ad quosdam effectus producendos necesse habeant applicandi potentiam activam capacitati passivae quorundam corporum, errant qui hos effectus naturales supponunt. Instrumentum autem materiale, quo spiritus utuntur ad effectus spiriticos producendos, est hominis *sistema nervosum.* Porro ut agatur in systema nervosum, si Deus ipsum et subiectum passivum excipiantur, requiritur voluntatis concursus; sed aliquando per causas physicas voluntas impeditur quominus systematis nervosi usum recipiat. Hic autem finis multipliciter obtinetur, vel excitando passiones quae systema nervosum commotum reddunt in voluntatis imperium rebelle, vel per media naturalia, idest per omnes morbos nervosos, vulgo *nervosi,* ut ecce per *hysterismum, catalepsim, epilessiam, lypomaniam, delirium, dementiam;* vel per media artificialia, nempe per *substantias narcoticas, anesthesiacas,* per *aetherem,* per *opium,* per *acidi carbonici* vaporem, etc. etc. His mediis si addatur dispositio individualis quorundam hominum vel ab ipsa physica constitutione, vel ab officiis in quae incumbit, vel a vivendi modo resultans, facile quis sibi persuabit agentia physica non excludere actionem entium spiritualium, immo ipsi favere. Quare cum clarissimo LAPPONI concludimus: *Nei fenomeni spiritici noi siamo costretti a vedere manifestazioni di ordine preternaturale.*

ut ipsis delectamentum procuret, vel ut ipsorum satisfaciat curiositati?

Certe ob horrorem, quem *spiritus mali* insinuant, quidam conantur Angelis tribuere haec phoenomena, quo fit, juxta ipsos, quod coelum et terra conjugantur; verum si consideremus effectus spiriticos errores insinuare, homines vel ad dementiam, vel ad irreligiositatem adducere eorumque mores corrumpere; itemque si prae oculis habeamus Angelos esse entia gravitate sanctitateque veneranda, quae numquam e coelo avocari sinunt ut ludis et societati hominum se immisceant ad ipsorum curiositati levitatique satisfaciendum, et ut Deo injuria irrogetur, cogimur spiritismi auctores recognoscere ipsos *daemones,* qui omni nisu adlaborant ut homines perdant.[1]

228) Neque dicatur hos effectus esse defunctorum animabus tribuendos, hoc enim impossibile demonstratur tum *ex parte nostra,* tum *ex parte defunctorum.*

α) Ex parte nostra quidem, quia homo neque habet, neque potest communicationem cum defunctis habere; ipse enim cum aliis entibus communicat mediantibus sensibus. Jamvero spiritus neque mediate, neque immediate accedi possunt per nostros sensus corporeos; proinde patet non posse puros spiritus animasque separatas, communicare cum

---

[1] Haec nostra conclusio confirmatur plurimis *Mediorum* attestationibus, qui daemoni omnes effectus tribuunt. Du Potet in opere cui titulus: *La Magie dévoilée,* aperte scribit: *Je ne croyais pas au diable, mais, je le dis sans réserve, mon scepticisme a fini par être vaincu.* Neque unus Du Potet affirmat spiritismum esse a diabolo, sed plures alii, quorum nomina invenies apud De Bonniot, op. cit. p. 265 sqq. Conc. Baltim. n. 36, ait: *Bene vero videtur esse exploratum plura, quae in circulis spiritismi exhiberi phoenomena miranda dicuntur, esse vel omnino ementita et operatorum inter se collusione fraudolentâ producta, vel personarum, quae dicuntur media, imaginationi et spectatorum credulitati esse praesertim adscribenda, vel demum manuali cuidam dexteritati, qualis apud praestigiatores usu venit, esse tribuenda. Vix dubitandum tamen videtur quaedam saltem ex iis a Satanico interventu esse repetenda, cum vix alio modo explicari possint.*

hominibus; ab istis dependentiam habere, seque ad ipsorum lubitum praebere.

β) Idem verificatur ex parte defunctorum, quia, ut ait S. Thomas (*S. Th.* I, q. LXXXIX, art. 8), *animae mortuorum secundum ordinationem divinam, et secundum modum essendi segregatae sunt a conversatione viventium, et conjunctae conversationi spiritualium substantiarum, quae sunt a corpore separatae, unde ea, quae apud nos aguntur, ignorant. Et hanc rationem assignat* Gregor. *in 12 Moral.* (cap. 14) *dicens:* Mortui, vita in carne viventium post eos qualiter disponatur, nesciunt; quia vita spiritus longe est a vita carnis; *et sicut corporea, atque incorporea diversa sunt genere, ita sunt distincta cognitione. Et hoc etiam* Augustinus *videtur tangere in lib. de Cura pro mortuis agenda* (cap. 13) *dicens, quod animae mortuorum rebus viventium non intersunt.*

229) Exinde deducitur miracula facillime discerni a phoenomenibus spiriticis; et merito: nam praeter discrimen essentiale quod intercedit inter duo genera factorum, discrimen idem quod intercedit inter tenebras et lucem, habemus quosdam caracteres extrinsecos qui facta spiritica a miraculis distinguunt.

Hujusmodi autem caracteres sunt: 1°) origo phoenomeni suspecta et inhonesta, quia mortui evocantur ut responsa proferant, quam evocationem hisce Deus reprobat verbis: *Quando ingressus fueris terram quam Dominus Deus tuus dabit tibi, cave, ne imitari velis abominationes illarum gentium; nec inveniatur in te qui ariolos sciscitetur, et observet somnia atque auguria, nec sit maleficus.... nec* qui quaerat a mortuis veritatem.[1] 2°) Processus est ridiculus et temerarius; immo spiritismus est vera ars, dum miracula e contra non sunt effectus cujuslibet artis. 3°) Finis spiritismi non est manifestatio veritatis; sed delectatio adstantium et curiositatis satisfactio. 4°) Denique spiritismum consectaria sequuntur tam physice quam moraliter exitialia; saepe enim fides amittitur, mores corrumpuntur et

[1] *Deut.*, c. XVIII, 9–21.

haud raro spiritistae etiam rationis usu destituuntur, quo fit ut in dementiam incidant.

Hujusmodi autem exitiales effectus non verificantur in miraculis, merito proinde Ecclesia damnavit spiritismi praxim per organum S. Officii in Epistola data die 30 Julii anni 1856 ad omnes Episcopos:[1] *Hinc sonnambulismi et clarae intuitionis, uti vocant, praestigiis mulierculae illae, gesticulationibus non semper verecundis abreptae, se invisibilia quaeque conspicere effutiunt ac de ipsa religione sermones instituere, animas mortuorum evocare, responsa accipere, ignota ac longinqua detegere aliaque id genus superstitiosa exercere ausu temerario praesumunt, magnum quaestum sibi ac dominis suis divinando certo consecuturae. In hisce omnibus quacumque demum utantur arte vel illusione, cum ordinentur media physica ad effectus non naturales, reperitur deceptio omnino illicita et haereticalis et scandalum contra honestatem morum.*[2]

230) 3°) *De hypnotismo..* — Hypnotismus est *ars somnum immittendi in personam certis adhibitis mediis.* Media autem sunt vel *tactus,* vel *sonus*, vel *speculi lucentisve obiecti oblatio,* vel *oculorum obtutus*, vel *vocis imperium*, vel *gesticulationes,* vel *simplex voluntatis nutus.*[3]

Triplicis generis sunt hypnotismi phoenomena, scilicet *somatica, intellectualia* et *mixta.*

1°) Somatica phoenomena sunt quae corpus afficiunt, quorum praecipua sunt: a) *lethargia,* quo in statu persona hypnotizata sensuum usu destituitur, et licet insensibilis videatur, omnia percipit, quin tamen possit, quid interius

---

[1] Quamvis verba speciatim se referant ad sunnambulismum, nihilominus continent principium generale quod debet spiritismo applicari.

[2] Concilium *Baltim.* II, n. 41 hisce verbis damnat spiritismum: *Hortamurque eos in Christo, ut nullâ, vel indirectâ ratione, spiritismo favcant, et ne quidem ex curiositate ejus circulis unquam adsistant. Qui domum enim diaboli ingrediuntur, timeant ne machinationibus ejus decipiantur imperioque subiiciantur.*

[3] Melius hypnotismus definitur: *Somnus nervopathicus arte inductus;* qua definitione indicamus et modum provocandi somnum, et effectum exinde derivantem, nempe *nervorum morbum.*

sentit, exterius manifestare[1]; b) *catalepsis*, quo in statu persona hypnotizata immobilis jacet, ejusque membra flexibilitatem veluti ceream (*flessibilità cerea*) acquirunt, quo fit ut diutius servent actitudinem ipsis ab exteriore agente impressam[2]. c) *In statu sonnambulismi* hypnotizatus variis illusionibus et hallucinationibus est obnoxius, et sui prorsus immemor percipit, sentit et exequitur quidquid agens praecipit, monet, insinuat, nedum eo praesente, et durante somno, sed etiam postea sibi redditus et longe positus.[3]

2°) Phoenomena intellectualia et moralia, quorum praecipuum est *suggestio*.[4] Per haec phoenomena persona hy-

---

[1] Doctor LIÉBAULT quatuor lethargiae gradus admittit; sed communiter duplex lethargia habetur, nempe *lethargia lucida*, et *lethargia simplex*, quae etiam *vulgaris* et *ordinaria* dicitur. (Cf. LAPPONI, op. cit., p. 60 sq.).

[2] LAPPONI triplicem catalepsis statum admittit, nempe *catalepsim simplicem, catalepsim fascinationis, catalepsim ecstaticam* (op. cit., p. 66).

[3] Haec phoenomena ita describit DE RENZIS (*Supplemento mensile della Gazzetta degli Ospedali*, anno VIII, n. 10 Ottobre 1897): *I fenomeni principali si possono dividere in tre periodi, cioè il letargico, il catalettico, il sonnambolico. Il letargico... è caratterizzato dall'eccitabilità massima neuro-muscolare e da una insensibilità tale che si può pungere l'infermo senza che risenta dolore. Il secondo periodo, o catalettico, dal quale può anche cominciarsi l'ipnotismo, è caratterizzato dalla scomparsa dell'eccitabilità neuro-muscolare e dalla flessibilità cerea di tutta la persona, sicchè qualunque posizione si dia agli arti, questi la conservano. Il terzo periodo, o sonnambolico, è il più importante ed è caratterizzato a preferenza dalle suggestioni.... In questo periodo la conoscenza è tolta, e noi possiamo dare al malato la coscienza e l'io che ci piace: voi potete trasformare la personalità dell'infermo e potete farlo credere ricco, potente, che sta bene, che non ha alcuna sofferenza... Possiamo fare suggestioni di carattere motorio e dire all'ammalato che non può muovere il braccio e infatti non lo muoverà se non quando voi con una seconda suggestione gli direte che è guarito e che può muoverlo. Nello stesso modo si può determinare una contrattura.... E possiamo suggestionare idee a lungo intervallo, uno o due mesi.... Da che dipendano questi fatti è ancora un problema da risolvere. Per ora possiamo ritenere che si tratti di un processo di* DISASSOCIAZIONE: *cessa cioè l'*ARMONIA DELLE FACOLTÀ CEREBRALI. *Questa disassociazione dipende probabilmente da un fatto di* ARRESTO, quo pars cerebri functione privatur. »

[4] Ita LAPPONI suggestionem describit (op. cit., p. 81): *Si dice suggestione la insinuazione di un' idea, l'ispirazione di un desiderio, di un proposito, di una determinazione, di un atto; e consiste nel procurare con acconci*

pnotizata ea tantum recognoscit quae ipsi suggeruntur, et libertatis debilitationem maximam patitur, et res occultas obiectaque procul distantia, eventusque dissita in regione occurrentes, cognoscit.

Haec tamen ultima facta, affirmat TANQUEREY (*Sinopsis Theol. dogm. specialis,* tom. I, p. 320 in nota 2) nondum modo scientifico fuisse investigata, immo a praecipuis medicis aperte rejecta fuisse.

3°) Denique phoenomena *mixta* ea sunt, quae in corpore, sed mediante imaginatione, produci dicuntur, ut ecce sudor sanguineus, morborum sanatio et alia hujusmodi.

231) Haec summatim phoenomena hypnotica, modo de ipsorum natura inquirendum est. Non negamus a scriptoribus in utramque partem exaggerationes prolatas fuisse, siquidem nonnulli omnia facta hypnotica tamquam diabolica respuunt, alii vero omnia naturaliter explicare conantur. Quin huic vel illi assentiamus, neque nostram mentem praevalere velimus, dicimus de factis hypnoticis triplicem esse classem admittendam, nempe α) facta hypnotica, quorum causa est certe naturalis, ut ecce sonnambulismus, etc.; β) facta hypnotica, quorum causa est certe praeternaturalis, ut ecce duplex visio (*doppia vista*), visio in distans (*visione a lunga distanza*) sextus sensus, futuri praevisio, perispiritus (*il perispirito*), etc.; γ) facta hypnotica quorum causa

---

mezzi a un individuo i fantasmi che in un dato momento la sua fantasia deve docilmente creargli con tale vivacità, da potersene risentire gli effetti persino nelle funzioni organiche involontarie. Haec autem suggestio potest locum habere vel in statu vigiliae, vulgo *suggestione post-ipnotica* vel etiam *suggestione a scadenza* si suum effectum sortiatur praestituto tempore; vel in statu cataleptico et praesertim in statu somnambulismi (*suggestione intra-ipnotica*).

Alii distinguunt suggestionem in *positivam* si patienti suggerantur ideae, sensationes, imagines quae non existunt; in *negativam* si a patiente ita removeantur sensationes, obiecta realiter existentia, ut de ipsis cognitionem non amplius habeat. Suggestio positiva est *proxima* si actus imperati ab hypnotizante vel durante somno, vel statim post somnum executioni mandentur; est vero *remota* si tempore post-ypnotico magis vel minus remoto perficiantur.

adhuc dubia est. Inter haec facta potest recenseri *anestesia,* licet a Rolfi[1] inter praeternaturalia adnumeretur.

232) Hisce generatim animadversis, venio nunc ad miracula hypnotica, scilicet ad illa phoenomena quae Rationalistae et Increduli cum veris miraculis confundere conantur, quamvis haec ab illis toto coelo distent. Phoenomena praecipua hypnotica quae cum miraculis veris confunduntur, sunt sanationes morborum, sanguinis exsudatio et stigmata.

Cum autem de sanationibus morborum sit denuo loquendum quando de hysterismo sermo fiet, ob intimam connexionem quam hi morbi cum hypnotismo praeseferunt, tunc agemus de curationibus hypnoticis, ne inutiliter eadem argumenta repetamus. Modo igitur de exsudationibus sanguinis et de stigmatibus sermo sit.

233) Sudor sanguinis et stigmata.[2] — Duplex hoc phoenomenon quod evenisse historia testatur, primum quidem in horto Getsemani cum Christus Jesus antequam pateretur oraret; alterum vero in corpore S. Francisci Assisiensis et aliarum Sanctarum mulierum, modo naturaliter explicare conantur increduli. Ratio autem dubitandi de supernaturalitate horum effectuum haec est, quod scilicet cum stigmata praesertim, saepissime verificentur impressa etiam in corporibus quorundam hominum hysterismo laborantium, et inducta sint maxime per hypnoticam suggestionem, quidam ut Warlomont et Michea, medici rationalistae autumant sacra stigmata nihil aliud esse quam *vulnera*

---

[1] *La magia moderna,* p. 118 et 180.

[2] Sudor sanguinis habetur quando undique per totum corpus ex poris loco sudoris sanguis, nullâ praeexistente causâ, extrinseca, emanat. *Stigmatum* vero nomine veniunt quinque vulnera Christi quae aliquando non vi externa sed sponte infixa apparent manibus, pedibus ac lateri quorundam hominum. *Le piaghe dolorose,* scribit Rolfi, (op. cit., p. 203), *dei piedi, delle mani e del costato del nostro Salvatore Gesù Cristo determinate dai chiodi e dal colpo della lancia, sono state riprodotte in modo meraviglioso in alcuni Santi. I chiodi medesimi vi si trovano figurati e le piaghe sono vive e sanguinolenti, come quelle di G. C., almeno a certe epoche fisse.*

ab ecstaticis sibi illata, ut vivam illius imaginem referrent, cujus dolores meditabantur; quidam vero causam innuunt physicam eamque morbosam, ut ecce *leuchemiam, purpuram, scorbutum, plethoram, haematidrosim, haemophiliam* vel *haemorraphiliam,* omnesque *spontaneas haemorrhagias;* alii e contra causam *moralem* insinuant, ut ecce Alfredus Maury[1], qui putat imaginationem esse stigmatum causam effectricem. Ipsa enim, ait, cum concitatur et excenditur, cogere potest *organa corporea,* ut exequantur quaecumque velint, ita ut etiam signa sensibilia membris imprimant.

Ad eamdem causam De Bonniot[2] refert *sanguinis sudorem,* licet ipse distinguat facta supernaturalia, quae fideliter admittit, a factis naturalibus. Ceterum hanc opi-

---

[1] *Révue des Deux-Mondes,* 1854, p. 457 sq.: *L'imagination fortement excitée peut agir sur nos organes tantôt pour y développer des maladies, tantôt pour les guérir. C'est à l'ordre des maladies créées par l'imagination qu'appartiennent les affections bizarres nées sous l'influence du mysticisme chrétien. Quand l'imagination est vivement frappée elle contraint tout l'organisme à se prêter à ses creations. On concevra donc qu'elle soit capable d'imprimer sur une partie du corps, vers laquelle elle a concentré tout son effort, une marque, une espèce de plaie, qui laissera ensuite une véritable cicatrice.* Tel est le principe qui nous paraît dominer l'histoire des stigmatisés.... *Lorsque le saint assistait à ce spectacle miraculeux avec une émotion et un étonnement profonds, la vision s'évanouit tout-à-coup. Mais le pieux anachorète en avait ressenti un contrecoup étrange, et tout son economie était demeurée profondement troublée. Il eprouva surtout aux pieds et aux mains des sensations douloreuses qui firent bientôt place à des ulcerations, à des espèces des plaies qu'il considéra comme les stigmates de la passion du Christ.*

[2] Op. cit. p. 300. Rem ita explicat De Bonniot: *On y constate en effet que, pour obtenir le résultat cherché, l'imagination a besoin d'être dirigée par une sensation précédemment éprovée; une pointe mousse fait éprouver au malade la sensation de certaines lettres tracées sur son bras; le malade garde le souvenir de cette impression et du lieu où il l'a éprouvée. D'autre parte, toute le monde porte dans son esprit une image d'effusion sanguine associée avec une impression douloreuse; c'est un effet de l'expérience personelle de la douleur causée par les blessures d'ou le sang s'échappe. A l'heure marquée par l'hypnotiseur, la pensée du sang qui va couler ramène forcement à l'esprit de l'hypnotique le souvenir de l'impression douloreuse aussitôt l'imagination localise l'image du sang et la douleur concomitante dans le sillon dessiné par la pointe mausse et resté dans la mémoire. Cette dou-*

nionem etiam S. Franciscus Salesius sequebatur.[1] Multi demum, neque excluso Coconnier[2], stigmata inducta referunt ab hypnotismo, et ex his habemus De La Rochelle, Bourru, Bourot, Marille, Ramadier, Ferrand, Albert Lemoine, Beaunis aliosque plurimos.

En quomodo Ferrand suam defendit opinionem. Imago vulnerum crucifixi, ipse ait, producta in stratibus corticalibus cerebri potest naturaliter provocare in partibus periphericis laesiones analogas vulneribus Christi.[3]

Coconnier autem eâdem fere ratione conatur omnia facta hypnotica extraordinaria, etiam stigmata, naturaliter explicare.[4]

234) Ut hanc quaestionem rite persolvamus, in primis inquirendum nobis est quibus legibus sanguinis circulatio regatur, quibusque in casibus quaque via sanguis per cutem porosve exsiliat.

Professor Bouchard, ut sanguinis leges perspectas haberet, muris alpini venas jugulares ita ligavit ut totum sanguinem in animalis caput accumularet, nihilominus auricolae, quamvis rubescerent, nec ullam quidem sanguinis guttam exire passae sunt. Haud satis, Bouchard, ut augeret

---

leur, très vive à cause de l'état anormal du malade, ébranle les nerfs sensibles qui se terminent sous le sillon ; par sympathie, les vaso-moteurs associés entrent en jeu, dilatent on contractant les vaisseaux capillaires de la même région ; le sang s'accumule ; il y a turgescence : la mince tunique des capillaires se déchire, les pores se dilatent, et l'effusion se produit. Il nous semble que le phénomène s'explique assez bien de cette manière.

[1] Cf. S. Franc. Sales., *Dell'amor di Dio*, lib. IV, c. 15.

[2] Cf. *L'hypnotisme franc.* Verum Doctor Ferrand et Coconnier non negant haberi stigmata supernaturaliter inducta, tantum affirmant idem phoenomenon posse in quibusdam hominibus naturaliter, et praecise per hypnotismum, obtineri.

[3] *L'immage des plaies du crucifix, évoqué dans les couches corticales du stigmatisé, est-elle assez puissante pour provoquer naturellement sur les parties périphériques de ce dernier des lésions analogues à ces plaies.*

[4] Opinionem Ferrand et Coconnier acerrime impugnavit Doctor Imbert-Gourbeyre, cui licet partim assentiam, partim contradicere cogor, quia ejus demonstratio in quibusdam non est rigorose scientifica. (Cf. Alex. Athanassio, *Des troubles trophiques dans l'hystérie*, pag. 54 sq.).

sanguinis pressionem supra parietes vascolares, introduxit in tubos circolatorios novum sanguinem, quin tamen obtinuerit parietum vel minimam laesionem; qua de re Bouchard statuit quod sanguinis *tensio* potest ad maximum ad grados decem et novem (*19 centimetri*) pervenire; et quod nonnisi per pressionem graduum septuaginta et octo (*78 centimetri*) sanguis rumpit cutis parietes capillares et exinde manat.

Certum proinde est quod sanguis[1] e vasis undequaque clausis manare non potest, quare quoties habetur sanguinis per totum corpus effusio, vel solum quibusdam determinatis in corporis partibus, certe haec effusio, si homo sit *physiologicus*[2], *supernaturalis* erit vel *praeternaturalis; naturalis* vero et *hypnotica* si homo sit *pathologicus*.[3]

Et sane licet verum sit quod *homo physiologicus* numquam sanguinem amittit, haud longe pariter a veritate est quod *pathologicus* sanguinem emittere potest.

Conditiones autem pathologicae non se referunt solum ad materiales vasorum laesiones (*rottura, traumatismo, ferite etc.*), vel haemorrhagias internas, quia tunc res valde clara est; sed etiam ad affectiones centrorum nervosorum (*affezioni dei centri nervosi*), quae possunt determinare haemorrhagias per *varios mechanismos,* scilicet vel variando sanguinis *pressionem, velocitatem;* vel per *trophicas turbationes parietum,* vel per *insufficientem innervationem* etc. Inter has causas pathologicas est etiam *hysterismus* recensendus, qui potest determinare *turbationes vaso-muscolares*

---

[1] Sanguis *plasmate,* nempe liquido quod colore caret, coalescit et *globulis rubris* et *albis,* qui ita se componuntur ut pro uno *albo* extent quinque rubri, et sexaginta supra trecentos. *Plasma* per tunicas manare potest, *globuli* non possunt; quare sanguis integer nonnisi dissectis vasis emittitur. (Cf. Lefevre, *Étude médicale,* p. 130 sq.).

[2] Homo *physiologicus* est homo omnino sanus: *pathologicus* est homo qui aliquo morbo laborat et praesertim hysterismo.

[3] Dicimus *supernaturalem,* illam effusionem sanguinis et etiam stigmatum impressionem, quae Deo auctore locum habet, *praeternaturalem* si per diabolicam artem eveniat.

(*disturbi vaso-muscolari*), consequenter sanguineas manationes (*stravasi sanguigni*).[1]

Sin autem quaeratur quodnam mechanismum praesit harum haemorrhagiarum localizzationi, respondemus eas esse phoenomenon auto-suggestionis exortum durante parossismo, vel influxu somnii hysterici (*sogno dell'attacco*). Observatio enim ostendit influxum quem somnii hysterici hallucinationes habent in *productionem* et in *localizzationem* turbationum cutanearum; quo fit ex. g. quod mulier putans se ictus ab aliquo accipere, cessante somno hysterico, inveniat corpus undique vulneratum (*coperto di echimosi*).[2]

235) Ex iis quae hucusque exposuimus, deducimus per suggestionem hypnoticam stigmata et sanguinis sudorem non posse naturaliter provocari, quia nulla est animi vis in sanguinis circulationem, nisi per nervos *vaso-motores;* nulla proinde causa moralis capax est ad hos effectus producendos; imaginatio enim indubiam potestatem exercet in tria liquida oeconomiae humanae, idest in *lacrimas, sudorem* et *sperma,* sed nihil potest in sanguinem, ita ut si quis, etsi durante somno naturali, putet sē vulnus accepisse et jam exinde sanguinem manare, nihilominus cum ad vigiliam redierit, nec minimam sanguinis guttam emisisse inveniet; quod ostendit legem conservatricem sanguinis eadem ratione agere in somno ac in vigilia, eique imaginationem subesse.

---

[1] Quod conditiones pathologicae possint haec phoenomena producere, desumimus ex physiologicis legibus. Scimus enim quod vasa per quae circumfluit sanguis, citra *vim exterius illatam aut morbum nativum vel acquisitum,* non aliter abrumpuntur quam *ex turbata circulationis lege.* Nervi autem moderantur circulationem, pervadentes omnia vasa a corde ad arterias et venas, qui ideo *vaso-motores* dicuntur et, *stimulati,* vasa ipsa ita stimulant ut sanguis majori celeritate atque impetu usque ad capillaria propellatur, eorumque aliquando abrumpat tenuissimos parietes.

[2] Doctor MAGNUS HUSS narrat quod puella hysterica, cum in statum epilepticum incideret, somniabat se cum aliis mulieribus tricas agere, et cessante hac morbida conditione, totum corpus inveniebat vulneratum, non secus ac si mulieres de facto ictus intulissent et verberationes.

Proinde in homine physiologico imaginatio neque stigmata, neque haemorrhagias quascumque producere potest. Si igitur stigmata vel haemorrhagiae per hypnotismum obtinentur, haec certe naturaliter nequeunt obtineri, nisi supponamus subiectum patiens *hysterismo,* vel aliquo *latente dermatorrhagiae causâ* laborare, tunc enim hujusmodi phoenomena tanquam mere pathologica habenda sunt.

Quare concludimus non posse absolute Rationalistarum et etiam quorundam catholicorum doctorum opinionem sustineri de *hypnosi stigmatogene,* praecise tum quia homo sanus difficillime potest suggestionari et ad sommum hypnoticum adduci; tum quia, si sommum hypnoticum in ipsum immittatur, jam hoc ipso ostendit se hysterismo laborare, vel saltem non omnino sanos nervos possidere; quo posito, certum est etiam stigmata et sanguinis sudorem posse haberi, quia in hystericis omnia phoenomena, etiam incredibilia, verificantur. Nulla proinde in homine physiologico invenitur causa naturalis stigmatum effectrix; hinc est quod si in ipso hoc phoenomenon verificetur, hoc certe tenendum est, vel quod stigmata sint sive supernaturaliter, sive praeternaturaliter producta; vel quod reaspe subiectum patiens non sit omnino sanum.

236) Hisce positis dicimus miracula distingui a phoenomenibus hypnoticis, quia sufficit probare 1°) homines, in quibus phoenomena evenere, et praesertim impressio stigmatum et sudor sanguinis, fuisse physiologicos non pathologicos, quod verificatur mediante consideratione de vita et de omnibus actionibus ejusdem; 2°) non arte sibi haec phoenomena procurasse; 3°) non per daemonis auxilium eadem obtinuisse, quod constat si patientis virtus sit probata etiam per consentientem testimoniorum auctoritatem; quod si hae conditiones verificentur est ad causam supernaturalem recurrendum.[1]

---

[1] Quidam alia criteria adducunt quibus stigmata supernaturalia ab hypnoticis distinguantur; nempe priora sunt profunda, dum hypnotica sunt omnino superficialia; priora per totum vitae cursum remanent, hypnotica vero debent per sommum inductum renovari. (Cf. CINTI, *op.*

237) C) *Miracula non sunt effectus hysterismi.* Ad hysterismum solent Increduli et Rationalistae et quamplurimi etiam ex medicis revocare omnes morbos et ab ipsis sanationem, et ecstases; unde inferunt nullam morborum curationem esse miraculosam, cum omnis curatio sit suggestioni tribuenda, qua hysterici, rati se convalescere, de facto convalescunt; proinde thaumaturgus, cui miracula tribuuntur, nihil aliud facit quam *suggestivam potestatem (potere suggestionante)* in infirmum exercere.[2] Itemque ecstases hysterismi effectum supponunt et dictitant.

238) Videamus igitur quid sit, quidve possit hysteri-

---

cit., p. 335; STRUMPEL, *Trattato di patologia speciale medica e Terapia*, Vol. II, par. II, p. 172 sq.).

[1] Haec opinio novissime refricata est a BONFIGLI in ephem. *Rivista d'Italia* (anno 1901, fasc. 3°, pag. 401–19 et fasc. 4°, pag. 656–669). *Questi casi*, ipse ait, *sono fuori di dubbio l'esattezza della diagnosi di grande isterismo e la potenza terapeutica della suggestione. La specie di suggestione ora descritta è un po' diversa da quella che praticano gli scienziati moderni; è una suggestione,, diremo così complicata; non è ministro di guarigione quello stesso che suggerisce, ma perchè si ottenga l'effetto voluto, occorre l'intervento di altre persone o di altre cose; v'è bisogno di persone che accompagnino ed assistano i malati, c'è bisogno di funzione religiosa, d'accensione di ceri, di canti salmodici e della tomba di un Santo; mentre la suggestione degli scienziati moderni è più semplice; lo scienziato moderno quando guarisce colla suggestione, arieggia alla lontana chi guariva col famoso* surge et ambula; *tocca la malata, le ingiunge di star quieta, di non avere più convulsioni, di guarire ed essa guarisce.... Lasciando da parte i miracoli del* Nuovo Testamento, *troviamo registrati molti casi nelle vite dei Santi, in cui questi, credendosi in* BUONA FEDE (quanti haec verba impudentissima facienda!!!) *dotati di soprannaturali poteri, trasmessi loro dalla divinità, guarivano malati di nevrosi, comandando ad essi di guarire, cioè suggestionandoli direttamente. Questi Santi sono quelli che erano già riusciti a conciliarsi il favore e la stima illimitata della turba e che perciò godevano della piena fiducia dei malati. Nessuna meraviglia adunque, che meglio di altri riuscissero a suggestionare efficacemente e nel modo il più semplice. Nella terapia suggestiva la fiducia è tutto; e questa non mancava ai nostri taumaturghi.*

Quam impia et inepta sint haec verba nemo non videt, etsi aliquando verum sit homines hystericos a morbis per suggestionem convaluisse, verum item est multo plures qui a morbis convalescunt non laborare hysterismo.

smus. *Hysterismus,* ait De Bonniot, *est chronica anomalia functionum in systemate nervoso.*[1]

Essentiam hujus morbi duo caracteres ingrediuntur, nempe 1°) extraordinaria irritabilitas systematis nervosi durante dolorosa sensatione; 2°) impotentia reagendi contra has affectiones passionesque.[2]

In hysterismo item duo momenta consideranda sunt, siquidem unum *permanens* (*stato permanente*), unum vero transiens, idest *excessus* (*stato di crisi*). Utrumque momentum praesefert deordinationes tum *mentales,* tum *organicas;* deordinationes quas frustra quis quaerit in hominibus miraculorum patratoribus et in iis qui per miraculum a morbis convaluerunt.

239) α) *Deordinationes mentales.* — Functiones mentales hystericorum turbatas esse, omnesque hujusmodi turbationes a voluntate pendere facile ab omnibus conceditur, cum hysterismus nihil aliud sit quam *voluntatis impotentia passiones refraenandi;*[3] nam non secus ac voluntas libera, est ordinis causa in omnibus operationibus animae facultatum, ita voluntas vitio quodam laborans est deordinationis causa, quo fit ut hystericus inferior sit infantibus, quorum voluntas incipit formari, dum ipse e contra voluntatem deformatam possideat; quin etiam est animantibus inferior, quorum operationes per *instinctum* diriguntur.

Hinc fit quod *hysterici,* voluntate laborante, sint 1°) *mobiles* et adeo *instabiles* ut nihil magis stabile in ipsis inveniatur ac ipsorum *inconstantia*[4]; 2°) *mendaces* et nihil an-

---

[1] Op. cit. p. 327: *Un affolement chronique du système nerveux.* Cf. Huchard, *Caractère, mœurs, état mental des hystériques.*

[2] Nomine autem *passionis* intelligimus quidquid automatici habetur in vita sensibili.

[3] Cf. Richet, *L'homme et l'intelligence, fragments de physiologie et de psycologie.*

[4] Recte observat De Bonniot, (op. cit.) p. 330: *Leur caractère change comme les rues d'un kaléidoscope;* et hujusmodi inconstantiae rationem addit Richet (op. cit.) scribens: *la passion mène les hystériques, et elles se laissent conduire où la passion veut.* Notandum tamen est hystericos licet mobiles sint, aliquando tamen in quibusdam se adeo tenaces exhibere,

tiquius habeant ac alios in errorem inducere[1]; 3°) quamvis non sint dementes, nihilominus non perfecte *sensu,* quem communem appellant, uti valeant.

240) β) *Deordinationes in organismo.* — Praeter recensitas deordinationes mentales, quae praecipuae sunt, habentur aliae deordinationes organicae in nervorum apparatu (*apparato nervoso*). Praecipuae sunt: *anestesia* (*disturbo delle sensazioni*); *akinesia* (*impotenza di muoversi*); *paralysis*, quae modo hanc, modo illam corporis partem afficit,; *emiplegia* (*paralisi di una delle metà laterali del corpo*); *paraplegia* (*paralisi della parte inferiore del corpo*); *emaurosis; dispnea; gastralgia; enteralgia* etc.

Doctor Athanassio quadruplicem assignat turbationum trophicarum classem, nempe: 1°) *Turbationes trophicae in cute,* quarum praecipuae recensentur: *rubor, eruptiones vesiculares, pamphigus, vitiligo, zona simplex et cancerosa, canities, capillorum amissio* itemque *unguium;* 2° (*turbationes* in *vasis-motoribus* et *secretoriis,* inter quae recenseri debent *ecchymoses spontaneae, hemorrhagiae cutaneae, cancrena symmetrum* extremitatum, *colli* vel etiam *sinus turgenscentia, sudores locales* etc.; 3°) turbationes in *texturis cellularibus* (*tessuti cellulari*), ut ecce *laesiones in apparatibus ligamentosis, retractiones fibro-tendineas (fibro-tendinee);* 4°) *Atrophia muscularis.*

241) Hujusmodi morbos ab hysterismo derivantes posse per *suggestionem* et per *hypnotismum* propulsari ultro concedimus, quia cum e nervis oriantur, possunt vi imaginationis curari[1]; idque frequenter evenire in clinicis domibus

---

ut nullo pacto possint a determinato proposito dimoveri; quidam ex. g. obstinate quemcumque cibum rejiciunt, alii absolute verba proferre nolunt etc. etc.

[1] Cf. Tardieu, *Etude médico-légale sur la folie.*

[2] Multum posse imaginationem in corpus aperte tradit S. Thomas scribens (*S. Th.,* III p., q. XIII, art. 3 ad 3): *Imaginationi si fuerit fortis naturaliter obedit corpus quantum ad aliqua, puta quantum ad casum de trabe in alto posita, quia imaginatio nata est esse principium motus localis.... similiter etiam quantum ad alterationem, quae est secundum calorem, et frigus, et alia consequentia: eo quod ex imaginatione consequenter*

conspicimus, quia tales corporis indispositiones habent naturalem ordinem ad imaginationem. Idem tamen non est dicendum de morbis, qui laesiones organicas secumferunt, quique non habent naturalem ordinem ad imaginationem; numquam enim vidimus organum deficiens vel laesum per solam imaginationem substitutum fuisse vel refectum; unde patet organa laesa nonnisi supernaturali modo refici posse, vera proinde miracula distingui a miraculis hypnoticis apertissime evincitur.

Id praesertim verum apparet si modum consideremus quo organicae texturae conficiuntur. Juvat ad rem verba referre Doctoris Boissarie italice reddita ab Eq. Cajetano Castellani Tarabini[1]: *Di fronte a lesioni materiali bene accertate*, ipse ait, *che tutti possono vedere, la discussione è assai facile, appunto perchè si conosce a quali leggi sono sottomesse nella loro evoluzione quelle piaghe e quelle profonde alterazioni.*

Le meraviglie operate dall'immaginazione hanno un limite ed assai facile a conoscersi; giacchè troppo nota è la legge stessa della formazione dei tessuti organici. Noi ammettiamo che il tessitore sia un misterioso operaio, i nervi del quale sembrano costituire il principale strumento del suo lavoro; ma questo non lavora senza una materia prima, che esso non crea, e che gli viene dal di fuori, cogli elementi.

I nervi non possono da soli ricreare i tessuti, occorrendo loro nuovi materiali recati dal sangue; ed in certe circostanze la rinnovazione diviene assolutamente impossibile alle forze ordinarie della vita. Un membro tagliato non può riprodursi, come un occhio perduto non si può rifare. In queste circostanze la guarigione è sempre miracolosa.

---

natae sunt consequi animae passiones, secundum quas movetur cor; et sic per commotionem spirituum totum corpus alteratur; aliae vero dispositiones corporales, quas non habent naturalem ordinem ad imaginationem, non transmutantur ab imaginatione, quantumcumque sit fortis. (Cf. *Qq. disp., De Pot.*, q. VI, art. 3 ad 7); Benedictum XIV, *De servorum Dei beatificatione*, lib. IV, p. I, cap. ult. n. 12 sq.; Thoman Fienum, *De viribus imaginationis*, q. XII; Martinum Del Rio, *Disq. magic.*, l. I, q. 3, etc.)

[1] *Lourdes, Storia medica.* 1858–1891, pag. 120 sq.

Per i tessuti poi che possono riprodursi come la pelle, i muscoli o le ossa, l'istantaneo ristauro è per sè stesso superiore alle leggi della natura, ed alla potenza dell'organismo. I tessuti si rifanno come si formarono, per mezzo di nuove cellule cresciute sul posto; ma a compiere questa operazione occorrono due cose che richiedono del tempo. In primo è necessario che il corso del sangue arrechi la materia, ed in secondo luogo bisogna che le cellule viventi se ne impadroniscano e lo trasformino, e che si svolgano da sè stesse in una moltitudine di altre cellule; il che non può avvenire istantaneamente. Ecco la ragione per cui una piaga estesa ed antica, della quale non si ponno avvicinare gli orli, non può guarire in poche ore.

Quelle perdite di sostanza, quelle ulceri profonde si vanno colmando con un lavoro che si fa dalla circonferenza al centro, ma è un lavoro lento e progressivo del quale è facile seguire il graduale cammino. Attribuire questo risultato a morali commozioni, credere che l'immaginazione abbia una così forte potenza medicatrice da modificare le leggi della formazione dei tessuti, è un opporsi ai principii più incontrastabili della nostra scienza; sarebbe un volere imitare Bacone che si era proposto di studiare se coll'immaginazione si potessero far maturare delle nespole in 24 ore! ,,

242) Exinde deducimus quod quoties organorum laesio inveniatur, hujus laesionis sanationem, si instantaneo modo fiat, et absque mediis naturalibus, non esse hypnotismo tribuendam, sed causae supernaturali; idque praesertim verificatur quando agitur de iis infirmitatibus quae vulgo *tisi, tubercolosi,* appellantur.

Huic criterio innixi optime miracula, a curationibus hypnoticis dignoscimus, per quas morbi, ab hysterismo derivantes, depelluntur.

243) Aliud autem criterium est desumendum a proportione quae intercedere debet inter effectum et media adhibita; nam in hypnoticis curationibus, si agatur de morbis nevropathicis, quaedam proportio invenitur inter media et effectum; in miraculis e contra vel nulla media adhibentur, vel saltem inter ipsa et effectum nulla pro-

portio invenitur. Exploratum enim est numquam per suggestionem hypnoticam mortuos fuisse ad vitam revocatos, coecos a nativitate visum recuperasse, mutos locutos esse, surdos audivisse, etc. etc.[1]

Hinc est quod quoties historice constat curationes a laesionibus organicis evenisse, nullis mediis naturalibus, ne hypnotismo quidem, usurpatis, hujusmodi curationes sunt miraculosae existimandae, praesertim si iterum iterumque haec facta verificentur.

244) Verum non solum a morbis curationes Increduli conantur hysterismo adscribere, sed etiam ecstases.

Ecstasis a S. Augustino [2] ponitur quod sit *mentis alienatio a corporis sensibus,* vel *mentis excessus;* quae verba consonant cum iis quae habet S. Thomas.[3] *Ecstasim pati,*

---

[1] Criteria, quae Benedictus XIV (op. cit. l. IV, p. I, c. 8, n. 2 et sqq.) assignat ad dignoscendum utrum morbi sanatio sit miraculosa nec ne, optime conducunt ad solutionem nostrae quaestionis, eaque adducimus: *Ut sanatio a morbis et infirmitatibus,* ipse ait, *inter miracula recenseatur, plura debent concurrere: primum est ut morbus sit gravis et, vel impossibilis, vel curatu difficilis; secundum ut morbus qui depellitur non sit in ultimâ parte status, ita ut non multo post declinare debeat: tertium, ut nulla fuerint adhibita medicamenta, vel, si fuerint adhibita, certum sit ea non profuisse: quartum, ut sanatio sit subita et momentanea: quintum, ut sanatio sit perfecta, non manca, aut concisa: sextum, ut nulla notatu digna evacuatio seu crisis praecedat temporibus debitis et cum causa; si enim ita accidat, tunc vere prodigiosa sanatio dicenda non erit, sed vel ex toto, vel ex parte naturalis: ultimum ut sublatus morbus non redeat.* Cf. Beaudeau, *Analyse de l'ouvrage de Benoît XIV* apud Migne, *Theol. Curs.* VIII, p. 921 sqq.; Boissarie, *Lourdes,* p. 260-276; Ribet, *La mystique divine,* vol. III, sect. III, c. 24, p. 487 sq.

[2] *Lib. 2 ad Simplic.,* Q. I, 104; Idem, In Ps. 67 n. 36; Idem, *De Genesi ad litteram* lib. 8, c. 25: Cf. S. Isidorum, lib. 7 etymol. cap. 8; Alvarez, *De gradib. contempl.* V, p. 3.

[3] *S. Th.* I-II, q. XXVIII, art. 3; Cf. II-II, q. CLXXV. A definitionibus citatis longe aberrat opinio Pauli Mantegazza qui in suo opere *Le estasi umane* ita ecstases definit: *un ipnotismo del pensiero e dell'affetto, più spesso dell'affetto che del pensiero;* quibus verbis non docti auctoris commendationem, sed scriptoris romanensium fabularum novae indolis laudem affectat. Ipse distinguit *parvas ecstases* a *magnis ecstasibus,* omnes tamen naturaliter fieri supponit.

ipse ait, *aliquis dicitur, cum extra se ponitur: quod quidem contingit et secundum vim apprehensivam et secundum vim appetitivam. Secundum quidem vim apprehensivam aliquis dicitur extra se poni, quando ponitur extra cognitionem sibi propriam, vel quia ad superiorem sublimatur, sicut homo, dum elevatur ad comprehendenda aliqua, quae sunt supra sensum et rationem, dicitur ecstasim pati, in quantum ponitur extra connaturalem apprehensionem rationis et sensus; vel quia ad inferiora deprimitur, puta, cum aliquis in furiam, vel amentiam cadit, dicitur ecstasim passus. Secundum appetitivam vero partem dicitur aliquis ecstasim pati, quando appetitus alicujus in alterum fertur, exiens quodammodo extra seipsum. Primam quidem ecstasim facit amor dispositive, in quantum scilicet facit meditari de amato; intensa autem meditatio unius abstrahit ab aliis: sed secundam ecstasim facit amor directe.*

In ecstasi duplex phoenomenon invenimus, quorum interius unum, exterius est alterum; aliis verbis phoenomenon in anima perficitur, quibusdam tamen sensibilibus in corpore effectibus comitantibus; quo factum est ut excessus hystericus a quibusdam cum veris ecstasibus confunderetur, quamvis unus effectus ab alio toto coelo distet. Scimus enim effectus corporeos, qui ecstasim comitantur, differre a symptomatibus hystericis ac nevroticis, nempe a *clavo hysterico (chiodo isterico), convulsionibus clownicis, delirio, turbationibus visceralibus iisque cephalicis,* aliisque morbidis affectionibus hujus generis; quo fit ut a vero longissime aberrent illi medici, qui ecstases in hisce turbationibus reponunt; quae, si tantum patientis *insensibilitas* et *immobilitas* excipiantur, numquam in ecstaticis verificantur.

245) Nihilominus in ecstasi phoenomenon externum potest esse aliquando *physiologicum* et aliquando *pathologicum,* quatenus scilicet potest suspendi exercitium quarundam functionum, non obstante quod organa sint omnino sana; vel quatenus reapse functiones organicae aliquo morbo impediuntur.

Res evidens fit si prae oculis habeatur principium quod scilicet *summa virium de quibus organismum vivens*

disponit, limitibus mathematice determinatis circumscribitur; quare omnis energeia, quae excessive augetur in quadam organi parte, subtrahitur ceteris organis; aliis verbis exercitium excessivum functionis cujusdam organismi, nequit locum habere, quin aliarum functionum ejusdem organismi exercitium vel debilitetur, immo etiam aliquando annihiletur. Idipsum verificatur etiam quando agitur de operationibus summe intellectualibus, quia anima, etiam hisce in casibus, adhuc organismi corporei ministerio utitur, ipsa enim indiget corpore ut obiecto et ut subiecto vel organo[1], et exinde est quod anima subiicitur legi quae virium mechanicarum aequilibrio praeest.[2] Igitur insensibilitas et paralysis accidentalis possunt naturaliter exurgere ab excessiva animae interna operatione et excitatione; praesertim si consideretur quod non omnes homines eandem habent energeiae physicae quantitatem et mensuram, cum alii aliis debiliores imbecillioresque inveniantur, iique maximam prae aliis imaginationis et facultatum affectivarum excitationem patiantur.

Verum si imaginatio maxime excitata potest sensuum exteriorum exercitium impedire, multo magis superiores animae operationes possunt omnem imaginationis activitatem absorbere et consequenter *naturaliter* ecstasis phoenomena exteriora producere, quae sunt *supernaturalis operationis*, idest ecstasis proprie dictae, accidentalia consectaria.

---

[1] Cf. S. Th., I, q. LXXV, art. 3 ad 3.

[2] Eundem effectum ita pulcre describit Alligherius (Purg. IV, 1-12):

Quando per dilettanze ovver per doglie,
Che alcuna virtù nostra comprende,
L'anima bene ad essa si raccoglie,
Par che a nulla potenzia più intenda:
E questo è contra quello error, che crede
Che un'anima sovr'altra in noi si accenda.
E però quando s'ode cosa, o vede,
Che tenga forte a sè l'anima volta,
Vassene il tempo, e l'uom non se ne avvede:
Ch'altra potenza è quella che l'ascolta,
Ed altra è quella ch'ha l'anima intera;
Questa è quasi legata, e quella è sciolta.

Miraculum proinde quod in ecstatico verificatur consistit praecipue in quadam mentis elevatione ad notitias quae superant captum humanae rationis, aliquando autem etiam in remotione naturalis debilitatis, nempe in facto quod divina operatio intrinseca organis vitae exterioris semper integram libertatem vel relinquit, vel reddit.[1]

Insuper vera ecstasis exterior secumfert quaedam adjuncta, quae a medicis omni cura negliguntur, quaeque

---

[1] Cf. SUAREZ, *De oratione*, lib. II, c. 12-20, BENEDICTUM XIV, *De Serv. Dei beatif., et Beat. canoniz.*, l. III, c. 49; DE BONNIOT, *op. cit.*, p. 360-62; DE LA BARRE S. J., *op. cit.*, p. 40-41. Hanc opinionem ita a SUAREZ depromptam summatim refert PORTALIÉ S. J. in ephemeride *Études* (Mart. 1892) : « 1°) L'extase véritable suppose *deux éléments essentiels :* l'un intérieur et invisible, l'activité extraordinaire des hautes facultés de l'âme, intelligence et volonté ; l'autre extérieur et apparent, l'inertie des forces inférieures manifestée par l'immobilité des membres et l'insensibilité des organes (loc. cit. XV).

2°) L'*extase externe* est un effet naturel de l'extase intérieure, toutes les fois que l'âme parvient à concentrer son énergie dans une profonde contemplation. L'unique raison en est que la puissance de l'âme est limitée: absorbée par les opérations supérieures, elle cesse d'envoyer du cerveau au membres le courant qui les vivifie. Ainsi la cause physiologique de l'anesthésie, pour Suarez, comme pour M. Charcot, c'est la rupture de communication entre les sens et le cerveau. La cause psycologique, c'est la surexcitation de l'intelligence plutôt de l'imagination.... c'est *l'effort de l'âme pour concentrer son attention*.... (l. c. XVII, 9 — XV, 6).

3° Dans les extases *même des saints*, la suspension des sens n'est point en elle-même miraculeuse: inertie, rigidité, tout cela découle naturellement de l'activité extraordinaire de l'intelligence. Le seul miracle c'est l'action de Dieu qui fixe le regard mobile de l'âme sur les célestes vérités et la ravit au point que les forces lui manquent pour les opérations des sens (l. c. XV, 5).

4° Mais l'*extase interne*, cette absorption totale des forces vives de l'âme dans une seule pensée, est-elle sans miracle au pouvoir de l'homme? Suarez penche *pour l'affirmative* (l. c. XIX, 30).

Aux siècles suivants, même doctrine: le cardinal de Lauria écrivait en 1686: Voilà trente ans que j'assiste aux Congrégations: je l'affirme quand il est question de canoniser un serviteur de Dieu, *dans le vote sur les Miracles, on ne tient jamais compte des extases*, à moins qu'elles ne se présentent avec quelque prodige évidemment surnaturel. »

pro veris miraculis habenda sunt; nempe maxima ecstaticorum agilitas, luminositas, transfiguratio; adjuncta omnia quae neque morbida, neque physiologica et naturalia dici possunt; sed mere supernaturalia, quia nunquam imaginatio, licet maxime excitata, potuit aut producere in corpore humano vel minimum lucis radium, aut corpus a lege gravitationis subtrahere.

Unus tantum effectus est et hystericis et ecstaticis communis, nempe mirabilis docilitas erga superiorem.

246) At quae sunt indicia quibus phoenomena hysterica a veris ecstasibus distinguuntur?

Certe si causam hysterismi inquiramus et causam ecstasis, videbimus utrumque effectum esse directe oppositum; cum hysterismus a *debilitatione* facultatum mentalium, ecstasis autem ab *exaltatione* et *elevatione* facultatis intellectivae et affectivae producatur.

Verum plurima alia criteria praesto sunt, quibus certe concludimus ecstases mysticorum non fuisse hysterismi effectum.

Et sane 1°) in mysticis non inveniuntur caracteres qui proprii sunt hystericorum, scilicet *inconstantia* et *levitas, vanitas, mendacitas*, iique omnes defectus qui ab aegrotante voluntate pendent; scimus enim mysticos nostros *habitualiter* et constanter *voluntatem* et *passiones* refraenasse, et consequenter ab omnibus iis defectibus, a voluntate non sana derivantibus, fuisse immunes; immo contrariis omnino dotibus et virtutibus claruisse. *Nemo enim,* observat Cinti[1], *qui in mysticorum vitam, actus, scripta examen instituerit, eoque absoluto, invenerit edideritque ea indicia quibus talis agnoscitur morbus* (scil. hysterismus).

Facti res est. Eorum libri in rem editi, produnt quidem quae quotidianis observationibus accuratione maxima notari solent in aegris hystericis *de morbi causis, signis, varietate phoenomeni, inter quae recensentur ecstases et describuntur. Sed de ecstasibus Sanctorum nihil exhibent, nisi auctorum*

[1] *Op. cit.*, p. 247.

sententiam, *qua eosdem cum ceteris a se inspectis permiscent, quasi evidens esset, aut morbum hystericum numquam ipsa re defuisse, aut non dari unquam sine eo, ecstases ullas. Ea autem* sententia *vel impingit in vitium* petitionis principii, *si nititur* facto existentis morbi, quod demonstrandum erat, *vel contradicit ipsis hodiernae medicinae cultoribus, si pro certo assumit ecstasim a morbo hysterico separari non posse. Falsa itaque cum sit, vel profecto dubia, nemini pro demonstratione erit, qua teneat ecstases nostras* EX VI HYSTERICA PRODIISSE.

2°) Insuper certae habentur *leges* secundum quas hysterismus gignitur, certaque habentur *vitia*, quibus inficitur aegrotantium *mens* et *voluntas*. Praeter *legem haereditatis*, qua morbus nativus esse potest, et praeter *causas incidentes* vel *terroris*, vel *maximi moeroris*, quibus maxime afficitur *nervorum systema*, habemus alias leges quibus hysterismus gignitur; et hae leges petuntur *ab aetate, a statu, ab institutione vitae* et *consuetudine*.

α) Ex *aetate* medici deducunt *hysterismum esse morbum* praecipue *adolescentiae ac juventutis;* quia contrahitur et invalescit usque ad annum quadragesimum circiter, quo termino transacto, nonnisi rarissimae occurrunt exceptiones, nempe vix quinque pro centis.

β) A *statu* deducimus *caelibatum voluntarium ab hysterismo immunem esse.*[1]

γ) A *vitae institutione et consuetudine* deducunt peritiores ab hysterismo immunes esse qui ab ineunte aetate vanis animi propensionibus et cupiditatis motibus compescendis assuescunt; qui tum probis moribus, tum pacato vitae genere utuntur; dum e contra hysterismo facillime corripiuntur qui libitum pro licito habere solent et saevis vitae tempestatibus jactantur.

---

[1] Cf. CINTI, *op. cit.*, p. 249; BRIQUET, BERNUTZ, BRACHET. *Il Brachet,* scribit P. SALIS (*op. cit.*, n. II), *ed altri convengono nell' attestare per proprie osservazioni, che questa malattia è rarissima nelle religiose che si occupano nelle scuole e negli ospedali;.... dalle statistiche degli ospedali si rileva, appena darsi caso d' isteria, se non in persone viventi* FUOR DEL CELIBATO, *a tale che delle vedove non ne conta che 27 sopra 805 inferme.*

Ipsis igitur artis medicae doctoribus exploratum est numquam vel rarissime hysterico morbo afflictari homines qui sive in *adulta et provectiore aetate sint constituti,* sive *voluntario coelibatu*, sive *temperantiori ac tranquilla utantur vivendi ratione.*

247) Quod si prae oculis habeamus hysterismum mulieres fere unice afficere, si consideremus plures viros passos esse ecstases, itemque si animadvertamus beatas sanctasque mulieres, quarum ecstases legimus ad provectam aetatem et ad senectutem usque productas, fuisse celibatui voluntario addictas toto vitae corriculo, vel post viros demortuos, vel post emendatam vivendi rationem, et ad sanctiora christianae legis praecepta mores informasse tutamque et quietam vitam in claustris quaesivisse; denique si perpendamus earum omnium mentem et voluntatem suo robore stetisse, nedum actuum verborumque gravitati, constantiae, veritati, modestiae caventes, sed ad sanctiora ac magis ardua virtutum merita enitentes; uno verbo si perspectas habeamus tam *leges,* quam *vitia* illa, quae ab ipsis hysteriologis novimus experimento probata, cogimur in hanc devenire conclusionem, quod scilicet sancti sanctaeque nostrae eo morbo implicitae non fuere, et quod mysticorum ecstases vere fuere supernaturales et apprime distinguuntur ab *hystericarum mulierum virorumque* deliramentis, quae ab ipsa ratione et a quavis sanctitatis specie aberrare, ipsi adversarii fatentur.[1]

248) D) *Miracula distinguuntur a daemoniorum praestigiis.*[2] Certum est, uti jam superius (n. 151) exposuimus angelos posse quaedam mira operari, quae licet non sint miracula absolute, sunt tamen talia relate ad nos; quatenus, cum

---

[1] Ita HUCHARD scribit: *I sentimenti più elevati, i pensieri più puri espressi col linguaggio più colto, danno luogo tutto d'un tratto e senza transizione agli istinti più bassi, alle inclinazioni più ributtanti espresse nei termini più sboccati.*

[2] Daemonis praestigias intelligimus non solum sensuum illusiones, sed etiam corporum quasdam immutationes, quas motu externo, et vires corporum naturales aliorum corporum potentiae passivae applicando a daemonibus produci posse affirmamus.

sint puri spiritus, non solum sunt perfecte a materia independentes, in quam tamen dominium exercent, *proprium enim est corporis,* ait AQUINAS[1], *quod non agat nisi per motum; et ideo oportet quod creatura corporalis a spirituali moveatur;* immo etiam sunt in altiori ordine quam homines constituti.

Quod de Angelis dicimus idem est de Daemonibus affirmandum, qui etiam post condemnationem eamdem servarunt naturam et potestatem, quamvis actionum rectitudinem amiserint, quam odium in veritatem et in bonum excepit.

249) In hac quaestione sedulo distinguere debemus inter *potentiam* mira operandi, et inter facultatem hujusmodi potentiam in actum convertendi; quam facultatem Deus quandoque concedere, quandoque vero daemonibus adimere potest. Porro hanc potestatem Deus daemonibus adimit in iis rerum adjunctis, in quibus homines bonae voluntatis decipi possent quoad suum ultimum finem consequendum.

250) Cum autem aliquando daemones, Deo permittente, quaedam operentur, quae miraculi speciem praeseferunt, ut vera miracula ab hisce fraudibus distinguamus haec prae oculis habeamus necesse est, nempe quod 1°) Deus vel immediate operatur miracula, vel, si ministerio causarum secundarum utatur, hisce utitur tanquam instrumentis supra propriam naturam elevatis, quibus ipse specialem virtutem comunicat; dum contra opera daemonum semper causarum secundarum ministerio producuntur, licet haud semper hae causae innotescant.[2]

2°) Aliud criterium ex ipsa natura operis deducimus. Cum Deus absolutum dominium exerceat super omnes rerum substantias, potest immediate quamcumque materiam ad quamlibet formam movere; at angeli et daemones cum non obtineant absolutum supra rerum substantias dominium, non possunt immediate movere materiam ad quam-

[1] S. TH. I, q. CX, art. 1.

[2] Cf. S. THOM., *Contra Gentes,* lib. III, cap. 103.

libet formam, sed debent uti mediis naturalibus quae habeant ad effectum intentum et proportionem et ordinem; et ratio est quod, cum *omne agens agat sibi simile*, necesse est inter causam et effectum similitudinis intercedere habitudinem; hinc est quod formae quae sunt in materia non sunt nisi ab agentibus cujus forma item est in materia; vel si sint ab agente spirituali, requiritur quod hujusmodi agens potestatem habeat etiam supra materiam; quam potestatem solus Deus habet, cui veluti causae universali omne *esse*, quatenus *esse* substat. *Substantia igitur spiritualis creata,* notat S. Thomas [1], *propria virtute nullam formam inducere potest in materiam corporalem, quasi materia ad hoc sibi obediente, ut exeat in actum alicujus formae, nisi per motum localem alicujus corporis. Est enim hoc in virtute substantiae creatae, ut corpus obediat sibi ad motum localem; movendo autem localiter aliquod corpus, adhibere potest aliqua activa ad effectus aliquos producendos, sicut ars fabrilis adhibet ignem ad mollificationem ferri. Hoc autem non est miraculosum proprie loquendo: unde relinquitur quod substantiae spirituales creatae non faciunt miracula propria virtute.*

Quibus animadversis concludimus opera quaedam ex ipsa eorum natura tanquam effectus divinos dignosci posse, quia ita naturae ordinem excedunt, ut nonnisi soli Deo sint tribuenda; ex. gratia *mortui resurrectio, praedictio futurorum contingentium, curatio subita* quae *creationem vel restitutionem* organi supponit.

3°) Hisce aliud accedit criterium desumptum ex *moralibus operis characteribus.* « Quum enim [2], ait Tanquerey, diabolus sit spiritus nequam, aliquid mali in ejus operibus plerumque saltem apparet, nam operatio sequitur esse; dum ex adverso in divinis operibus nihil nisi decens, bonum, sanctumque elucet. Sedulo igitur attendendum est ad omnes *circumstantias* facti, ad detegendum utrum a Deo vel a daemone causetur: ad *thaumaturgi personam moresque* [3]; si

[1] *C. G.*, lib. III, cap. 103.

[2] *Op. cit.*, p. 101.

[3] Cf. Bona, *De discret. Spirit.*, c. XI, n. 8; Ribet, *op. cit.*, vol. III, p. 158 sq.

sit vel amens, vel improbus, si levis, inconstans, impatiens, superbus, de propriis defectibus glorians, prodigia quae facit divina non sunt, quum tali legato Deus uti non soleat ad veritatem et virtutem hominibus commendandam; si vero thaumaturgus vitae sanctitate, zelo gloriae Dei, modestiâ, humilitate et caritate polleat, Dei minister censeri potest; *ad modum* quo miracula fiunt: si in eis aliquid inhonesti, violenti, crudelis, vel incongrui deprehendatur; si media adhibita viderentur blasphema, turpia, absolute ridicula (in quo tamen dijudicando, recte ait BRUGÈRE, habenda est aliqua ratio temporum, locorum et personarum, quibus actio divina sese accomodare potest), spiritui nequam non auctori justitiae et sanctitatis adscribi debent[1]; praesertim vero ad *effectus operis:* si mira hujusmodi nonnisi ad curiositatem pascendam tendunt, si ad turpia vel scurrilia provocant, si superbiae et inobedientiae favent, familiarumque pacem et concordiam perturbant, a Deo oriri nequeunt, cujus opera bonos mores, virtutum praxim, puritatem et caritatem maxime fovent.[2] »

4°) *Ex fine qui intenditur in miraculorum patratione,* cum enim Deus sit bonitas per essentiam, evidens est ipsi non posse ex opere miro adscribi quae fiant vel in confirmationem doctrinae falsae, absurdae, sibi vel revelationi divinae contradicentis, vel eo tendentis ut homines pejores vel miseriores fiant per virtutis depressionem vitiorumque exaltationem; vel unice bona temporalia appetentis; hi enim effectus diabolicam causam detegunt.

E contra vera miracula in illius doctrinae confirmationem fiunt, quae bonis moribus faveat, caritatem erga Deum et proximum promoveat, hominesque ad meliorem frugem adducat; quae omnia ostendunt divinam doctrinae originem et signorum supernaturalitatem.

---

[1] Cf. S. AGOBARDUS, *Epist. ad Barthol.*, n. I apud MIGNE, *P. L.* CIV, p. 179; RIBET, *op. cit.*, p. 159 sq.

[2] Cf. BIBLE DE VENCE, *Exod. Diss. sur les vrais et les faux miracles,* vol. II, p. 40; J. H. NEWMAN, *Essays on miracles,* I, sect. 3; GONDAL, *Surnaturel,* l. c., p. 232 sq.

Porro hic sedulo notandum est doctrinae excellentiam et miracula ita mutuam sibi opem praestare, ut, quamvis utrumque argumentum seorsim sumptum vim probativam praeseferat, majorem nihilominus efficaciam obtineat si simul sumatur, quin tamen iis sit subscribendum qui nos veluti circulo vitioso laborantes redarguunt; nos enim doctrinae excellentiam primum *ratione* expendimus pensamusque, postea vero ex doctrinae excellentiâ aliisque signis miraculi divinitatem agnoscimus, et ex miraculis doctrinae divinitatem.

Ceterum doctrinae excellentiam non ita sumimus ut sit unicum criterium discernitivum de supernaturalitate miraculorum, sed plurima alia criteria adhibemus, quae majorem nobis ingerunt certitudinem in facti naturâ investigandâ; praesertim si signorum adsit multitudo, qua nullus relinquitur dubitandi locus.

251) Verum Deus probe noscens hominem suis tantum viribus relictum inter effectum naturalem et supernaturalem certo distinguere non posse; ita aliquando influit in intellectum illius, ut quod ipse ceteroquin difficilius et nonnisi dubitando cognosceret, jam facile et certo deprehendat; quia Deus cum neque per se neque per alios fallere possit, quando permittit miracula a diabolis perfici vel ad bonorum probationem, vel ad majorem suae potestatis manifestationem, media tamen suppeditat ad auctorem horum prodigiorum detegendum, secus enim liceret illud RICHARDI A S. VICTORE[1] usurpare dictum: *Domine, si error est, quem credimus, a te decepti sumus.*

---

[1] Lib. I *De Trin.*, c. 2 cit. a SUAREZ, *De fide*, disp. 4ª, sect. III, n. 12. Non inutile erit heic excribere quae Doctor ANGELICUS et SUAREZ tradunt de ratione dignoscendi vera Dei a falsis daemonum miraculis.

S. THOMAS (2 *Sent.*, dist. 7, q. 3, art. I ad 2ª) loquens de miraculis Dei quae fiunt per bonos, et de falsis quae per malos, scribit: *Signa facta per bonos possunt distingui ab illis quae per malos fiunt tripliciter ad minus. Primo* EX EFFICACIA VIRTUTIS OPERANTIS. *Quia signa facta per bonos virtute divina fiunt in illis etiam, ad quae virtus activa naturae se nullo modo extendit, sicut suscitare mortuos et hujusmodi; quae daemones facere non possunt, sed in praestigiis tantum, quae durare*

§ IV. — De miraculorum ad probandum efficacia.

252) Status Quaestionis. — Quum a Rationalistis et Protestantibus oggeratur miraculis non confirmari religionis veritatem; vel quia ipsi quaestionem confundunt supponentes cum Wegscheider[1] nos adlaborare ut majorem dignitatem et excellentiam mediantibus miraculis tribuamus Dei legato; quum e contra miracula nihil aliud nobis praestent quam modum quo cognoscimus illum, qui se Dei legatum dicit, vere esse Dei legatum: vel quia affirmant miracula vim habere pro iis tantum qui fidem jam susceperunt[2]; vel alia denique ratione respuunt miraculorum vim apologeticam, non erit inutile nonnulla heic adnotare de miraculorum ad probandum efficacia.

---

non possunt. Secundo ex utilitate signorum. *Quia signa per bonos facta sunt de rebus utilibus ut in curatione infirmitatum et hujusmodi; signa autem per malos facta sunt in rebus nocivis vel vanis, sicut quod volant in aëre, vel reddunt membra hominum stupida et hujusmodi.... Tertia differentia est* quantum ad finem. *Quia signa bonorum ordinantur ad aedificationem fidei et bonorum morum, sed signa malorum sunt in manifestum nocumentum fidei et honestatis. Et* quantum ad modum *differunt. Quia boni operantur miracula per invocationem divini nominis pie et reverenter, sed mali quibusdam delectamentis, sicut quod incidunt se cultris et hujusmodi turpia faciunt. Et ita signa per bonos facta manifeste possunt discerni ab iis quae virtute daemonum fiunt.*

Suarez (*De mysteriis vitae Christi,* disp. 31, sect. 2) scribit: *Quando sunt falsa miracula, semper relinquitur aliquis modus quo moraliter possint dijudicari, si homines, quod in se est, faciant ad cognoscendam veritatem. Primo, bene considerando ipsamet opera, signaque et circumstantias eorum. Secundo, considerando personam, vitam, et mores ejus qui sic loquitur et operatur. Tertio, vel aliis revelationibus divinis sufficienter propositis per Ecclesiam. Denique, orando Deum et consulendo Scripturas, et praedicationes in ea factas et signa data ne in errorem inducamur. Itaque non pertinet ad providentiam Dei non permittere falsa signa, quae ad profectum et probationem electorum prosunt: sed pertinet ad providentiam Dei, dare auxilium ac modum quo possint dijudicari et cognosci, quia non est divinae bonitatis et sapientiae, ut permittat hominem tentari ultra id quod potest.*

[1] *Inst. Theol.,* § 121.

[2] Cf. Schleiermacher apud Luthardt, *Kompendium der Dogmatik,* p. 88.

253) Duplex probandi vis in miraculis residet, quarum una est *intrinseca,* qua nempe, miracula *quoad se* talia sunt, quae probare valeant interventum divinitatis ad confirmandam ex. gr. aliquam doctrinam; altera *extrinseca,* qua hic vel ille reapse convincitur de divinitate, et consequenter de veritate alicujus doctrinae; et haec dicitur etiam cognoscibilitas *ad aliud.*

254) Notandum tamen est quod quando agitur de vi probativa miraculorum, non sufficit docere revelationem, quam Deus miraculis confirmat, esse revera divinam, Deus enim nonnisi ea, quae divinitus vera sunt, suo confirmat testimonio; sed insuper ostendendum est quando miracula ad revelationem confirmandam edantur.

Quidam supponunt hujusmodi finem necessario ingredi essentiam miraculi, huic tamen non est opinioni subscribendum, vidimus enim (n. 152) pluribus finibus Deum miracula patrare, ex quibus nihilominus praecipuus est revelationum confirmatio, quia, ut loquitur Estius[1], *quum Deus rerum naturam semel instituerit, ab ejus ordine non recedit, nisi per opus extraordinarium et supernaturale velit aliquid loqui et significare hominibus. Censetur autem illud loqui velle, quod loquitur angelus vel homo, per cujus ministerium tale opus hominibus ostendit... attamen non necesse est, miracula ad hoc esse instituta, ut sint signa et testimonia, sed potest Deus ea facere simpliciter et absque omni testificatione, sicut facit opera naturae.*[2]

255) Quum autem miracula fiant praecipue in confirmationem divinae revelationis, ipsorum vis probandi maxima est, quia cum a solo Deo miracula fieri possint, homo, in confirmationem doctrinae suae, ut revelatae, postulans a Deo miraculum, Deum testem invocat veritatis. Deus igitur, si in hisce conditionibus miraculum patrat, testatur doctrinam esse divinitus revelatam et veram.

---

[1] *In II sent.* L. 7, § 19.

[2] Cf. S. Th., *C. G.,* l. III, c. 99; *Sum. Theol.,* II-II^{ae}, q. 78, art. I ad 4^{um}; III, q. 29, art. I ad 2^{um}; Suarez, *De fide,* disp. IV, sect. 3, n. 10.

256) Maximam vero inesse miraculis probandi vim ostendit communis populorum consensus; omnes enim Dei legatum crediderunt illum, cujus legationem miraculis confirmatam existimarunt.

Quis enim ignorat novarum religionum auctores, ut asseclas sibi adjungerent, conatos esse signis, quae miraculi speciem referrent, suam doctrinam confirmare?

Merito proinde Concilium Vaticanum definivit (sess. III, can. 4 *De fide*): *Si quis dixerit revelationem divinam externis signis credibilem fieri non posse ideoque solâ interna cujusque experientiâ aut inspirati ne-privata homines ad fidem moveri debere;* A. S.

257) Scholion. — *De prophetiis.*[1] Cum quaestione de miraculis *physice* sensibilibus intime connectitur alia de miraculis *intellectualiter* sensibilibus, nempe *de prophetiis.*

Hanc tamen quaestionem breviter expendimus cum sit praecedentis corollarium; quia, post traditam notionem prophetiae, argumenta quae adduximus ad probandam possibilitatem, cognoscibilitatem et vim apologeticam miraculorum, valent etiam pro prophetiis.

258) A) Prophetiae notio. — Prophetia, quae aliquando sumitur eodem sensu ac vaticinium, si quoad *nomen* accipiatur idem sonat atque *apparitio a longe* ex graeco πρό (*pro, procul*) et φανός (*phanos,* nempe lumen, vel *apparitio, visio*), vel *rei futurae praedictio* a πρόφημι; hinc est quod si a priori radice derivemus etymologiam, futurorum liberorum indicamus cognitionem quae est in mente prophetae,

[1] Cf. S. Th. I-II, q. LXVIII, 3 ad 3um; II-IIae, qq. CLXXI, CLXXII, CLXXIII, CLXXIV; III, q. VII, 8; *C. G.*, 154; *Qq. Disp., De Poten.*, q. VI, art. 4; *Quid. I,* XII, 27; Suarez, *De fid.* d. 8, s. 4, n. 1; Willmers, *op. cit.*, p. 136 sq.; Crosta, *op. cit.*, p. 66 sq.; Tanquerey, *op. cit.*, p. 196; Perrone, n. 347 sp.; Knoll, *op. cit.*, p. 136–140; Ottiger, p. 770 sq; M. Ilvaine, *Evidences,* lect. VIII; Pesch, *op. cit.*, p. 123; Knabenbauer, *Erklärung des Propheten Isaias,* p. 1 sqq.; Cornely, *Introd.* II, 2, 267 sqq.; Davide Castelli, *La profezia nella Bibbia;* Walter R. Betteridge, *Significato storico e religioso dei Profeti del V. Testamento* in *American Journal of Theology;* 1900, Carlo Silvio Rio, *Profezie e Sibille,* 1902 etc.

qui a *vi mentis* vates a gentilibus appellabatur; sin autem ab altera derivemus, tunc futurorum quae prophetae manifestant innuimus locutionem, cum prophetia sit ad bonum aliorum, juxta illud Pauli (I Cor. XII, 7): *unicuique datur manifestatio spiritus ad utilitatem.*[1]

259) Cum igitur prophetia primario in cognitione futurorum, et secundario in elocutione et manifestatione eorum, quae ab hominum cognitione remota sunt consistat, merito prophetia definitur ab Angelico per Cassiodori verba,[2] quod sit *inspiratio, revelatio divina, rerum eventus immobili veritate denuntians.*

1°) Dicitur *inspiratio*, quia, teste S. Thoma[3], requiritur quod *intentio mentis elevetur ad percipienda divina; haec autem elevatio intentionis fit Spiritu Sancto movente*, secundum Job (32): *Inspiratio omnipotentis dat intelligentiam.*

2°) *Revelatio divina quantum ad ipsam perceptionem divinorum*, nempe eorum quae Deus cognoscit, *in quo perficitur prophetia; et per ipsam removetur obscuritatis et ignorantiae velamen*, secundum illud Job (12): *Qui revelat profunda de tenebris.*

3°) *Rerum eventus*, quibus verbis prophetiae *obiectum* intelligimus. Licet prophetiae obiectum principaliter sint *futura contingentia*[4], nihilominus prophetiae obiectum sunt etiam quaedam *de preaterito*, et quaedam *de praesenti;* quia, ait S. Thomas[5], *manifestatio, quae fit per aliquod lumen, ad omnia illa se extendere potest, quae illi lumini subjiciuntur: sicut visio corporalis se extendit ad omnes colores; et cognitio naturalis animae se extendit ad omnia illa, quae subduntur lumini intellectus agentis: cognitio autem prophe-*

---

[1] Cf. S. Th., II–II, q. CLXXI, art. I; III, q. VII, art. 8.

[2] S. Th., II–II, q. CLXXI, art. 3, 6.

[3] Ib. ad 4.^{um}

[4] Notandum tamen est quod haec cognitio futurorum non est naturalis, quia est cognitio *de futuris secundum quod sunt in seipsis*, quatenus nempe sunt obiectum divini intellectus; non vero est cognitio *de futuris secundum quod sunt in suis causis*, quae cognitio est naturalis.

[5] S. Th., II–II, q. CLXXI, art. 3.

tica est per lumen divinum, quo possunt omnia cognosci tam divina, quam humana, tam spiritualia, quam corporalia; et ideo revelatio prophetica ad omnia hujusmodi se extendit.... Considerandum tamen est, quod quia prophetia est de his quae procul a nostra cognitione sunt, tanto aliqua magis proprie ad prophetiam pertinent, quanto longius ab humana cognitione existunt: horum autem triplex est gradus; quorum UNUS *est eorum, quae sunt procul a cognitione hujus hominis, sive secundum sensum, sive secundum intellectum, non autem a cognitione omnium hominum; sicut sensu cognoscit aliquis homo, quae sunt sibi praesentia secundum locum; quae tamen alius humano sensu, utpote sibi absentia non cognoscit.... et per hunc modum etiam ea quae unus scit demonstrative, alii possunt prophetia revelari:* SECUNDUS *autem gradus est eorum, quae excedunt universaliter cognitionem omnium hominum; non quia secundum se non sint cognoscibilia, sed propter defectum cognitionis humanae: sicut mysterium Trinitatis, quod revelatum est per Seraphim dicentia:* Sanctus, Sanctus, Sanctus *etc. ut habetur Isaiae VI, 3;* ULTIMUS *gradus est eorum, quae sunt procul ab omnium hominum cognitione; quia in seipsis non sunt cognoscibilia: ut contingentia futura, quorum veritas non est determinata. Et quia quod est universaliter, et secundum se, potius est eo quod est universaliter et per aliud; ideo ad prophetiam propriissime pertinet revelatio eventuum futurorum.*[1]

4°) *denuntians,* quo verbo duplicem indicamus prophetiae actum, nempe α) *visionem* et *manifestationem eventuum* quam Deus facit prophetae, β) *denunciationem* quam prophetat facit aliis.[2]

5°) *Immobili veritate,* quibus verbis falsitatem et errorem a prophetia excludimus tum quoad *cognitionem*, quatenus in prophetia nihil falsi contineri potest, et in propheta cognitio intrinseca rerum eventuum est certa; tum quoad *denunciationem,* quatenus ipsa claris verbis ac non aequivocis, atque non conjecturali modo, sed certo fiat; prophe-

[1] Cf. S. TH., II-II, q. 172, art. 5; 176, art. 2; 178, art. 1.
[2] Cf. S. TH., II-II, q. CLXXVI, art. 2.

tia enim fit ad veritatis manifestationem, et insuper est *quaedam cognitio intellectui prophetae impressa ex revelatione divina per modum cujusdam doctrinae. Veritas autem cognitionis est eadem in discipulo et in docente; quia cognitio addiscentis est similitudo cognitionis docentis: sicut etiam in rebus naturalibus forma generati est similitudo quaedam formae generantis; et per hunc etiam modum Hieronymus dicit*[1] *quod* prophetia est quoddam signum divinae praescientiae: *oportet igitur eandem esse veritatem propheticae cognitionis, et enunciationis, quae est cognitionis divinae, cui impossibile est subesse falsum.*[2]

260) Quaerentibus autem quomodo *immobili veritate* possint praedici futura contingentia, quae utpote talia possunt non evenire, respondet Angelicus[3] notando quod *certitudo divinae praescientiae non excludit contingentiam singularium futurorum; quia fertur in ea, secundum quod sunt praesentia, et jam determinata ad unum; et ideo etiam prophetia, quae est divinae praescientiae similitudo impressa, vel signum, sua immobili veritate futurorum contingentiam non excludit.*

261) Quum autem *obiectum formale* prophetiae sit lumen divinum, *a cujus unitate prophetia habet unitatem speciei*[4], patet in *prophetiam* proprie dictam, vel melius in *prophetiae* substantiam nihil influere loci et temporum circumstantias; quamvis hae influant in scriptoris inspirati scribendi stylum.

Excludimus proinde Walter[5] opinionem, qua docet prophetiam non esse exclusive supernaturalem praedictio-

[1] *Expl. super illud Dan. 2: Respondentes ergo Chaldaei.*

[2] S. Th., II–II, q. CLXXI, art. 6.

[3] Ibid. ad 1.^m

[4] S. Th., II–II^ae, q. CLXXI, art. 3 ad 3.^m

[5] Art. cit. *L'adempimento delle singole profezie*, ipse ait, *passa in seconda linea. Non si considererà più la profezia, come un meccanico e unicamente soprannaturale preavviso di eventi futuri, ma come un tutto organico, che forma un progressivo e fecondo sviluppo dello schema divino di salvazione.*

nem futurorum eventuum, et CASTELLI[1] sententiam, ex qua deducimus ipsum prophetiam late sumptam considerare, non vero perspectam habere strictam et propriam prophetiae notionem. Hujus opinioni accedit quorundam Rationalistarum placitum, qui affirmant prophetas non futura annuntiare, sed voluntatem Dei interpretari populumque ad legum observantiam revocare, quia vox hebraica *nabi*, qua prophetae designantur, idem sonat ac praedicare. Hinc falso concludunt nullum in prophetis adesse Dei interventum, sed tantum exercitium cujusdam sensus praevisionis, qui vivissimus invenitur apud Semitas.[2]

Erronee item EWALD et REUSS[3] dicunt prophetiam esse quid naturale homini, qui jam quendam perfectionis gradum consecutus et Deo unitus, potest aliquam ideam tam vivide concipere, ut putet hanc non esse suam sed vere divinam, neque quiescat donec hanc ideam publice annunciaverit.

262) B) PROPHETIAE POSSIBILITAS. — Ut admittamus prophetiae possibilitatem haec duo probemus oportet, nempe 1°) Deum cognoscere futura contingentia; 2°) Deum posse horum cognitionem communicare hominibus.

---

[1] *Op. cit.*, introd. *Era la profezia, in sè considerata,* inquit, *il tutto insieme delle qualità personali che costituivano il profeta, e nella sua estrinseca espressione, era quell' insegnamento e quella predicazione, prima orale e poi scritta, a cui il profeta consacravasi.*

[2] Cf. MICHEL NICOLAS, *Études critiques sur la Bible, Anc. Testam.*, p. 305; RÉVILLE, *Revue des Deux Mondes,* 15 juin 1867, p. 823 sq.

Hos egregie refutavit LE HIR (*Études bibliques,* 1867, vol. I; *Les Prophètes d' Israël,* p. 54–58) notans quod radix, ex qua vox *nabi* derivatur, significat productionem, emissionem, manifestationem, et praedicatur de fluviis et arboribus, et de verbis ab ore prolatis. Sed ex usu exclusivo formae passivae hujus vocis insinuatur idea *instrumenti,* ita ut *nabi* sit ille qui loquitur non a se sed ab alio, nempe nomine Dei. In lingua arabica radix *naba' a* ideam suggerit alicujus qui loquitur sub alterius impulsu. Qui sensus confirmatur etiam ex historia Moysis, ubi Aaron a Deo constituitur propheta (*nabi*) seu interpres fratris sui (*Exod.* IV, 14–16; VII, 1). Graeca autem vox προφήτης primario *interpretem* designat.

[3] Cf. EWALD, *Die Propheten des Alten Bundes erklärt;* REUSS, *Les Prophètes,* I, p. 25 sq.

Ad primam quaestionem affirmative respondemus, eamque probabimus in tractatione *De Deo uno,* ubi, duce Angelico, ostendemus quod *omnia, quae sunt in tempore, sunt Deo ab aeterno praesentia, non solum ea ratione, qua habet rationes rerum apud se praesentes, ut quidam dicunt, sed quia ejus intuitus fertur ab aeterno super omnia, prout sunt in sua praesentialitate.*[1]

Alteram vero quaestionem jam solvimus superius loquentes de possibilitate revelationis (nn. 87-103), quia prophetia nihil aliud quam rerum futurarum importat revelationem.

263) C) PROPHETIAE COGNOSCIBILITAS. — Cum praedictio de futuris contingentibus tripliciter fieri possit, scilicet *fortuito, coniecturaliter* et *certo,* prophetiae cognoscibilitas in dubium nequit vocari; sufficit enim ostendere eventum non coniecturaliter et fortuito praedictum esse, sed certo et quidem independenter ab humana praevisione et a divinatione.

264) Jamvero ad primum quod attinet dicimus quod fortuita cognitio eo magis excluditur, quo magis multiplicia et determinata sunt, quae praedicuntur.

265) Pariter prophetiae distinguuntur ab humana praevisione, si propheta praedixit eventum non solum certo futurum, verum etiam independenter a causis humanis, et praecise quatenus divinitus cognitum.

α) Quod propheta tanquam certum praedixerit eventum cognoscimus tum ex verbis, quae non debent esse ambigua variumque sensum admittentia, sed determinata et ad unum tantum sensum accommodata; tum ex personae, indole, probitate aliisque adjunctis; tum denique ex comparatione inter praedictionem ipsam et praedictionis implementum.

β) Ex certitudine praedictionis deducimus prophetiam non posse confundi cum humana praevisione, omnia enim futura contingentia quae ab hominibus cognosci possunt,

---

[1] S. TH., I, q. XIV, art. 13. Cf. S. AUGUST., Lib. 2, *Quaest. ad Simplicianum,* q. 2; *De civ. Dei,* V, 9, 10.

cognoscuntur non quidem in quantum futura sunt, sed in quantum in suis causis praeexistunt; *quibus cognitis*, ut mihi sint verba Angelici[1], *vel secundum seipsa vel per aliquos effectus earum manifestos, quae signa dicuntur, de aliquibus effectibus futuris potest ab homine praecognitio haberi; sicut medicus praecognoscit mortem vel sanitatem futuram ex statu virtutis naturalis, quam cognoscit pulsu, urina et hujusmodi signis. Hujusmodi autem cognitio futurorum partim quidem certa est, partim quidem incerta; sunt enim quaedam causae praeexistentes ex quibus futuri effectus ex necessitate consequuntur, sicut, praeexistente compositione ex contrariis in animali, ex necessitate sequitur mors: quibusdam vero causis praeexistentibus, sequuntur futuri effectus non ex necessitate.... primorum igitur effectuum praecognitio infallibiliter certa habetur, horum autem quae posterius dicta sunt non est praecognitio infallibiliter certa. Cognitio autem quae de futuris habetur ex revelatione divina secundum gratiam prophetalem est omnino certa, sicut et divina praecognitio est certa; non enim Deus praecognoscit futura solum prout sunt in suis causis, sed infallibiliter secundum quod sunt in seipsis; unde et cognitio prophetica per eundem modum datur homini de futuris cum certitudine perfecta.*

Notandum insuper est quod coniecturalis praedictio futurorum in quam maxime aliquando conferunt observatio, ars rethorica, politica et potissimum ars tractandi homines, se extendit ad facta nuda et simplicia neque adeo tempore remota; nemo enim psychologicis coniecturis cum certitudine cognoscere potest quid unus vel multi homines post multum temporis facturi sint, et quidem usque ad minuta adjuncta.

Quare *signum certum divinae revelationis habetur quoties cum certitudine praedicuntur res complexae, tempore remotae, cum adjunctis, quae hic et nunc in causis nondum sunt determinata, sed undequaque pendent a libera voluntate hominum vel Dei.*

---

[1] *C. G.*, l. III, c. 155. Cf. etiam S. Th., II–II^{ae}, q. 171, art. 6 ad 2^{um}; q. 172, art. 1.

266) Item prophetia distingui potest a divinatione seu a praevisione per daemonem homini impertita.

Manifestum quidem est, ait AQUINAS[1], *quod intellectus superioris ordinis aliqua cognoscere potest, quae remota sunt a cognitione intellectus inferioris: supra intellectum autem humanum est non solum intellectus divinus, sed etiam intellectus angelorum bonorum et malorum secundum naturae ordinem; et ideo quaedam cognoscunt daemones etiam sua naturali cognitione, quae sunt remota ab hominum cognitione, quae possunt hominibus revelare.*

Hujus autem cognitionis quadruplicem causam assignat S. AUGUSTINUS[2], nempe 1°) *majorem intellectus excellentiam*, qua daemones e causis naturalibus occultioribus effectus quosdam concludunt, qui hominibus videntur contingentes, licet sint necessarii; 2°) *majorem experientiam*, quam diuturna exercitatione collegerunt; 3°) *cooperationem* vel *saltem instigationem* qua in quosdam effectus influunt; 4°) *mobilitatem maximam*, qua praediti daemones, e loco in locum elati nunciare possunt absentia, quae hominibus necessario abscondita sunt; quin etiam possunt tanquam futura ea exhibere quae aliquando non *tempore* sed *solo loco* sunt remota.

Porro ut distinguamus prophetias proprie dictas ab hisce prophetiis secundum quid, sufficit quod inspiciamus et *naturam eventus* praevisi et prophetiae *indolem* et *finem*.

Prophetia enim potest versari circa res, quae exclusive pendent a libera voluntate sive Dei, sive hominis, quas neque angeli neque daemones naturaliter praevidere possunt cum certitudine. Quare quoties constat hujusmodi eventus fuisse certo praedictos et praevisos, pariter constat hanc praevisionem a Deo ortam esse, non autem a daemone.

Ad indolem vero et finem prophetiae quod attinet, dicimus eam prophetiam non esse a Deo quae pascit hominum curiositatem, mores corrumpit, fidem falsis numinibus con-

---

[1] S. TH., II–II^{ae}, q. 172, art. 5. Cf. *C. G.*, l. III, c. 155.

[2] *De div. daem.*, c. III, V.

ciliat: opera enim Dei semper fines ejus sapientiae et sanctitati congruos attingunt. Merito proinde ORIGENES[1] scribit: *Nullus praestigiator per ea, quae facit, spectatores ad morum emendationem excitat aut ad Dei timorem docet, qui spectaculis stupent, aut studet persuadere, ut vivant quasi Deo rationem reddituri.*

267) Ut melius autem prophetias veras a falsis prophetiis distinguamus nos Angelicus Doctor admonet ut modum prophetandi consideremus; quia daemones *ea quae praecognoscunt praenuntiant quidem, non mentem tamen illustrando, sicut in revelatione divina; non enim eorum intentio est ut mens humana perficiatur ad veritatem cognoscendam, sed magis quod a veritate avertatur.*[2]

268) Denique daemonum prophetiis saepissime falsum subest, dum e contra Spiritus Sanctus nunquam mentitur; hoc proinde signum falsos prophetas distinguendi Deus tradidit Israelitis[3]: *Si tacita cogitatione responderis: Quomodo possum intelligere verbum, quod Dominus non est locutus? hoc habebis signum: Quod in nomine Domini Propheta ille praedixerit, et non evenerit, hoc Dominus non est locutus.*

269) Nihilominus licet saepe prophetiis daemonum falsum subsit, hoc tamen non tollit quominus Deus aliquando utatur pseudoprophetis, quia *Deus utitur etiam malis ad utilitatem bonorum; unde et per Prophetas daemonum aliqua vera praenuntiat; tum ut credibilior fiat veritas, quae etiam ex adversariis testimonium habet: tum etiam quia cum homines talia credunt, per eorum dicta magis ad veritatem inducuntur.*[4]

270) DE TELEPATHIIS.[5] — Quaestionem de cognoscibilitate prophetiae excipit quaestio de telepathiis. Nostris enim

---

[1] *Contra Celsum*, l. II, n. 68. Haec Origenis verba optime etiam applicari possunt iis qui Spiritismo totis viribus addicti, praxim suam tamquam honestam et piam venditare contendunt.

[2] *C. G.*, lib. III, n. 155. Cf. ANTONELLI GIUSEPPE, *Spiritismo.*

[3] *Deut.*, XVIII, 21; cf. S. TH. II-II^{ae}, q. 172, art. 5 ad 3^{m}.

[4] S. TH. II-II^{ae}, q. 196, art. 6 ad 1^{m}.

[5] Cf. Ephem. *La Civiltà Cattolica*, ann. 1899, 1900, q. 1175 et sqq.; BORDELAND, *A quaterly Review and Index of Telepathy*; GRUNEY, MYERS

temporibus ordinis supernaturalis osores hoc phoenomeno abutuntur quo possint omnium prophetiarum et veritatem et existentiam respuere, cum veteres prophetiae, juxta ipsos, nihil aliud sint quam vera telepathiae phoenomena.

Verum in hac quaestione non est diutius immorandum cum haud difficulter possint solvi argumenta ab adversariis adducta. Quare post traditam notionem telepathiae, ipsius causas inquirimus, quas aliquando naturales, aliquando praeternaturales, rarissime supernaturales esse vindicabimus.

271) Est igitur telepathia, in se inspecta, cujusdam eventus a longe, vario modo seu forma, habita notitia, quin aliquod medium innotescat hujus communicationis in distans.

Hinc telepathiae haec invenimus elementa constitutiva, nempe *agentem, patientem, actionem in distans* absque ullo communicationis medio.

Admissa historica veritate horum effectuum, de quibus minime dubitari potest, causam inquirimus.

272) Id autem assequimur distinctione posita inter telepathias spontaneas et telepathias arte inductas.

Si de prioribus sermo sit, tunc videndum est utrum praevisio phoenomeni talis fuerit ut cum adimplemento phoenomeni, quoad omnia vel minutissima adjuncta, convenerit; saepe enim praesensiones, quae aliquando vere irrationales sunt, confundimus cum praevisionibus proprie dictis. Quod si praevisio eventui perfectissime respondeat, tunc est ad causam supernaturalem recurrendum: Deus enim potest rerum eventus enunciare vel immediate per se, vel mediantibus angelis.

Hinc est quod Angeli, Deo permittente, res, quae in remotissimis regionibus eveniunt, quibusdam, qui longe absunt, annunciant et quasi inibi eodemque temporis momento evenientia demostrant; scimus enim id posse Angelos ob virtutem excellentiorem ipsis prae hominibus concessam.

---

et PODMORE, *Les hallucinations télépathiques*; GÖRRES, *La mistique divine, naturelle et diabolique.*

273) Sin autem quaeratur quid sentiendum sit de telepathiis arte inductis, non una est doctorum sententia.

Quidam[1] putant telepathias esse fluido cuidam, qui telepathicus dicitur, tribuendas; alii cum Edison et Chiaf recurrunt ad *simpathias electricas* (*simpatie elettriche*) quatenus mens fixe ideam quandam intendens talem excitat vim electricam *(corrente elettrica)*, qua ideam transmittere valeat.

Huic sententiae affinis est Lombrosi opinio qui *psichicam polarizzationem (polarizzazione psichica)* admittit.

Ochorowicz[2] autem rem explicat per recursum ad *simpathiam organicam (simpatia organica)*, vi cujus ab uno in alium non solum nervorum morbi et passiones, sed etiam ideae volitionesque transfunduntur.

Sunt quibus arridet hypothesis de *telepathia spiritica;* sunt autem qui e contra recursum habent ad *intuitionem occultisticam (chiaroveggenza occultista),* quae locum habere potest tum *naturali modo,* tum per *iperestesiam (iperestesia)* et *hysterismum,* tum per *somnambulismum,* tum per *divisionem individui*[3] *(sdoppiamento del proprio io);* sunt denique alii, ducibus Zanon, Huxley, Lombroso, Crookes et Gayraud, qui ab aethere telepathiam productam supponunt, quatenus nempe omnia phoenomena quae in rerum natura conspicimus sunt aetheris vibrationibus *(vibrazioni dell'etere)* tribuenda.

Quamvis hae omnes opiniones speciositatem quandam praeseferant novitatis, nihilominus cum omnino gratuito ponantur, eodem modo sunt rejiciendae. Nondum enim exploratum est quomodo vis electrica, nemine eam dirigente, vel simpathia qua unus erga alterum afficitur, vel clara intuitio, vel aetheris vibrationes possint haec phoenomena producere; quod si possent aliquando producere cur non semper producunt? Quis enim ignorat fere quo-

[1] Cf. Cristian, *Que faut-il penser de la thélépathie?*

[2] Cf. Ochorowicz, *La suggestion mentale;* Braid, *Neurypnologie;* Giacchi, *La psicotelegrafia.*

[3] Hanc divisionem hodierni increduli conantur confundere cum *bilocatione,* quam sanctos viros passos esse ex historia accepimus.

tidie homines decedere in dissitis regionibus a parentibus, a propinquis absentes, quibus absque dubio cordi esset iis supremum vale dicere; nihilominus qui supersunt haud semper, immo rarissime, certiores fiunt per telepathiam de illorum decessu; quod certe non eveniret si phoenomenon naturale esset; cum semper debeat et possit reiterari, non secus ac semel detecta vi *radiorum Roentgen,* vel *telegraphi* absque communicationis medio *(telegrafo senza fili)* pro lubitu potest experientia renovari.[1]

274) Cum igitur nulla possit causa naturalis adsignari telepathias explicandi ad causam vel supernaturalem vel praeternaturalem est recurrendum.

Quare concludimus agentem telepathicum, nempe illum qui nuncium transmittit, semper spiritum esse; quia agens telepathicus intelligentiam superiorem ostendit tum in eligendo inter plurimos patientem, cui nuncium communicare debet, tum in detegendo locum ubi patiens invenitur, tum ex celeritate qua rem nunciat; quae omnia superant vires naturales spiritus humani, qui in ordinariis vitae conditionibus invenitur.

275) Restat ergo ut videamus quinam spiritus agant in telepathiis. Jamvero hujusmodi spiritus vel erit Deus ipse, vel angelus, vel spiritus humanus.

Certe si agatur de telepathiis spontaneis, quibus subest Dei mirabilis providentia, quibusque locum non dedere vagae quaedam praesensiones sive rationales sive irrationales, Deus erit causa agens aliquando immediata, aliquando mediata hujusmodi phoenomeni, quatenus per se ipsum nuncium dat, vel per Angeli et hominis ministerium; et hujusmodi telepathiae nihil differunt a revelatione.

---

[1] Singulas opiniones circa telepathias refutatas optime invenies a clarissimo P. Franco S. J., qui in eph. *La Civiltà Cattolica* superius memoratâ rem eruditissime et acutissime persequitur.

Dolendum tamen est non potuisse prae oculis habere operam Doct. Josephi Antonelli, quae adhuc sub praelo est, a quo certe quam plurima in rem meam derivassem.

Verum si agatur de telepathiis arte inductis, tunc ipsarum causa semper a spiritu malo est repetenda, scilicet a daemone, quia hisce in casibus iidem obtinentur effectus mali, qui *spiritismo* sunt communes.

Quare telepathiae nequeunt confundi cum veris et proprie dictis prophetiis. Ceterum ad judicandum de causa vera in phenomenis telepathicis, necesse est plura simul attendere in *singulis* casibus, scilicet qualitates morales personae, quae telepathiam accipit, naturam et finem ipsum dicti phoenomeni; an aliquando talis persona spiritismo vel magiae vel aliis hujusmodi superstitionibus vacaverit, an aliquod pactum aliquando inierit cum spiritu malo, implicite vel explicite, et cetera hujus generis; brevi necesse est minutissima etiam particularia singulorum casuum rite cognoscere, et nonnisi, omnibus his inspectis, judicare causam, cavendo insuper ne nimis festinanter diabolo tribuatur.

276) D) Prophetiae vis probandi. — Cum prophetia sit verum miraculum eadem gaudet vi probativa qua reliqua miracula gaudent. Aliter tamen probat quam miracula sensibilia; haec enim probant statim ac patrata fuerunt, prophetia autem probat tantum *eventu impleto.*

Hinc est quod prophetia in *prima temporis differentia*, scilicet ante eventum, probat tantum pro iis qui norunt eam esse vere a Deo; in *secunda* autem *temporis differentia,* quando nempe eventu completa est, habet vim probandi non solum *quoad se,* sed etiam *quoad omnes.* Et nos hoc quidem sensu dicimus prophetiam habere vim probandi revelationem, in cujus confirmationem facta fuit, et his adamussim verbis limites quaestionis definimus, quatenus nempe prophetia est testimonium manifestatum pro eo ad quod datur.

277) Quod autem prophetia prolata in doctrinae revelatae confirmationem vi probativa gaudeat quoad se, exinde deducimus quod futura, quaecumque sint, vel in suis causis vel in seipsis, vel in Deo cognosci possunt. Cum autem creatura futura *contingentia* non possit cognoscere 1°) *in suis causis*, quia quatenus libera in his non sunt; 2°) *in*

seipsis, quia non sunt; 3°) remanet quod tantum in Deo futura cognoscere possit, quatenus Deus ei communicat hujusmodi futurorum cognitionem, quae, in seipso utpote omnia videns, cognoscit; quaeque pariter a beatis per lumen gloriae cognoscuntur. Patet proinde quod prophetia optime probare valet.

278) Sin autem inquiramus prophetiae vim probativam *quoad nos,* haec probemus necesse est, scilicet 1°) *veritatem historicam prophetiae,* idest eventum fuisse praedictum et opere postea completum; 2°) *veritatem philosophicam,* hoc est illam fuisse veram prophetiam; 3°) *veritatem ejusdem relativam,* nempe prophetiam factam esse in confirmationem cujusdam determinatae rei, ex. g. revelationis.

Jamvero haec tria nobis certo innotescere possunt, tum quia agitur de veritate facti, ad cujus testificationem ipsa experientia sufficit; tum quia prophetiae, qua tales, cognosci possunt; tum denique quia ex adjunctis determinare possumus cognoscibilitatem relativam prophetiae; nunquam enim produci potest prophetia in confirmationem doctrinae non confirmandae, vel falsae.

279) Oggerentibus vero prophetias licet divinitus inspiratas effectum consecutas non esse sicut fuit de praedicatione Jonae [1] ad Ninivitas et de praedicatione ab Isaia facta Ezechiae [2], proinde eas non esse certissimum credibilitatis motivum, respondemus cum S. Thoma [3] quod *futurum est in divina cognitione dupliciter;* uno modo, *prout est in sua causa; et sic accipitur prophetia comminationis, quae non semper impletur; sed per eam praenuntiatur ordo causae ad effectum, qui quandoque aliis supervenientibus impeditur:* alio modo *praecognoscit Deus aliqua in seipsis: vel ut fienda ab ipso; et horum est prophetia praedestinationis; vel ut fienda per liberum arbitrium hominis: et sic est prophetiae praescientiae.*

---

[1] Jonas, 3.

[2] Isaias, XXXVIII, 1.

[3] S. Th., II-II, q. CLXXIV, art. I; cf. q. CLXVI, art. 6 ad 2^{um}, I p., q. XIX, art. 7 ad 2.^{um}

Ex quibus Angelici verbis deducimus quod *prophetia praescientiae* importat cognitionem futuri prout est in seipso praesens Dei aeternitati, et ideo futurum illud semper est sicut per prophetiam enunciatur, quia est necessarium necessitate consequentiae, et in sensu composito impossibile est illud non esse.

Prophetia vero comminationis est de re futura non praecise prout est in seipsa, sed prout est in ordine suae causae, quatenus nempe causa illa producet determinatum aliquem effectum, si conditio aliqua non verificetur. Haec autem conditio nedum in se cognita est Deo certissime, sed cognitum etiam est certissime Deo, utrum conditio illa in futuro verificabitur an non.

Quo posito, prophetiae comminationis non subest neque subesse potest falsum, quia ideo effectus praedictus non producitur, quia non erat producendus nisi verificata conditione apposita, quae quandoque non verificatur, eamque non esse verificandam, et consequenter effectum non esse producendum, Deus revelat prophetae. Id praecise evenit in exemplis adductis de *Jona* et de *Ezechia*. *Pronuntiaverat enim Isaias,* ait AQUINAS[1], *mortem futuram Ezechiae secundum ordinem dispositionis corporis et aliarum causarum inferiorum ad istum effectum; et Jonas subversionem Ninive secundum exigentiam meritorum; utrobique tamen aliter evenit secundum operationem Dei liberantis et sanantis.*

Si igitur prophetica denuntiatio de futuris sufficiens est fidei argumentum, quia, licet homines aliqua de futuris praecognoscant, non tamen de futuris contingentibus est praecognitio cum certitudine, sicut est praecognitio prophetiae; etsi

---

[1] *C. G.*, l. III, c. 155. Cf. etiam ZIGLIARA, *Propedeutica ad S. Theologiam*, l. II, c. XIV. S. HIERONYMUS *in expositione in Isaiam Prophetam* (Lib. XI, 38) rem ita explicat: *Ne elevaretur,* inquit, *cor Ezechiae post incredibiles triumphos, et de media captivitate victoriam, infirmitate corporis sui visitatur, et audit se esse moriturum; ut conversus ad Dominum flectat sententiam ejus. Quod quidem et in Iona propheta legimus et in comminationibus contra David: quae dicuntur futura, nec facta sunt, non Deo mutante sententiam, sed provocante humanum genus ad notitiam sui.*

enim aliquando fiat prophetae revelatio secundum ordinem causarum ad aliquem effectum, simul tamen vel postea eidem fit revelatio de eventu futuri effectus qualiter sit immutandus; sicut Isaiae revelata fuit sanatio Ezechiae, et Jonae liberatio Ninivitarum.

280) Merito proinde Concilium Vaticanum[1] scribit: *Ut fidei nostrae obsequium rationi consentaneum esset, voluit Deus cum internis Spiritus Sancti auxiliis externa jungi revelationis suae argumenta, facta scilicet divina, atque in primis miracula et prophetias, quae cum Dei omnipotentiam et infinitam scientiam luculenter commonstrent, divinae revelationis signa sunt certissima et omnium intelligentiae accommodata. Quare tum Moyses et Prophetae, tum ipse maxime Christus Dominus multa et manifestissima miracula et prophetias ediderunt; et de Apostolis legimus: Illi autem profecti praedicaverunt ubique, Domino cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis. Et rursum scriptum est: Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes quasi lucernae lucenti in caliginoso loco.*

---

[1] *Const. dogm. Dei Filius*, Sess. III *De Fide;* Denz. n. 1639.

SECTIO II

DE RELIGIONE CHRISTIANA IN SPECIE

PROOEMIUM.

281) Locuti sumus hucusque de possibilitate, congruentia religionis revelatae, et de morali necessitate inquirendi in religionem revelatam, quae est ab omnibus amplectenda.

Criteria proinde tam intrinseca, quam extrinseca statuimus quorum ope veritas revelationis dignosci possit.

Cum autem plurimae sint in mundo religiones[1] quae sibi divinam originem vindicant, restat ut iis notas et criteria tradita applicemus ad veram religionem a falsis discernendam.

[1] Religiones praecipuae de quibus investigatio fieri potest sunt *Christianismus* qui plusquam 400,000,000 hominum numerat; *Islamismus* qui 200,000,000 asseclarum habet; *Brahmanismus*, cum *Budhismo* et cum *Confucianismo* 600,000,000 hominum circiter computat. Animadvertendum est Schopenhauer et Renan erronee computasse usque ad 600,000,000 hominum Budhismo addictorum, putantes hanc religionem magis hominum indoli accomodatam esse. Hac vero seposita opinione Kuenen et Max Müller affirmant Budhismi asseclas esse ad 500,000,000, alii vero ad 200,000,00, vel etiam ad 150,000,000 hominum reducendos.

Notamus tamen quod hujusmodi numeri sunt approximativi, neque hac de re conveniunt periti. Juxta A. Schobel apud Droysen *Handatlas* 1886, p. 291 (haec mutuatus sum a clarissimo Tanquerey, op. cit., p. 106 in nota) numerantur in toto orbe terrarum: *Christiani* 442,351,000; *Mahumetani* 186,356,000; *Pagani* 92,182,340; *Budhistae* 447,969,780; *Brahmanistae* 187,947,450. Secundum O. Werner, *Orbis terrarum catholicus*, Friburgi Brisgoviae, 1890, p. 4, numerus orbis nostri incolarum 1,400,000,000 superat; e quibus 445,000,000 sunt *Christiani*: 210,000,000 *Mahumetani*; 448,000,000 *Budhistae, Confuciani* ac *Shamani*; 188,000,000

Ne autem hujusmodi investigatio nimium in longum producatur, examini religionem Chistianam subiicimus; haec enim religio, ipsis adversariis fatentibus, per universum orbem diffusa, splendidiore luce fulget et inter ceteras eminet sive doctrinâ, sive effectibus in ordine morali aliisque adminiculis, quibus concludere licet in religione christiana revelationem quaerendam esse.

Brahmanistae; Pagani 120,000,000; *Judaei* 6,800,000. — Tandem juxta V. GROFFIER, *Planisphère des Religions*, 1883, computantur *Christiani* 419,710,000; *Judaei* 6,890,000; *Mahumetani* 200,000,000; *Brahmanistae* 163,000,000; *Budhistae puri* 7,000,000; *Budhistae* et *Confuciani* 380,000; *Budhistae* et *Shamani* 35,900,000; *Pagani* 228,500,000.

Non erit inutile hisce census prospectibus addere recentiores Doctorum computationes, inter quas eminet prospectus quam E. FOURNIER DE FLAIX proposuit primo de religionum historia conventui universali Lutetiae Parisiorum habito anno 1900.

Totius orbis incolae, juxta JURASCHEK computationes anno 1887 ad 1,489,000,000 hominum ascendebant, eosque anno 1900 usque ad 1,550,000,000 hominum, succrevisse affirmat FOURNIER. — Ex hisce 391,000,000 Europam, 140,000,000 Americam, 811,500,000 Asiam 164,000,000 Africam, 46,000,000 Oceaniam occupant.

Ex FOURNIER computationibus anno 1887 haec praestabant, nempe *Christianismum* 477,800,000, *Confucianismum* 256,000,000, *Brahmanismum* 190,000,000, *Mahumetanismum* 176,000,000, *Budhismum* 147,900,000, *Taoismum* 43,000,000, *Shintoismum* 14,000,000, *Judaismum* 7,000,000, *Politheismum* 117,600,000 asseclarum numerasse.

Ab anno 1887 usque ad annum 1900 FOURNIER ostendit Christianismum 77,000,000 hominum circiter acquisiisse, ita ut modo in Europa ex *Catholicis* 172,000,000, ex *Protestantibus* 94,800,000, ex *Ortodoxis* 110,000,000 homiuum numerentur; in America ex *Catholicis* 67,500,000, ex *Protestantibus* 71,500,000; in Asia ex *Catholicis* 4,000,000, ex *Protestantibus* 1,600,000, ex *Ortodoxis* 12,800,000, ex *diversis confessionibus* 4,900,000; in Africa ex *Catholicis* 3,200,000, ex *Protestantibus* 2,790,000, ex *Ortodoxis* 30,000, ex *diversis confessionibus* 3,000,000; in Oceania ex *Catholicis* 7,000,000, ex *Protestantibus* 3,000,000.

Mahumetismus modo recenset 214,600,000 asseclarum; *Budhismus* 103,000,000; *Taoismus* 43,000,000; *Shinthoismus* 17,000,000; *Judaismus* 8,050,000; *Brahamanismus* 217,000,000; *Confucianismus* 269,000,000; *Politheismus* 122,650,000. — (Cf. *Ephem. Studi Religiosi*, ann. 2°, fasc. 3, pag. 246 sq.)

Hinc semel hac veritate constituta et probata, pronum erit reliquas omnes religiones, Christianae oppositas, respuere.

282) Cum autem religio christiana nihil aliud sit quam perfectio et implementum religionis tum *primaevae,* tum *mosaicae,* inquirendum nobis esset in divinitatem hujusmodi triplicis religionis. Verum haec methodus disputandi cum ad hodiernos errores confutandos non requiratur, investigationem nostram *directe ad religionem christianam* restringimus, contenti aliquando *incidenter* quaedam monere de religionis primaevae et mosaicae divinitate.

283) Agendum insuper nobis esset in primis de fontibus unde nostram derivamus demonstrationem, nempe de auctoritate historica evangeliorum; sed cum inferius tractatio de Scripturis sit exponenda, modo hanc auctoritatem veluti probatam sumimus, contenti hoc unum affirmare quod scilicet tum Patrum Apostolicorum testimonio, tum Ethnicorum et Gentilium et Judaeorum attestatione, uno verbo universali traditione, evangelia sunt historice fide digna.

284) Hoc supposito fundamento de veritate historica evangeliorum, probabimus divinam Jesu Christi missionem et intrinsecis et extrinsecis documentis; quorum priora respiciunt doctrinae excellentiam tum in se, tum in suis effectibus; postrema vero respiciunt vaticinia messianica, testimonium quod Christus reddidit de sua legatione, miracula Christi, Apostolorum legationem, Judaeorum et Gentilium testimonium, propagationem Christianismi.

Denique comparatione instituta religionem christianam inter et ceteras religiones, in hanc deveniamus conclusionem oportet, nempe religionem Christianam esse a Deo revelatam, et vere supernaturalem, eamque ab omnibus amplectendam.

285) Sin autem quaeratur qua vi gaudeant argumenta quibus ad praefatam conclusionem deveniendum est, dicimus ea gaudere *certitudine morali,* nempe eâ certitudine quae legibus moralibus nititur, nec potest plene percipi absque aliqua morali dispositione; requiritur enim ut ille qui in veram religionem inquirit, *careat praejudiciis,* sit

passionum mortificator, veritatis amator; quibus dotibus deficientibus inutiliter quis religionis studium aggreditur.

286) Quod vero argumenta moralia sufficiant ad veram religionem cognoscendam, eaque sint convenientia, exinde ostendimus: 1°) quod quaelibet scientia iis utitur argumentis quae sibi propria sunt. Jamvero cum religio christiana, pertineat ad *morales* scientias, nonnisi *morali* evidentia constare potest. 2°) Quod hujusmodi evidentia conveniens est, quia religio christiana cum sit ab omnibus cognoscenda, etiam ab indoctis et rudibus hominibus, iis debet proponi argumentis, quae non requirant scientificam demonstrationem, sed quae possint statim intelligi ab omnibus recto animi sensu et bona voluntate utentes.[1]

---

[1] Cf. OLLÉ-LAPRUNE, *La certitude morale;* IDEM, *La philosophie et les temps présent;* IDEM, *Le Prix de la vie;* G. CARO, *Philosophie et Philosophes,* p. 102–104; WARD, *Witnesses to the Unseen und other Essays;* DE SMEDT, *Principes de la Critique historique,* 1883, p. 66–67.

CAPUT I.

DIVINITAS RELIGIONIS CHRISTIANAE INTRINSECIS ARGUMENTIS PROBATUR.

287) Supposita auctoritate Evangeliorum, demonstrationem aggredimur de supernaturalitate religionis Christianae, eamque tanquam unice veram proponimus; aliis verbis ostendimus Christum Dominum vere fuisse Dei legatum.

Id autem assequemur duplici argumentorum adjumento, nempe per argumenta *intrinseca* quae doctrinae christianae excellentiam tum *in se,* tum *in suis effectibus* demonstrant, et per argumenta *extrinseca*, seu historica.[1]

A prioribus demonstrationem incipimus veluti a fundamento argumentorum historicorum, ostendentes Christianam religionem et *negative* et *positive* se veluti revelatam ostendere. *Negative* quidem quatenus nihil absurdi praesefert, *positive* vero quatenus optime humanae naturae, scilicet intellectus, voluntatis, et sensibilium facultatum legitimis aspirationibus respondet.

---

[1] Cf. Valsecchi, op. cit. lib. II, c. VIII, XII; Lacordaire, Confer., 45-73; Brugère, n. 48 sq.; Knoll, *Inst. theol. dogm. gener.* §§ 123-126; David, *De Eccles. Christi,* n. 20, sq.; Monsabré, *Quar.* 1890; De Broglie, *Histoire des Religions,* ch. X, p. 326 sq.; Ottinger, p. 607; Talamo, *Le origini del Cristianesimo ed il pensiero stoico;* Pesch, op. cit. vol. I, p. 150 sq.; Tanquerey, op. cit. vol I, p. 146 sq.; Cinti, op. cit. vol. I, p. 138 sq.; Semeria, *Dogma, Gerarchia e Culto nella Chiesa primitiva,* Lez. XV, XVI, XVII; De la Barre, *La vie du dogme;* Piepenbring, *I principii fondamentali dell'insegnamento di Gesù;* Ad. Harnack, *L'essence du Christianisme,* 1902; Loisy, *L'Évangile et l'Église,* etc. etc.

Quod si effectus exinde derivantes consideremus, nempe morum emendationem, societatis familiaris et politicae restaurationem; religionem christianam veluti a Deo revelatam retinere et amplecti cogimur.

Id autem praestabimus tribus distinctis articulis.

288) Ceterum, cum intellectus humanus multas veritates per se invenire possit, patet quod criteria interna sive positiva, sive negativa, non statim probant doctrinam christianam esse revelatam; haec autem criteria una cum argumentis extrinsecis ineluctabiliter probant.

Id tamen requirimus ad uberiorem veritatis demonstrationem, quia doctrina christiana, etiam in se sola considerata, adeo excellens apparet, ut, attentis naturalibus hominis conditionibus, ejus origo naturaliter explicari nequeat et sit proinde ad revelationem supernaturalem recurrendum.

ARTICULUS I.

EXCELLENTIA DOCTRINAE CHRISTIANAE IN SE CONSIDERATAE.

289) PROPOSITIO VIII. — *Religio christiana in se est excellens: eo enim doctrinarum, praeceptorum et salutarium institutorum complexu constat, ut intellectus, voluntatis et facultatum sensibilium aspirationibus optime respondeat.*

290) PRAENOTANDA. — Loquentes de excellentia doctrinae christianae, non solum doctrinas speculativas et theoreticas inquirimus; sed etiam practicas et morales; utraque enim ejusdem doctrinae pars, est veluti complementum et perfectio totius doctrinae christianae.

Nihilominus non negamus quosdam aliquando plurimi fecisse doctrinam theoreticam, aliquando vero practicam, id tamen erronee fecisse non ambigimus.

Hisce praemissis thesim probemus per partes.

291) PROBATUR PRIMA PARS. — *Religio christiana dogmatibus suis intellectus exigentiis optime respondet:* exhibet enim doctrinae summam *completam*, ab *errore immunem*, *harmonice unam*, et *omnium ingenio accommodatam*.

292) A) *Completam* inquam, quia exhibet omnium praecipuarum capitaliumque quaestionum, quae hominum philosophorumque mentem exagitant, solutionem; nempe perfectam tradit notionem de *suprema causa*, de *mundi origine, de hominis ipsius origine, natura, deque ejus ultimo fine,* denique *de mediis ad finem ipsum consequendum.*

1°) *Dei notitia.* — Doctrina catholica docet Deum, in se consideratum, esse supremam rerum causam, unum unitate naturae, verum ac vivum, *creatorem coeli et terrae, omnipotentem, aeternum, immensum, incomprehensibilem, intellectu ac voluntate, omnique perfectione infinitum; qui cum sit una singularis, simplex omnino et incommutabilis substantia spiritualis, praedicandus est re et essentia a mundo distinctus, in se et ex se beatissimus, et super omnia, quae praeter ipsum sunt et concipi possunt, ineffabiliter excelsus.*[1]

Docet insuper Deum, salva unitate naturae, quae incomposita est omnino indivisaque, esse trinum in Personis, quae sunt aequales inter se,[2] nempe Pater, Filius (Verbum) et Spiritus Sanctus.[3]

Denique docet quomodo Deus ad intra vivat, et ad beatitudinem sibi sufficiat.[4]

2°) *Mundi origo.* — Mundum a Deo ortum habere per creationem, ipsumque a divinâ Providentiâ conservari et ad finem dirigi tenet doctrina catholica, ostendens Deum mundum condidisse non ex necessitate et ad augendam suam beatitudinem, sed libero consilio, et ad perfectionum suarum manifestationem.[5]

---

[1] *Conc. Vat.* Sess. III, c. I.

[2] Cf. DENZINGER, nn. 24, 98, 115-117, 196, 202, 292, 294, 355, 880, 1782-83 etc.

[3] Vocabulum *Logos* esse a Platone depromptum, et mysterium Augustissimae Trinitatis deductum vel ab Aegyptiis, vel ab Indorum Trimurti nonnulli putant Rationalistae; horum autem opinamenta egregie de more refutat CINTI op. cit. vol. I fasc. IV, V.

[4] HARNACK, *L'Essence du Christianisme,* p. 134.

[5] Concilium Vatic. (loc. cit.) hanc ita exponit doctrinam. *Hic solus verus Deus, bonitate sua et omnipotenti virtute, non ad augendam suam*

Quae omnia circa mundi et creaturarum originem earumque gubernationem, ostendunt Dei bonitatem infinitam, Dei paternitatem erga creaturas, quas non amplius Deum metuere oportet, veluti judicem formidabilem, sed ipsum familiariter alloqui licet, per solemnem orandi formulam a Christo domino traditam: *Pater noster qui es in coelis.*[1] Hinc Christus[2] Dominus docet omnem sollicitudinem de crastino in Deum reponendam esse: *Ideo dico vobis,* inquit, *ne solliciti sitis animae vestrae, quid manducetis, neque corpori vestro, quid induamini. Nonne anima* (idest vita) *plus est quam esca, et corpus plus quam vestimentum? Respicite volatilia coeli; quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea: et Pater vester coelestis pascit illa. Nonne vos magis pluris estis illis? Quis autem vestrum cogitans potest adjicere ad staturam suam cubitum unum? Et de vestimento quid sollicitis estis? Considerate lilia agri, quomodo crescunt; non laborant, neque nent. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut unum ex istis. Si autem foenum agri, quod hodie est, et cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit quanto magis vos, modicae fidei? Nolite ergo solliciti esse dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Haec enim omnia gentes inquirunt. Scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis. Quaerite ergo primum regnum Dei,*[3] *et justitiam*

---

beatitudinem, nec ad acquirendam, sed ad manifestandam perfectionem suam per bona quae creaturis impertitur, liberrimo consilio, simul ab initio temporis, utramque de nihilo condidit naturam, spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam, ac deinde humanam, quasi communem ex spiritu et corpore constitutam. Universa vero quae condidit Deus providentia sua tuetur atque gubernat, attingens a fine ad finem fortiter, et disponens omnia suaviter.

[1] Cf. HARNACK, op. cit., p. 69 sq.

[2] *Matt.* VII, 25-34.

[3] Notandum est unum ex praecipuis capitibus doctrinae christianae, esse illud quod respicit *regnum Dei* super homines rectius et firmius statuendum juxta naturam et vim intellectus humani; hoc autem regnum non est regnum timoris, sed amoris et caritatis. (Cf. HARNACK, op. cit. p. 57; LOISY, *L'Évangile et l'Église,* 1902, p. 2–38; V. ROSE, *Études sur les Évangiles,* 1902. p. 84–126.) Ante Christi adventum idea

ejus: et haec omnia adjicentur vobis. Nolite ergo solliciti esse in crastinum. Crastinus enim dies sollicitus erit sibi ipsi; sufficit diei malitia sua.

Jamvero quisnam unquam ex sapientissimis philosophorum invexit talem doctrinam non solum de origine mundi a Deo, sed etiam de providentia Dei circa rerum gubernationem!?

Immo haec doctrina est aperte opposita veterum philosophorum doctrinae testante Christo Domino ipso: *Haec*

---

regni Dei erat *eschatologica* et quidem eschatologiâ terrenâ et quamplurima elementa hanc notionem perficiebant, scilicet elementa cosmologica et cosmogoniae transpositio, nationales affectus qui universi restaurationi conjungebant regni Judaici restaurationem, pietatis denique sensus vi quorum justitia divina ostendebatur veluti ultionem sumens de peccatoribus et proemia tribuens hominibus rectis. E contra in doctrina christiana cessat elementum nationale, locum praecipuum vero tenent elementa moralia et religiosa; elementum autem eschatologicum postremum obtinet gradum. Nihilominus acriter inter se critici contendunt de coordinatione, quae inter diversa elementa intercedit, et sunt qui putant Christi domini doctrinam eschatologiae apocalipticae principem dare locum; aliis vero, ut ecce HARNACK, persuasum est hoc unum essentiale esse doctrinae christianae, nempe peccatorum remissionem et cum Deo reconciliationem.

Antequam hanc quaestionem solvamus, incidenter monemus formulam *regnum coelorum*, quae saepissime occurrit apud Mattheum (XII, 28; XXI, 31, 43) et *regnum Dei* (cf. MARCUM et LUCAM) unum idemque significare, quamvis WEISS (*Lehrbuch der bibl. Theologie*, 6ª edit., p. 580) et HOLTZMANN (*Neu. Theol.*, I, 191) putent formulam *regnum Dei* initio adhibitam esse, et formulam *regnum coelorum* posterius invectam esse ad indicandum regnum transcendentale et supra-humanum, postquam Judaei coacti sunt nuncium mittere spei regnum terrenum possidendi. At merito DALMAN (*Die Worte Jesu*, p. 77) notat formulam *regnum coelorum* primitivam esse et loquendi modo Judaeorum aptissimam, et perfecte aequipollere formulae *regnum Dei*, verbum enim *coelum* adhibetur ab Evangelistis ad *Deum* indicandum: utraque proinde formula synonima est, quia, ut notat ipse DALMAN, *ce n'est pas la* βασιλεία *qui est décrite comme trascendante, mais le* βασιλεύς. Ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν *signifie le gouvernement de Dieu transcendant. Si le sens exacte de* βασιλεία *est* royauté *et non pas* royaume, *la formule* royauté des cieux, *ne peut signifier que* royauté de Dieu.

Posita hac quaestione de formula *regnum Dei*, dicimus hoc regnum excludere ideam materialem quam sibi efformarunt Judaei de regno coe-

enim omnia gentes inquirunt, quia persuasum erat ethnicis philosophis, paucissimis exceptis, Deum nullam de mundo curam habere.

3°) *Hominis origo et natura et finis.* — Insuper doctrina catholica docet hominem ortum habere ex communi parente, et animâ simul et corpore constitutum esse, ejusque animam esse corporis formam, eamque spiritualem, liberam, immortalem et ad aeternae vitae praemia destinatam.

Haec autem praemia aeterna nobis promerita esse a

---

lorum, et huic ideae materiali et politicae substituendam esse ideam regni spiritualis et universalis, itemque moralis, exurgentis a lucta contra malos spiritus (*exorcismi*), contra peccata. Et cum excludatur idea materialis hujus regni qui imminere putabatur, ponitur ejus adventus in tempore adeo indefinito ut sit regnum spei futurae, ad quem obtinendum fides, spes et caritas via sunt et a peccatis cor mundum. Hinc est quod poenitentia non est ipsum regnum coelorum, ut quibusdam placuit, sed conditio sine *qua non* quis in hujusmodi regnum introduci poterit (cf. MATTH. IV, 17). Cum autem dicimus regnum coelorum esse universale, quatenus Deus omnes homines vult salvos fieri, contendimus bona quibus ibi fruemur esse *collectiva* et in *communi* posita iis omnibus qui Deum diligunt; itemque *obiective* esse omnia bona supereminenter, quae includunt conditiones omnes quibus vita vere beata constare debet, nempe visionem Dei intuitivam, bona physica et moralia, exteriora et interiora.

Quum vero regnum coelorum sit regnum spei futurae, patet praedicationem evangelicam esse hujus regni praeparationem, non vero regni ipsius complementum. Haud merito proinde HARNACK (*op. cit.*, p. 57 sq.) contendit *regnum coelorum* esse bonum pure religiosum, consistens in unione hominis cum Deo et in peccatorum remissione, quia regnum coelorum est donum supernaturale, et nunquam ex tota Jesu Christi doctrina derivari potest ipsum confudisse remissionem peccatorum cum ipsa idea regni coelestis. Quod si quis opponat Lucam scribere: *Ecce enim regnum Dei intra vos est* (XVII, 20–21), respondemus hujusmodi verba diversimode interpretari, ut ecce *regnum Dei proxime manifestabitur vobis*, vel melius quod regnum Dei est *inchoative* apud nos per praedicationem evangelicam et per peccatorum remissionem non vero *terminative;* nullus enim locus evangelicus afferri potest ad opinionem HARNACK sustinendam. (Cf. LOISY, *op. cit.*, p. 22; *Studi religiosi*, ann. II, fasc. II, p. 168, 169).

Filio Dei, qui ut nos ab Adae peccato redimeret mediaque praeberet ad finem consequendum, homo factus est.[1]

Verum haec praemia si bona egerimus nos consecuturos esse una cum corpore e morte redivivo post extremum judicium fide tenemus, cum certum sit reprobos aeternis deputari suppliciis.[2]

---

[1] Cf. SEMERIA, *op. cit.*, p. 346, 347.

[2] Aliud ex praecipuis doctrinae christianae caput est de praetiositate animae humanae : Deus enim, ait S. Joannes, *sic dilexit mundum ut filium suum Unigenitum daret.* Non erit inutile ad rem referre quae scribit doctissimus Professor ADULPHUS HARNACK, qui licet sit Protestantismo addictus, res tamen scribit et docet notatu dignissimas: *Il a estimé l'homme comme ce qu'il y a de plus élevé quand il a dit :* « Que sert à l'homme de gagner le monde, s'il perd son âme ? » *Celui qui dit : « mon père » à l'être qui gouverne le ciel et la terre est placé, pour cette raison, au-dessus du ciel et de la terre, et il a plus de prix que tout l'univers. Mais cette sainte promesse revêt la forme d'une exhortation. C'est à la fois un don et un but. Combien l'enseignement des Grecs était différent ! Vraiment lorsque Platon a célébré l'âme, il l'a séparée du monde des phénomènes et lui a donné son origine éternelle. Mais là, il parlait de l'âme théorique qu'il plaçait en opposition avec la matière aveugle et obscure, et sa doctrine ne s'adressait qu'aux sages. Jésus s'adresse aux âmes des malheureux. Il appelle à lui tous ceux qui ont visage humain :* « *Vous êtes les enfants de Dieu, et non seulement vous avez plus de valeur que plusieurs passereaux, mais plus de valeur que le monde entier.* » *J'ai lu dernièrement que la valeur d'un homme véritablement grand consistait en ce qu'il avait fait monter celle de l'humanité. En fait, c'est l'œuvre même des grands hommes d'élever, c'est-à-dire de rendre plus effective la valeur de l'humanité, de cette humanité qui domine la nature inerte. Mais pour la première fois Jésus-Christ a enseigné la valeur de chaque âme humaine, et ce qu'il a accompli ne peut être détruit. De quelque manière qu'on se place à l'égard de Jésus, on ne peut nier qu'il n'ait été celui qui, dans l'histoire, a élevé l'humanité le plus haut.*

Au fond de cette estimation, il y a une transformation de toutes les valeurs. A celui qui se vante de ses biens, il crie : « *Insensé !* » *Mais à tous il dit :* « Celui qui perd sa vie, la gagnera. » *Il peut affirmer aussi :* « Seulement celui qui hait son âme la sauvera. » *C'est une appréciation du monde que beaucoup avant lui ont pressentie et qu'ils ont annoncée comme à travers un voile, ils ont eu un avant goût de la force libératrice qu'il y avait dans cette pensée. Mais le premier, il l'a exprimée aussi simplement aussi paisiblement et sûrement que si c'était une vérité qu'on pût cueillir sur un arbre.* » (p. 74 seq.)

Porro haec omnia quae doctrina catholica profitetur adeo apta sunt ad hominis intellectum illuminandum ejusque omnibus satisfaciendum indigentiis, ut ipsi Increduli et Rationalistae non dubitent affirmare omnes quaestiones de Deo, de origine et fine humani generis ut de mediis ad finem consequendum solum a doctrina catholica perfecte traditas esse.[1]

293) B) *Ab errore immunem.* — Si veterum philosophorum doctrinam consideremus, hoc nobis persuasum erit ipsos in plurimos errores lapsos esse, tum speculativos, tum practicos (ut n. 125 et sq. admonuimus); idque vitium nostris etiam diebus non effugi a philosophis incredulis quis facile dabit.

Verum si consideremus doctrinam christianam, sicuti Christus Dominus eam tradidit, Apostoli vulgarunt, Patres et Ecclesia interpretati sunt, ne minimum quidem errorem vel speculativum vel practicum nobis invenire licebit: est enim doctrina perfectissima.

Non negamus autem quaedam hujus doctrinae capita nobis a quibusdam veluti absurda opponi et secum invicem contradicentia, ut ecce mysterium *Trinitatis, peccatum originale, Incarnatio, Redemptio,* et alia hujusmodi; at merito hanc refellit difficultatem Concilium Vaticanum affirmans id oriri ex falsa dogmatum interpretatione: *« Inanis autem hujus contradictionis species inde potissimum oritur, quod vel fidei dogmata ad mentem Ecclesiae intellecta et exposita non fuerint, vel opinionum commenta pro rationis effatis habeantur. »*

Hinc concludere licet doctrinam christianam esse revelatam, quia nihil in ea invenitur falsi, inhonesti, nihil

---

[1] Cf. JOUFFROY, *Mélanges Philosophiques, Du Problème de la destinée humaine,* 1830, p. 330; GUIZOT, *Méditations;* HARNACK, op. cit. pag. 77. *De quelque façon,* ipse scribit, *qu'on se place à l'égard de Jesus et de sa mission, il faut reconnaître que dès lors la valeur de notre race a doublé; la vie humaine est devenue plus precieuse; nous avons estime davantage notre valeur réciproque. La reconnaissance pratique de la paternité de Dieu inspire le respect de l'humanité, qu'on le veuille ou non.*

quod pugnet cum veritatibus aliunde notis, vel cum bonis moribus; Deus enim, qui est et rationis et revelationis auctor, non potest secum pugnare.

294) Sedulo tamen hic animadvertendum est aliud esse aliquid esse *contra* rationem, et aliud *supra* rationem; qua distinctione admissâ, ultro ab omnibus concedendum est *mysteria,* quae in doctrina christiana continentur, utique excedere rationis captum, non vero ei contradicere.

Non est proinde concedendum, quod rationalistae volunt, nempe nullam admittendam esse doctrinam, priusquam *positive* perspectam habuerimus ejus cum recta ratione congruentiam.[2] *Hac enim ratione,* scribit PESCH,[3] *non solum impediretur fides mysteriorum, quae positive intelligi nequeunt, sed etiam tota utilitas revelationis destrueretur, cum revelatio ideo necessaria sit, quia communiter homines non possunt sufficienter in internam veritatem inquirere neque ab aliis hominibus sufficienter doceri.... Praeterea fides tollitur eo ipso, quod homines nolunt quidquam admittere, nisi quod et quatenus ipsi intellexerint. Itaque merito damnata est* doctrina GEORGII HERMES *statuentis dubium positivum esse basim omnis inquisitionis theologicae, et rationem humanam, quatenus positive intelligat internam veritatem dogmatum, esse unicum medium assequendi cognitionem supernaturalium veritatum.*[4]

295) C) *Harmonice unam.* — Quis enim non admirabitur perfectam unitatem qua singula dogmata inter se connectuntur? Quod adeo verum est ut unum doctrinae catholicae caput nequeat negari, vel saltem in dubium vocari, quin integrum aedificium destruatur.

---

[1] Séssio III, cap. 4, de fide et ratione, DENZ. n. 1645.

[2] Cf. DENZINGER, *Vier Bücher von der relig. Erkenntniss* 2, 291; KLEUTGEN, *Theol. der Vorz.* IV, n. 192; PESCH, op. cit. vol I, p. 151, n. 256.

[3] loc. cit.

[4] DENZ., n. 1486; Cf. S. TH., *S. C. G.* l. I, c. g. Verum hanc ab errore immunitatem facile doctrinae catholicae concedunt etiam nonnulli Rationalistae, ut ecce W. H. MALLOCK, (*Is life worth living*), ROMANES, et recentissime AD. HARNACK (*L'essence du christianisme*).

Hanc autem unitatem veluti centrum in Christo Redemptore, qui est petra angularis, habere, nemo non videt; haec enim de redemptione doctrina supponit SS. Trinitatis mysterium, in qua invenimus *Patrem* qui est amor qui peccatorum veniam dat; *Filium* qui est amor qui se pro peccatoribus immolat; *Spiritum* sanctum qui est amor qui sanctificat homines; itemque doctrinam supponit de *peccato originali, de impiorum justificatione* per applicationem meritorum Christi Domini, per *gratiae* infusionem, et per *sacramenta*, quae sunt media ad gratias consequendas; quam justificationis doctrinam denique excipit doctrina de glorificatione.

Verum non solum veritates speculativae secum invicem intime connectuntur, sed et practicae quae omnes ad haec duo capita reducuntur nempe ad *amorem Dei super omnia,* et ad *amorem proximi.*

Jamvero si consideremus philosophorum systemata, frustra hanc inquirimus unitatem quae mirabiliter elucet in doctrina christiana; est ergo concludendum hanc doctrinam vere revelatam esse.

296) D) *Omnium ingenio accommodatam.* — Quamvis doctrina christiana profundissima contineat mysteria; quae doctissimorum hominum singulis aetatibus mentem agitarunt, nihilominus adeo simplex apparet, ut etiam a rudibus hominibus et ab ipsis pueris totius doctrinae catholicae conspectus et summa tradi possit. Hinc merito notat S. Thomas:[1] *Nullus Philosophorum ante adventum Christi, cum toto conatu suo, potuit tantum scire de Deo, et de neces-*

---

[1] *Exposit. Symboli,* art. I. Hujusmodi doctrinae christianae omnium ingenio accommodatio ultro ab ipsis adversariis conceditur. Ipse HARNACK (*op. cit.* p. 75) notat quod proprium est Jesu Christi « d'énoncer les idées les plus profondes et les plus importantes, avec une simplicité si grande qu'on eût dit qu'il ne pouvait en être autrement, qu'elles étaient évidentes et qu'il semblait qu'il eût rappelé ce que tout le monde savait, parce que c'étaient des choses vivents dans le fonde de chaque âme. » Et alibi (p. 40): « Les images animent ses inseignements et les rendent accessibles même à l'esprit des enfants. »

sariis ad vitam aeternam, quantum post adventum Christi scit una vetula per fidem. Ergo doctrina catholica intellectus exigentiis respondet.

297) PROBATUR SECUNDA PARS. — *Religio christiana praeceptis et consiliis suis voluntatis et cordis aspirationibus optime respondet.*[1] Ut id assequatur duo requiri in comperto est, nempe requiritur ut tuta et completa agendi regula tradatur, et ut ad hujus regulae observantiam efficaciter homines inclinentur. Atqui utrumque in doctrina christiana invenimus. Ergo etc.

298) A) *Regulam tradit agendi tutam et completam* quia officia imponit quibus homo recte ordinatur erga *Deum*, erga *proximum*, erga *seipsum*.

1°) *Erga Deum* quidem, quatenus in religione christiana agnoscitur supremum Dei dominium supra omnes res creatas, neque Deus confunditur cum rebus inanimatis, vel cum Diis qui passionibus favebant uti apud ethnicos; sed adoratur in spiritu veritatis, cultu puro et ferventi, quo ad perfectiones Dei imitandas adducimur, juxta illud: *Estote ergo vos perfecti, sicut et Pater vester coelestis perfectus est.*[2]

Verum mundi spretum eo sensu proponitur ut non sit necesse quod omnes ad deserta loca confugiant solis herbis et aqua pro victu et potu contenti; sed tantum ut *utantur hoc mundo quasi non utantur.*[3]

2°) *Erga proximum* quem jubemur diligere sicut *nosipsos*, absque ulla distinctione Graeci et Barbari, Judaei et Gentilis, servi et liberi, quos omnes tanquam fratres in Christo adeo recognoscimus ut etiam inimicos ignoremus, eosque fraterna dilectione amplecti cogamur, ultro debita ipsis dimittentes sicut nobis a Deo debita nostra dimitti cupimus.[4]

---

[1] Cf. A. ROW, *The moral teaching of the N. Test. viewad as evidential to its historical truth*; TANQUEREY, op. cit. p. 151 et sqq.

[2] MATTH. V, 28.

[3] Cf. HARNACK, op. cit. p. 86 sq.

[4] Cf. SEELEY, *Ecce homo*, p. II, c. 14, p. 180; FISCHER, *The Grounds of theistic and christian belief*, c. 15, p. 379 sq.

3°) Cum autem dilectio proximi hominem inclinet primario ad dilectionem sui ipsius, deinde ad dilectionem familiae, denique societatis; hinc est quod doctrina catholica officia tradit hominis erga *seipsum*, ei ostendens dignitatem suam, cui veluti membrum Christi nefas est in veterem vilitatem redire degeneri conversatione; proinde est ei contra inordinatas animi passiones strenue luctandum, ut corpus et animam servet tanquam intemeratum Spiritus Sancti sacrarium; sunt pariter ab ipso virtutes colendae, quae propriae sunt Christianorum, scilicet *humilitas*, *oboedientia*, *castitas perfecta*, et *mortificatio* etiam in licitis.[1]

Erga *familiam* autem officia tradit docens quo amore invicem se coniuges diligant oportet, eo inquam amore quo Christus dilexit Ecclesiam; hinc matrimonium ad sacramenti dignitatem evehitur, abolitur et polygamia, et uxoris repudiatio, et divortium et conditio qua uxor tanquam res vel serva habebatur, ei concessa una cum liberis emancipatione quos et alere, et educare oportet.

Tandem erga *societatem* cum per doctrinam christianam doceamur revereri auctoritatem civilem quae sacratior et humanior facta est. Libertas et justitia promoventur et definitis ac aequis limitibus illa restringitur, jus gentium et humanae conventiones in pace et in bello perfectius agnitae suut, uno verbo caritas ita suadetur hominibus, ut sit forma omnium actionum humanarum.[2]

299) B) *Ad harum regularum observantiam efficaciter homines inclinantur.* — Et sane haec doctrina praesefert *perfectissimum exemplar*, scil. ipsum Christum Dominum, qui coepit facere et docere adeo ut cum perfectionis fastigium attigisset, merito potuit et seipsum, et Deum Patrem et Sanctissimam Trinitatem proponere ut perfectionis et sanctitatis exemplar: *Discite a me quia mitis sum et humilis corde;*[3] *exemplum dedi vobis, ut quemad-*

---

[1] Cf. LACORDAIRE, Confer. 21–22.

[2] Cf. HARNACK, op. cit., p. 96–126; MIGNE, *Démonstrations évangeliques*, tom. IX, p. 1203.

[3] MATTH. XI, 29.

modum ego feci vobis, ita et vos faciatis; estote[1] *perfecti sicut et Pater vester perfectus est.. diligite inimicos vestros... ut sitis filii Patris vestri, qui in coelis est, qui solem suum oriri facit super bonos et malos...;*[2] *ut sint unum sicut et nos unum sumus.*[3]

300) Doctrinam vero christianam efficaciam desumpsisse ab ipso Christi exemplo etiam increduli fatentur, quos inter RENAN et HARNACK;[4] qui postremus hoc reddit Christo Domino testimonium: *Cherchez dans l'histoire religieuse du peuple d'Israël, cherchez surtout dans l'histoire du monde entier ou trouverez-vous un messages de Dieu et du bien aussi pur et aussi grave que celui que nous entendons là, car la gravité et la pureté marchent ensemble? La source de sainteté était ouverte depuis longtemps, seulement on y avait jeté du sable et du gravier et les eaux en étaient troublées..... Mais avec Jésus, la source avait jailli fraîche et claire et s'était tracé un nouveau chemin à travers ce gravier, que les prêtres et les théologiens avaient amoncelé pour étouffer l'essentiel de la religion.... Les Pharisiens avaient enseigné que tout était contenu dans le commandement de l'amour de Dieu et de l'amour du prochain; c'étaient des paroles sublimes qui eussent pu sortir de la bouche de Jésus. Qu'en avaient-ils fait? Le peuple et surtout leurs disciples rejetaient ceux qui les prenaient au sérieux!* TOUT ÉTAIT IMPUISSANT ET PERNICIEUX PARCEQUE LES MOTS NE SONT RIEN; LA VIGUEUR RÉSIDE DANS LA PERSONNALITÉ QUI SE TROUVE DERRIÈRE LES MOTS. IL PRÊCHAIT AVEC AUTORITÉ, *non comme les Scribes et les Pharisiens. Telle était l'impression qu'il produisait sur ses disciples.*[5]

---

[1] JOANN. XIII, 15.

[2] MATTH. V, 44, 45, 48.

[3] JOANN. XVII, 22.

[4] Cf. RENAN, *Vie de Jésus*, c. 28; Cf. CHANNING, *Sermon on the Character of Christ's Works*, p. 302; HARNACK, op. cit. p. 52, 53.

[5] Quod autem Jesus Christus cum auctoritate docuerit, praecise ob sanctitatem vitae, idem Harnack recognoscit cum Christum Dominum exhibeat veluti omnium virtutum exemplar. Placet eruditissimi viri testimonium referre, quem, praejudicatis opinionibus remotis, tandem ali-

301) Cum autem exempla haud semper tantum efficaciae habeant ut homines ad virtutum praxim adducantur, merito doctina catholica sanctione efficaci praeceptum suorum implementum urget.

Quo fit ut ex una parte poenae intimentur iis quos Christum imitari piget, cum poenis sint deputandi aeternis,

---

quando in sinum Ecclesiae catholicae venire confidimus. En ejus verba (*op. cit.* p. 38 *sq.*) : « Il (scil. Christus) vivait dans la religion, et la religion était pour lui, vivre dans la crainte de Dieu ; sa vie entière tout ses sentiments et toutes ses pensées étaient en continuelle dépendance vis-à-vis de Dieu, et néanmoins, il ne parlait pas comme un exalté ou un fanatique qui ne voit qu'un point brillant, pour lequel s'évanouit le monde et tout ce qui dépend du monde. Il a formulé sa prédication et a regardé, d'un regard clair et pénétrant, la vie des grands et des petits qui l'entouraient. Il a déclaré qu'il ne servait à rien de gagner toute la terre, si on perdait le trésor de son âme, et pourtant il a manifesté sa tendresse et sa sympathie à tous les vivants.... Ses paroles, généralement formulées par sentences et par symboles, révèlent toutes les nuances du langage humain et tout les degrés des affections humaines. Il ne dédaigne ni les tons les plus amers de la plante, ni ceux des jugements irrités, pas même ceux de l'ironie ; mais c'est l'exception. Un recuillement toujours égal, concentré vers un même but, le pénètre. Il ne parle jamais en extese, et on trouve chez lui le ton prophétique. *Quoiqu'il doive accomplir la plus grande mission qu'on puisse imaginer, son œil et son oreille restent ouverts à toutes les impressions ; quelle preuve de paix intensive et de certitude intérieure!*.... Il y avait plus.... dans le fait de parler par image et par figures ; cette manière de s'esprimer, au milieu de la plus grande tension, témoigne d'un liberté intérieure et d'un repos de l'âme qu'aucun prophète n'a possédés avant lui. Son œil se repose avec joie sur les fleurs et sur les enfants, sur les lys de champs — Salomon dans toute sa gloire n'est pas vêtu comme l'un d'eux — sur les oiseaux du ciel et sur les passereux des toit. Le supra-terrestre (rectius « *supernaturale* ») dont il vivait, ne troublait pas pour lui ce monde ; non, il le rapportait au Dieu qu'il connaissait, et qui, à ses yeux, protégeait cette terre et la conservait : « Votre père dans le ciel le nourrit. » La parabole est la forme favorite de ses enseignements. Mais la parabole et la réalité se mêlent insensiblement l'une à l'autre. Lui qui n'avait rien où reposer sa tête, il ne parle pas comme quelqu'un ayant rompu avec tout, pas comme un pénitente héroïque, pas comme un prophète extatique ; mais au contraire, comme un homme qui a trouvé le repos et la paix de son âme, et qui peut consoler les autres. »

et coram omnibus hominibus de suis criminibus judicandi[1], ex alia vero parte non solum pax et gaudium promittitur iis qui fideliter executi fuerint Christi mandata, sed etiam praemia promittuntur aeterna et fruitio sempiterna visio-

[1] Superius (p. 230, nota 3) loquentes de regno Dei, vindicavimus regnum Dei esse regnum spei futurae, regnum nempe quod apud nos est inchoative per praedicationem evangelicam et per peccatorum remissionem. Nolumus tamen, ne in Protestantium opinionem incidatur de invisibilitate Ecclesiae, quod haec verba juxta mentem Loisy intelligantur, veluti si in praedicatione regni Dei elementum mere eschatologicum inveniri oporteat; hoc enim apertissime falsum est, quia licet aliquando Christus Dominus loquatur de regno eschatologico, quod erit complementum et perfectio praesentis regni, nihilominus saepissime sub idea regni Dei Ecclesiam a se fundatam intelligit, monente S. Gregorio *(Hom. XII in Evang. Matth.): Sciendum nobis est,* inquit, *quod saepe in sacro eloquio regnum coelorum praesentis temporis Ecclesia dicitur. De quo alio in loco dicit: Mittet Filius hominis Angelos suos, et colligent de regno ejus omnia scandala. Neque enim in illo regno beatitudinis, in quo pax summa est, inveniri scandala poterunt, quae colligantur.* Apertissima igitur a Christo Domino ponitur distinctio inter *regnum praesentis temporis et regnum spei futurae;* et de utroque regno est ejus praedicatio. (Cf. Matth., XXIV, 14; XXVIII, 19; XIII, 47-50; XX, 1-16; XX, 1-4; Marc., XVI, 15; IV, 26-29; Luc., XXIV, 47; XIII, 18-21; XIV, 15-24.)

Quod autem praedicatio Christi non se referat unice ad *regnum* spei futurae, sed etiam ad Ecclesiam, patet ex ipsis verbis quibus ipse eam instituit (Matth., XVI, 18, 19; XVIII, 17), quae verba immerito ab Harnack, (*Dogmengeschischte,* c. I, p. 69, n. 1), Weiss, (*Matthäus,* p. 394, *Anm.* 1), Resch, (*Aussercanonische Paralleltexte zu den Evangeliën,* II; *Paralleltexte zu Matthäus und Marcus,* pp. 185-196, 441, *ad Mt.* XVI, 17, 18); Réville, (*Les origin. de l'épisc.,* p. 32); Holtzmann, (*Neutest. Theol.,* I, p. 212, n. 4) supponi interpolata saeculo secundo, luculentissime ostendit Michiels, (*L'origin de l'Épiscopat,* pp. 23 sq.). Ad rem scribit clarissimus Semeria (*Dogma* etc., p. 249): « Questo regno di Dio sarà compito solo in cielo, al di là della tomba, e in questo senso è detto regno dei cieli. Ma il doppio senso *spirituale* e *avvenirista* del *regnum Dei,* non ne esclude il senso presente e sociale, cioè materiale esterno ». « È evidente, scrive lo Sterens protestante (*The Theologie of the New Testament,* p. 135) che la idea del regno è fondamentale e primeggia sovra ogni altra nello spirito di Gesù; ma è del pari evidente che egli riguarda una qualche forma esterna di associazione ed organizzazione, come essenziale a promuovere più efficacemente il regno di Dio sulla

nis Dei: *Et omnis qui reliquerit domum vel fratres.... centuplum accipiet et vitam aeternam possidebit.*[1]

302) Denique ad doctrinae christianae practicam observantiam et executionem non desunt supernaturalia auxilia gratiae, quae adeo elevat infirmae naturae vires, ut hae omnia possint in eo qui nos confortat, juxta illud Pauli: *omnia possum in eo qui me confortat.*[2]

Hinc est quod auxilio gratiae adeo innovamur interne, et eam cum Deo accipimus similitudinem, ut efficiamur *divinae consortes naturae*[3], et per charitatem *quam dedit nobis Pater, filii Dei nominemur et simus*[4]; cui *aliquando cum apparuerit similes erimus; quoniam videbimus eum sicuti est*[5], *facie ad faciem.*[6]

---

terra. Non si potrebbe dir meglio, e questo è appunto la Chiesa visibile. » (Cf. etiam BRIGGS, *American Journal of Theology*, 1900).

Hisce positis ad declarationem et perfectionem praefatae notulae, animadvertimus quod cum praedicatione regni Dei intime connectitur doctrina de *judicio finali*, ad cujus adventum homines per poenitentiam praeparari oportet.

Cum autem quaestio de Dei parusia sit valde obscura, neque facillime, uti contendit LOISY, solvi possit, non sollicite in rem inquirimus, contenti tantum affirmare hanc doctrinam de judicio finali una cum praedicatione regni Dei vim maximam coercitivam et morum reformatricem praeseferre.

Ad ea autem quae HARNACK docet (*Ess. du Christ.*, p. 58), nempe hanc de judicio finali ideam Christum Dominum mutuatum esse a traditione Judaeorum, opponimus Christum nunquam praejudiciis quae ejus aetate vigebant serviisse; eaque tantum a traditione Judaica deprompsisse quae originem habebant a primitiva revelatione; quisque enim facile dabit praedicationem evangelicam non esse doctrinae mosaicae abrogationem, sed complementum et perfectionem. Hinc est quod etsi detur ideam de judicio finali viguisse etiam ante Christi adventum, nihil inde inferri potest contra supernaturalitatem hujus doctrinae. (Cf. BONACCORSI, *L'essenza del Cristianesimo secondo il Prof. Harnack, Studi religiosi*, Anno III, fasc. 2).

[1] MATT., XIX, 29.
[2] *Ad Philipp.*, IV, 13.
[3] II[a] *Petri*, I, 4.
[4] I *Joannis*, III, 1.
[5] Ibid. III, 2.
[6] I *Corinth.*, XIII, 12.

Quae cum ita sint immerito jactatur a quibusdam difficultas practice observandi legem christianam. Virtutes, ipsi dicunt, a paucis coli possunt, et a plurimis praxis virtutum hypocrite simulatur. Sed omnis difficultas evanescere potest, et de facto evanescit per auxilium gratiae, dummodo docilis gratiae motionibus porrigatur voluntatis cooperatio, ut saepissime evenisse constat de iis hominibus qui virtutes heroico gradu professi sunt.[1]

303) PROBATUR SECUNDA PARS. *Religio christiana legitimis voluntatis et facultatum sensibilium aspirationibus respondet.*

Et sane cum voluntas ad bonum tendat veluti ad suum obiectum, ejus exigentiis satisfit quando religio christiana ei proponit Deum, bonitatem essentialem, summe diligendum et cordis affectu et practica suarum legum observantiâ, et exterioris cultus exercitio, qui per renovationem incruentam sacrificii crucis, per ritus, caerimonias, preces, cantus, et alia hujusmodi perficitur; quibus omnibus fit ut etiam facultates sensibiles acquiescant.[2]

Pariter religio christiana solatium praebet aerumnis et doloribus vitae, ostendens nobis quod si oportuit Christum pati et ita in gloriam suam intrare, multo magis oportet nos per miserias hujus vitae, peccatis debitas, praemia aeterna adipisci; et interea nobis gloriandum esse in cruce Domini nostri.[3]

Denique religio christiana sanctificat exercitium activitatis humanae; artes, scientias fovet ad Dei gloriam et hominum commodum promovendum, optime praeest evolutioni et incremento oeconomiae politicae. Paucis quidquid boni, veri, utilis habetur, efficaciter promovet ea insinuans hominibus Pauli verba: *De cetero, fratres, quae-*

---

[1] Cf. ZANGWILL, *N. American Review*, aprile 1895, p. 435.

[2] Cf. TANQUEREY, *op. cit.*, p. 154 sq.; CHATEAUBRIAND, *Génie du Christianisme*, p. 4, lib. I; WALLH, *Tableau des fêtes chrétiennes;* GUÉRENGER, *L'Année liturgique;* TALAMO, *op. cit.;* BOUGAUD, *Le Christianisme et les temps présents*, vol. I, c. 11–13.

[3] *Epist. ad Galatas*, c. VI, v. 14.

cumque sunt vera, quaecumque pudica, quaecumque justa, quaecumque sancta, quaecumque amabilia, quaecumque bonae famae, si qua virtus, si qua laus disciplinae, haec cogitate.[1]

ARTICULUS II.

EXCELLENTIA DOCTRINAE CHRISTIANAE IN SUIS EFFECTIBUS.[2]

304) PROPOSITIO IX. — *Religio christiana ex effectibus quos produxit in ordine intellectuali et morali ita individuum, familiam et societatem mirabiliter instauravit, ut divina demonstretur.*

305) PRAENOTANDA. — Quamvis haec quaestio esset expendenda una cum quaestione de mirabili religionis christianae propagatione, ob intimum, qui inter utramque quaestionem, nexum intercedit, nihilominus hic eam expendimus, quia ad divinitatem alicujus doctrinae vindicandam non sufficit ostendere ejus excellentiam *in se, absolutamque;* sed est etiam perpendenda ejus excellentia *relativa ad alios;* quatenus doctrinae ejusmodi effectus vim produnt insitam non ab humana exurgentem natura; ex fructibus enim dignoscitur arboris virtus.

Vis autem argumentorum crescit si consideremus doctrinam christianam ardua docere, et quaedam imponere hominibus quae insitae hominum naturae sunt opposita; ad quae exequenda auxilium superius necessarium est.

---

[1] *Epist. ad Philipp.*, IV, 8; cf. PÉRIN, *De la richesse dans les sociétés chrétiennes;* DESGRAND, *De l'influence des religions sur le développement économique des peuples;* A. ROW, *Moral teaching;* etc. etc.

[2] Cf. WILMERS, *De relig. revel.*, p. 559 sqq.; PESCH, *op. cit.*, p. 147; HURTER, *op. cit.*, vol. I, p. 94–96; TALAMO, *Le origini del cristianesimo*, passim; SCHWETZ, *Theol. fund.*, § 133; JUNGMANN, *op. cit.*, n. 282 sqq.; TANQUEREY, *op. cit.*, p. 156 sq.; BONAL, n. 228; SCHMIDT, *Essai hystorique sur la société civile dans le mond romain et sur sa transformation par le Christianisme;* G. BOISSIER, *La fin du Paganisme;* IDEM, *La religion Romaine*, vol. I, p. 42 sqq.; E. DE PRESSENSÉ, *La vie des Chrétiens au II^e^ et III^e^ siècles;* WEISS, *O. Pr. Apologie des Christenth. vom Standpunkte der Sitte und Cultur*, III, 1; etc. etc.

306) Nemo vero opponat etiam aliarum religionum doctrinas et praecepta aliquos bonos producere fructus; ultro enim concedimus aliquid boni extra religionem christianam effici posse, sed negamus penes ceteras religiones inveniri bona tam varia, tam ampla, tam eximia simul omnia, sicut inveniuntur in religione christiana.

Quae bona et *intellectualia* et *moralia* esse vindicamus; *intellectualia* quidem quatenus errores doctrinales removentur; *moralia* vero quatenus mores ita mutati sunt per religionis christianae doctrinam, ut omnino homo privatus, familia et societas civilis immutata et renovata sint.

Ut autem ostendatur reapse hanc immutationem evenisse, probandum in primis est revera errores viguisse et mores depravatos fuisse, iisque nullam potuisse ab hominibus praeberi medelam et sanationem.

307) Quod errores extiterint, moresque fuerint depravati, quaestio facti est; sufficit enim legere non solum quae Apostoli de hoc tradiderunt[1] et Patres[2]; sed etiam quae ipsi ethnici scriptores[3] passim affirmant, ut id nobis persuadeamus; simulque certi simus nullum hisce inconvenientibus potuisse ab hominibus afferri remedium.

---

[1] Cf. *Epist. ad Rom.*, I, 24; *I Cor.*, VI, 9.

[2] Cf. TERTULLIANUS, *Apol.*, cc. IX, XV, XLVI; CYPRIANUS, ep. I, n. 6; MINUCIUS FELIX, in *Octavio*, c. XXVIII, sq.: S. AUGUSTINUS, *De civ. Dei*, l. VI, c. 10; JUSTINUS, *Apol.*, p. 50.

[3] Cf. LUCAN., I, 565; SENECA, *De beat. Vitâ*, 27; CICERO, *De Legib.*, II, 8; IDEM, *De natura Deorum*, II, 2; IDEM, *Pro Milon.*; APULEJUS, *Metamorph.*, XI, 19, 21, 23; PLUTARC., *De Isid. et Osirid.*, II; IDEM, *Romulus*, XX; MACR., *Saturnal.*, I, 15; JUVENAL., *Satirae*, VI, 292–300; CATO, *Fragmenta*; POLYBIUS, *Historiae*, XXXII, 11; SALLUSTIUS, *Historiarum fragmenta*; MARTIALIS, *passim*; HORATIUS, *passim*; TIBULLUS, *Eleg.*, l. I, 4; CATULLUS, 48, 81, 99; VIRGILIUS, *Bucol.*, II; TACITUS, *Annales*, l. III, 25; XI, 25; IDEM, *De moribus Germanorum*; OVIDIUS, *Amores*, I, 8, 43; III, 4, 37; PLINIUS, *Historia naturalis*, XVII, 245; SVETONIUS, *Octavius*, 65; *Claudius*, 27; *Caligula*, 5; *Augustus*, 10; Cf. etiam, PRELLER, *Romische Mythologie*, *Dea Roma*, S. 705; IDEM, *Der Cultus der Genien*, 566–572; DURUY, *Histoire des Romains*, tom. V, c. 60, 61 seqq.; FOUARD, *S. Pierre*, cc. XV, XVI; SEMERIA, *Primo sangue cristiano*, etc. etc.

Hisce igitur veluti in comperto positis, ostendimus doctrinam christianam hanc vim sanatricem habuisse, et merito esse, veluti revelatam, ab hominibus existimandam.

308) PROBATUR I^a PARS. *Religio christiana divina demonstratur ex effectibus quos produxit in ordine intellectuali et morali.*

309) A) *In ordine intellectuali.* Statim ac coepit praedicari doctrina christiana, cultus deorum, qui singulis hominum passionibus favebant, quosve universus fere orbis terrarum inaniter colebat, coepit aboleri, ita ut non solum apud Christianos, sed etiam apud eos, qui revelationem christianam fide suscipere noluerunt, praevaluerit monotheismus, fides nempe in *unum Deum, patrem omnipotentem, factorem coeli et terrae.*

Plures enim ex ipsis Gentilibus una cum Christianis profiteri coeperunt *idola* non esse Deos[1], suasque fabulas ineptas esse, suis proinde mythis esse saniorem sensum substituendum, teste ARNOBIO, qui ita scribit[2]: *Quid sit istud,* inquit, *jam promptum est omnibus; nam quia talium scriptorum historiarumque vos pudet, nec aboleri videtis posse ea, quae sunt foede semel in commentarios relata, nitimini cohonestare res turpes, atque omnibus argutiarum modis pro rebus subditis verborum invertitis corrumpitisque naturas.*[3]

Huic reformationi et dogmatum praecipuorum restaurationi accesserunt omnes aliae notionum reformationes tum quoad Dei providentiam, tum quoad supremas animae humanae destinationes, tum quoad redemptionem generis humani: uno verbo quoad ea omnia, quae constituunt comple-

---

[1] Cf. ORIGENES, *Contra Celsum*, I, 5.

[2] *Advers. nat.*, V, 43.

[3] Quod post praedicationem evangelicam ethnici, licet in sua religione perseverantes, professi tamen sint monotheismum, refert OROSIUS, (*Hist.*, VI, 1): *Quidam,* ait, *dum in multis Deum credunt, multos deos indiscreto timore finxerunt. Sed hinc jam vel maxime, cum auctoritate veritatis operante, tum ipsa etiam ratione discutiente, discessum est.... Unde etiam nunc pagani, quos jam declarata veritas de contumacia magis quam de ignoratione convincit, cum a nobis discutiuntur, non se plures Deos sequi, sed sub uno Deo magno plures ministros venerari fatentur.*

xum veritatum tam speculativarum, quam practicarum quas Ecclesia catholica credendas et operandas praecipit, quasque nunc indocti et rudes etiam homines clare perspectas habent, dum e contra eas ethnici philosophi, licet doctissimi, vel penitus ignorabant, vel saltem cum errorum admixtione tradebant.

310) B) *In ordine quoque morali* doctrina christiana miram induxit mutationem, siquidem corruptos mores[1] hominum, qui pessimis quibusque vitiis indulgebant, adeo sanavit ut merito S. JUSTINUS scripserit: *Qui olim stupris gaudebamus, nunc castimoniam unice amplectimur; qui magicis etiam artibus utebamur, bono et ingenito nos consecravimus Deo; qui pecuniarum et possessionum vias omnibus antiquiores habebamus, nunc etiam ea quae habemus in commune conferimus, et cum indigentibus quibusque communicamus; qui mutuis odiis et caedibus pugnabamus, et cum iis qui tribules nostri non essent, communem focum et diversa instituta non habebamus, nunc postquam Christus apparuit, convictores sumus et pro inimicis rogamus.*[2]

311) PROBATUR II[a] PARS. — *Religio christiana divina ostenditur ex eo quod praeter hominem individuum, etiam familiam et civilem societatem mirabiliter instauravit.*

---

[1] Tempore quo religio christiana praedicari coepit mores corruptos fuisse, apertissime ab ipsis ethnicis scriptoribus traditur. *Ceterum abolitos patrios mores,* (ut unum vel alium audiamus) scribit TACITUS, *funditus everti per accitam lasciviam, ut, quod usquam corrumpi et corrumpere queat, in urbe visatur, degeneretque studiis externis juventus, gymnasia et otia et turpes amores exercendo, principe et senatu auctoribus; qui non modo licentiam vitiis permiserint, sed vim adhibeant.*

Idem apud SENECAM legimus (*De ira,* II, 8): *Omnia sceleribus ac vitiis plena sunt; plus committitur quam quod possit cōercitione sanari. Certatur ingenti quodam nequitiae certamine: major quotidie peccandi cupiditas, minor verecundia est. Expulso melioris aequiorisque respectu, quocumque visum est, libido se impingit. Nec furtive jam scelera sunt, praeter oculos eunt.*

Cf. etiam: JUVENALIS, *Satir.,* VI, 292-300; ARISTOPHANES, *Lysiastra,* 110; PLATO, *Symposium,* 191; LUCIAN., *Amores,* XVIII; *Dialogi meretricii,* V, 22; FOUARD, *S. Pierre,* c. XVI; GRISAR, *Roma alla fine del mondo antico,* vol. I; E. SIENKIEWICZ, *Quo vadis.*

[2] *Apologia,* I, 14.

312) A) Religionem christianam hominem individuum cum in ordine intellectuali, tum in ordine morali instaurasse nemo est qui ambigat; idque superius innuimus (n. 308-09). Immo per praedicationem evangelicam adeo mores christianorum immutati sunt, ut *castitas*[1] nempe, *patientia, caritas, humilitas* aliaeque omnes virtutes apud christianos gradu heroico exercerentur. Id causa fuit cur gentiles in christianos accusationes moverent. Querebantur enim quod

---

[1] Opponentibus castitatem etiam apud ethnicos floruisse, praesertim in vestalium virginum collegio, respondemus vestales fuisse numero paucissimas, easque ad virginitatem, a qua post certum exactum tempus recedendi potestas erat, poenis arctaque custodiâ adactas honoribus commodisque postea compensatas. Ad rem notat S. Ambrosius (ep. ad Valentinianum, 18, n. 11): *Habeant,* inquit, *Vestales virgines immunitatem suam. Dicant hoc, qui nesciunt credere, quod possit esse gratuite virginitas: provocent lucris, qui diffidunt virtutibus. Quantas tamen illis virgines praemia promissa fecerunt? Vix septem Vestales capiuntur puellae. En totus numerus, quem infulae vittati capitis, purpuratarum vestium murices, pompa lecticae ministrorum circumfusa comitatu, privilegia maxima, lucra ingentia, praescripta denique pudicitiae tempora coegerunt. Adtollant mentis et corporis oculos, videant plebem pudoris, populum integritatis, concilium virginitatis. Non vittae capiti decus, sed ignobile velamen usui, nobile castitati; non exquisita, sed abdicata lenocinia pulchritudinis; non illa purpurarum insignia, non luxus deliciarum, sed usus jejuniorum; non privilegia, non lucra.... Ponamus tamen subsidia largitatum conferenda virginibus. Quae christianis munera redundabant? Quod tantas opes sufficiet aerarium?* Quae verba consonant cum iis quae idem S. Doctor docet in libro primo de Virginibus (c. 4, n. 15): *Quis mihi,* ait, *praetendit Vestae virgines et Palladis sacerdotes? Qualis ista est non morum pudicitia, sed annorum; quae non perpetuitate, sed aetate praescribitur? Petulantior est talis integritas, cujus corruptela seniori servatur aetati. Ipsi docent virgines suas non debere perseverare, nec posse, qui virginitati finem dederunt. Qualis autem est illa religio, ubi pudicae adolescentes jubentur esse, impudicae anus? Sed nec illa pudica est, quae lege retinetur, et illa impudica, quae lege dimittitur. O mysteria, o mores! ubi necessitas imponitur castitati, auctoritas libidini datur. Itaque nec casta est quae metu cogitur; nec honesta quae mercede conducitur.... Conferuntur immunitates, offeruntur pretia; quasi non hoc maximum petulantiae sit indicium castitatem vendere. Quod pretio promittitur, pretio solvitur, pretio addicitur, pretio adnumeratur.* Cf.: PRUDENTIUS, *Adv. Symm.,* c. 2; NOURRY, *Diss. de M. Felicis Octavio,* c. 10; WEISS, *Apologie,* t. I, diss. 16.

ipsi se abstinerent a spectaculis, pompis, ludis circensibus etc.; simulque mirabantur si quando audirent christianum aliquem esse fraudulentum, immitem; quia, teste PLINIO, in christianorum vitam inquirente, hoc unum erat Christianis crimen, nempe quod solerent *stato die ante lucem convenire carmenque Christo quasi Deo dicere secum invicem, seque sacramento non in scelus aliquod obstringere, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum appellati negarent* (Ep. X).

Hanc laudem christianis tribuit etiam TERTULLIANUS, cum ad SCAPULAM Africae praesidem scribens, affirmat Christicolas non aliunde esse noscibiles, quam de emendatione vitiorum[1]; cumque ad acta provocans judicialia, romani imperii praesidibus haec opponit[2]: *Vestros*, inquit, *jam contestamur actus, qui quotidie judicandis custodiis praesidetis.... de vestris semper aestuat carcer, de vestris semper metalla suspirant, de vestris semper bestiae saginantur; de vestris semper numerarii noxiorum greges pascunt. Nemo illic christianus, nisi hoc tantum* (i. e. non propter aliud crimen, quam quod fidem profiteatur christianam), *aut si et aliud, jam non christianus* (aut si ibi est propter aliud crimen, certe defecit a fide christiana).

313) B) *Familiam instauravit.* — Semel moribus singulorum hominum castigatis, pronum erat et relationes, quibus societas familiaris coalescit reformari; proinde uxorum, filiorum, servorumque conditionem mutari.

Idque praecise praestitit praedicatio doctrinae christianae.

Et sane, si velimus veterum historias replicare, omnibus persuasum erit maximam fuisse patrifamilias collatam potestatem, ita ut posset pro lubitu uxores, quae omnino viri ditioni subiacebant, vel dimittere, vel morte afficere, non solum propter adulterium, sed etiam propter minoris ponderis crimina, ut ex. gr. propter ebrietatem. Immo

[1] *Apolog.* c. 2.
[2] Ibid. c. 44.

adeo viluerat uxorum conditio, ut hae, pessimis criminibus addictae, sui corporis quaestum facerent et lenocinium profiterentur; hinc eveniebat ut divortia communissima fierent. Nil igitur mirum si traditum accepimus Catonem avaritiâ uxorem suam Marciam Hortensio locasse, eamque divitem factam, post obitum Hortensii iterum assumpsisse; Ciceronem uxori suae libellum repudii dedisse, ut creditores suos pacaret dote novae uxoris Publiae, quam postea vano praetextu dimisit[1]; Augustum, in coërcendis adulteriis tam sollicitum, alienarum uxorum corruptorem fuisse, plurimasque concubinas habuisse, sibi undique ab uxore conquisitas; ipsumque habuisse concubinatum pro legali institutione.[2]

314) Neque melior filiorum familias dici poterat conditio, in quos jus vitae necisque pater habebat, cum posset eos pro libitu vendere, in carcerem conjicere, omni poenarum corporalium genere afficere, immo etiam necare tum ob crimina ab ipsis admissa, tum ob corporis deformitatem. In lege enim duodecim Tabularum statutum legimus: *Pater insignem ad deformitatem puerum necato;* cujus legis rationem addit Seneca scribens: *Portentosos foetus extinguimus, liberos quoque, si debiles monstrosique editi sint, mergimus;* NON IRA, SED RATIO EST A SANIS INUTILIA SECERNERE.[3]

Haud aliter et Graeci agebant, eadem enim lex circa infantes moncos vel debiles vigebat. *Abolendis autem,* scribit Aristoteles[4], *alendisque foetibus esto lex, ut nihil alatur moncum et debile. Propter multitudinem autem liberorum, quosdam foetus abolere oportet.... quod si quibus fuerit aliquid praeterea genitum, abortionem facere conveniet.*

315) Haud satis. Dum continentes pugnae haberentur ad libertatem publicam tutandam, nulla erat privatorum ho-

---

[1] Plutarcus, *Vita Catonis, Vita Ciceronis.*

[2] Svetonius, *Augustus,* 71. Cf.: Serafini, *Istituzioni di Diritto Romano;* Lecky, *History of European morals,* vol. II, c. 5, p. 305, sq.; P. Bonfante, *Istituzioni di Diritto Romano,* p. 136 sq.

[3] *De irâ,* l. I, c. 15.

[4] *Politic.,* l. VII, c. 14.

minum libertas, quo fiebat ut servi non *personae* sed *res* existimarentur, de quibus uti de quacumque re inanimata et de pecoribus dominus disponere poterat juxta illud juris principium: *in servum nihil domino non licet; nulla in servum injuria cadit.* In servos, quorum neque agnoscebatur matrimonium, sed tantum *contubernium*[1], omnia poterat paterfamilias, quos catenatos plerumque servabat, morbososque senioque confectos vel dimittebat, vel pro lubitu necabat[2]; eisque de fuga suspectis collaria ferrea[3] imponebat, et infamiae notâ eorum frontes signabat.

Omnes proinde legimus contra servos adhibitas fuisse saevitias, ut impleretur quod scribit Seneca: *In servos superbissimi, crudelissimi, contumeliosissimi sumus.*[4]

316) Porro hisce omnibus familiae malis medendis studuit religio christiana 1°) cum feminei sexus conditionem ad pristinam revocavit dignitatem, statuens matrimonii *unitatem, indissolubilitatem, sanctitatemque*[5]; commendans

---

[1] Julius Paulus haec refert: *Inter servos et liberos matrimonium contrahi non potest, contubernium potest.* (*Recep. sent.*, tit. 19, § 6.)

[2] *Paterfamilias,* ait Cato (*De re rustica,* c. 2) *vendat boves vetulos,... plaustrum vetus, ferramenta vetera,* servum senem, servum morbosum, *et si quid aliud supersit vendat.*

[3] Collaria ferrea servorum collo imposita *bullae* vulgo dicebantur; praecise ob laminam aeneam ab ipsis pendentem.

Quamplurimas, praesertim in romanis excavationibus, servorum bullas detegimus, quae sunt plurimi faciendae ob fere infinita quae nobis offerunt vel historica vel topografica indicia; in bullis enim fere semper incisas invenimus inscriptiones. Unam vel aliam recolere non erit supervacaneum. In quadam bulla legimus: Bulla, tene me ne fugia *(sic);* in altera: Januarius dicor, servus sum dextri exceptoris senatus qui manet in regione quinta in area macari; in alia: Revoca me in foro Trajani in purpuretia ad Paschasium dominum meum. (Cf. De Rossi, *Bollettino archeologico,* anu. 1874, p. 56, 57; Marucchi, *Eléments d'Archéologie chrétienne,* passim; Zaccherini, *Lessico Ecclesiastico* (Ed. Vallardi, art. *Bullae di servi fuggitivi*).

[4] Cf. Seneca, ep. 47; Juvenal, sat. VI; Valerius Maximus, l. VI, c. 8; Tacitus, *Annal.*, l. XIV, c. 44; Pignorius, *De servis et eorum apud veteres ministeriis,* p. 14-15; Wallon, *Histoire de l'esclavage,* vol. II, p. 293.

[5] *Epist. ad Ephes.*, V, 21-33; *ad Rom.*, VII, 2-3.

mulieribus ut, ad Virginis Deiparae[1] imitationem, quae cum virginitate maternitatis junxit honores, castitate, modestia, omnibusque praeclaris fulgeant virtutibus, ac praesertim se se in caritatis exerceant operibus.[2]

2°) Cum de filiis statuit maximam esse ipsorum curam habendam, praedicans paratum ipsis regnum coelorum, eorumque Angelos in coelis semper faciem videre Patris.[3] Hinc factum est ut maximo in amore et reverentia habiti sint pueri, praesertim si debiles aegrotique extiterint; ut abortum, quod apud ethnicos frequens erat, a christiana religione non solum ut inhumanum, sed etiam ut verum homicidium efficaciter, gravissimis etiam poenis statutis, reprobaretur[4]; pariterque, uti LACTANTIUS[5] testatur, nefas esset pueros recens natos vel exponere vel recidere.

3°) Cum denique servitutis rigorem temperare, et sensim sine sensu extinguere sategit; in mentem hominum revocans quae Christus dominus docuerat, omnes nempe homines filios esse ejusdem Patris caelestis, omnesque pariter esse haeredes Dei. Quam Chisti Domini doctrinam fusius passim in suis epistolis tradidit S. Paulus[6] scribens: *Non est Judaeus, neque graecus: non est servus, neque liber...*

---

[1] Cf. LECKY (op. cit., vol. II, p. 369 sq.) qui affirmat cultu B. Virginis, feminarum virtutes mirum in modum excultas fuisse.

[2] Notatu digna sunt quae accepimus de viduis christianis et de diaconissis, quae prioribus Ecclesiae saeculis floruerunt, quaeque maximis virtutibus enituere, magnosque labores ad Ecclesiae bonum functae sunt. (Cf. *Epist. ad Rom.*, XVI, 1; TERTULLIANUS, *De virg. ad uxorem*, l. I, c. 7; IDEM, *De velandis virgin.*, IX; *Constitution. Apost.*, III, 7; EPIPHANIUS, *Haereses*, 79; THOMASSIN, *Discipline de l'Église*, l. I, 52; DE ROSSI, *Boll. Arch.*, 1886, p. 90; DUCHESNE, *Origines du culte chrétien*, c. X, § 1; ZACCHERINI, *Lessico Eccles.* « *Diaconesse* ».

[3] Cf. MARC., X, 14; LUCAS, XVII, 1; XVIII, 16; MATTH., XVIII, 6-10.

[4] Cf. LECKY, *op. cit.*, vol. 2, p. 20 sq.

[5] *De divinis Instit.*, l. VI, c. 20: *Ergo*, ait, *ne illud quidem concedi aliquis existimet ut recens natos liceat oblidere, quae vel maxima est impietas; ad vitam enim Deus inspirat animas, non ad mortem.... Tam igitur nefarium est exponere quam necare.*

[6] *Epist. ad Galat.*, III, 28. Cf.: *Ad Coloss.*, III, 11; *Ephes.*, VI, 9; *I Corinth.*, XII, 13; *Ad Philem.*, v. 16.

omnes enim vos unum estis in Christo Jesu. Merito proinde Apostolus hortatur fideles ut servos tamquam fratres recipiant, cujus rei rationem addit LACTANTIUS: *Apud nos*, inquit, *inter servos et dominos interest nihil, nec alia causa est cur nobis invicem fratrum nomen imponamus, nisi quia pares esse nos credimus. Nam cum omnia humana non corpore sed spiritu metiamur, tametsi corporum sit diversa conditio, nobis tamen servi non sunt, sed eos et habemus et dicimus spiritu fratres, religione conservos.*

Ex hoc principio de conditionis aequalitate, quia omnes Dei filii nominamur et sumus, servorum emancipationi via sternebatur Hinc videmus, statim post religionis christianae praedicationem, Ecclesiam, licet nondum leges ad rem edixerit, manumissionem servorum inter pietatis opera recensuisse, quibus, praeter cetera, mortuorum animas adiuvari apud Deum tenebat. Quamobrem fieri mox coepit ut christiani passim servos suos dimitterent, sive in diebus festis celebrioribus, uti de HERMETE legitur in Actis S. ALEXANDRI, sive in funeribus, uti quaedam etiam habent inscriptiones sepulcris incisae.[1]

Conditio porro ipsa servorum obsolevisse visa est apud Christianos, qui, ut monet cl. DE ROSSI, in epitaphiis suis rarissime *servilis* vel *libertini generis* mentionem faciunt, cum fere semper, ad veteris servitutis vestigia tollenda, servos manumissos vocent *alumnos.*[2]

Paucis, a die quo religio christiana praedicari coepit ad nostra usque tempora, nulla cura, nullum non omissum opus ad servitutem radicitus evellendam, ad principia humanitatis inculcanda, ad abusus reprimendos, ad hominum aequalitatem insinuandam, ita ut, salva tamen ordinum

---

[1] BOLDETTI, (*Osservazioni sopra i Cimiteri dei Santi Martiri ed antichi Cristiani di Roma*, p. 306) affert epitaphium puellae referens a parentibus in ejus morte septem servos libertate fuisse donatos.

[2] Cf. ARMELLINI, *Il Cimitero di S. Agnese*, p. I, c. IX; DE ROSSI, *Roma sotterranea*, vol. III, p. 138 sq.; ALLARD, *Les esclaves chétiens;* LE BLANT, *Inscr. chrét. de la Gaule*, tom. II, p. 596; SEITZ, *Die Apolog. des Christ.;* CINTI, *Hist. Eccels.*, vol. I, p. 141 sq.; ZACCHERINI, *Less. Eccl.*, art. « *Alumni* ».

inaequalitate, omnes se se mutuo diligerent, se veluti fratres considerantes.[1]

317) C) *Societatem civilem restauravit.* Ad societatis restaurationem praeter morum emendationem, quae est restaurationis ipsius fundamentum, duo requiruntur, nempe tuitio *juris civilis* et tuitio *juris gentium.* Porro utrique juri tuendo promovendoque studuit religio christiana. Et sane: 1°) Ad jus civium vindicandum statim enixe intendit in tyrannidem, quae saepius apud ethnicos viguit, evellendam, libertatemque individualem vindicandam. Hinc principium « *quod principi placuit legis habet vigorem* » vi cujus reges non subditorum, sed proprium sibi proponebant bonum, veluti injustum abolevit, docens *omnem potestatem esse a Deo*, eamque unice gerendam in utilitatem populorum et civilium societatum, voluitque eos, qui in societate civili gererent principatum, imaginem quandam divinae in genus humanum potestatis divinaeque providentiae referre.[2] Voluit igitur imperium justum esse, neque herile, sed quasi paternum, quia Dei justissima in homine potestas est et cum paterna bonitate conjuncta; revocans in principum mentem quod si delabantur in dominatum injustum, si importunitate superbiave peccaverint, si male populo consuluerint, sibi aliquando rationem Deo esse reddendam, idque tanto severius, quanto vel sanctiore in munere versati sint, vel gradum dignitatis altiorem obtinuerint. Pariter docuit majestatem imperii reverentia civium honesta et libenti

[1] Hujus studii, quo religio christiana ad servitutem tollendam semper enixe adlaboravit, insigne sunt documentum litterae Encyclicae quas Summus Pontifex Leo XIII data occasione in lucem edidit, ut ecce *Litterae* ad Card. Lavigerie, encyclicae *De conditione opificum, Rerum novarum*, et *Graves de communi*. Cf. Mohler, *Bruchstücke aus der Gschicte der Aufhebung der Sklaverei;* Wallon, *Histoire de l'esclavage dans l'antiquité;* Ozanam, *La civilisation au V^e^*, S., I, p. 200 sq.; A. Cochin, *L'abolition de l'esclavage;* Balmès, *Protestantism and Catholicity compared in their effects on civilization*, c. 15-19; Lighfoot, *Commentary on Philemon;* P. Schaff, *Christ and Christianity*, p. 184-212; Semeria, *Dogma etc.*, p. 215 sq.

[2] Cf.: Leo XIII, Encycl. *Immortale Dei;* Bonomelli, *Ogni potere è da Dio per il bene del popolo.*

prosequendam. *Etenim,* utar verbis LEONIS XIII (cit. Encycl.) *cum semel in animum induxerint, pollere, qui imperant, auctoritate a Deo data, illa quidem officia justa ac debita esse sentient, dicto audientes esse principibus eisdemque obsequium ac fidem praestare cum quadam similitudine pietatis, quae liberorum est erga parentes*: Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. *Spernere quippe potestatem legitimam, quavis eam in persona esse constiterit, non magis licet, quam divinae voluntati resistere: cui si qui resistent, in interitum ruunt voluntarium.* Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit: qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.[1] *Quapropter obedientiam abjicere, et per vim multitudinis rem ad seditionem vocare est crimen majestatis neque humanae tantum, sed etiam divinae.*[2]

---

[1] *Ad Rom.*, XIII, 1.

[2] Sunt nonnulli, quos inter RAPHAEL MARIANO in opera cui titulus: *Primato del Romano Pontefice. Istituzione divina?* (p. 89 sq.), et TOLSTOI, qui docent Christum Dominum quamlibet auctoritatem adversatum esse, innixi iis LUCAE verbis (XXII, 25): *Reges gentium dominantur eorum: et qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. Vos autem non sic: sed qui major est in vobis, fiat sicut minor; et qui praecessor est, sicut ministrator.* Haec autem verba nullam excludere auctoritatem evidens est, sed potius ad eo tendere ut doceant eos, qui auctoritate praesunt, humilitate et amore praeesse, non vero superbire neque sibi unice quaestum lucrumque quaerere. Caeterum reges reverendos esse apertissime docuit Christus Jesus quando jussit esse Caesari reddenda quae sunt Caesaris, et Deo quae sunt Dei. Ad hanc difficultatem solvendam, egregie de more notat SEMERIA (*Dogma* etc., p. 233): *Gesù non solo ha liberata l'autorità da ogni ombra di spensierato egoismo, ma noi pure dal giogo di una pagana servilità. I re delle genti spadroneggiano e i loro sudditi li adulan — dal Cristo in poi ogni autorità, e più e meglio quella che è fra tutte la più vicina a Lui, l'autorità serve al bene sociale e i sudditi liberamente la rispettano, figlialmente la amano. Chi comanda non perde la coscienza di tutto ciò che in questa parola* uomo *v'è di umiliante: e chi ubbidisce non dimentica quanto v'è in questa qualità d'uomo di dignitoso. Sugli uni e sugli altri si erge grande la figura di Dio, a cui chi sta in alto del suo comando, e chi sta in basso dovrà rendere conto della sua obbedienza.*

Se vogliamo entrar davvero nelle intenzioni del Cristo e far sì che la realtà vi corrisponda o troppo non se ne disformi, non dobbiamo voler distrutta l'autorità; ma dell'autorità formarci quel concetto che il Cristo ne ebbe.

Semel ordine constituto vi cujus essent *incolumia civium jura, eademque divinarum, naturalium, humanarumque legum patrocinia defensa,* simulque essent *officiorum singulorum cum sapienter constituta descriptio, tum opportune sancita custodia,* facile intelligimus cur statim post praedicationem religionis christianae, floruerint caritas mutua, benignitas, liberalitas. Hinc est, quod dum ubique fundari videmus caritatis instituta pro orphanis, expositis, infantibus, pro senibus[1]; ex altera vero parte videmus

[1] Praecipuum indicium ad christianos cognoscendos sunt opera caritatis, in quae praesertim Ecclesiae initio omnino addictos eos videmus, ita ut *caritas* extiterit quodammodo *forma* societatis christianae. Cf. CHASTEL, *Études historiques sur la Charité;* TOLLEMER, *Origines de la Charité catholique;* FR. DE CHAMPAGNY, *De la Charité chrétienne dans les premiers siècles de l'Église;* BALUFFI, *La Chiesa romana riconosciuta alla sua carità,* etc., etc.

Veterum christianorum memorias recolenti statim occurrent per multa caritatis opera ab Ecclesia instituta ad pauperum necessitates sublevandas, quae inter eminent *agapes.*

Circa *agapes* istas, quae, juxta verba S. AUGUSTINI (*Contr. Faust. Manich.,* XX, 20) *paupereś pascunt, sive frugibus, sive carnibus,* acriter inter se disputant hodierni critici.

Nonnulli, quos inter praecipuum locum obtinent ARMITAGE ROBINSON (*La Church Quarterly Review*) et PETRUS BATIFFOL (*Études d'histoire et de théologie positive,* p. 286 sq.; *Revue biblique.* ann. XII, p. 213) contra eam quae usque modo invaluit opinionem, docent *agapes* non fuisse convivia ab Eucharistia distincta, sed idem *agapes* significasse ac Eucharistia, idque probant innixi verbis Apostoli PAULI (I *ad Cor.,* XI) et TERTULLIANI (*Apolog.,* 39). Juxta ipsos igitur nomen *agape* initio ad hoc unum significandum adhibitum fuit; postea vero translatum fuit ad *dilectionem* indicandam; et quoniam fideles ad sacram synaxim convenientes *modicam unusquisque stipem* conferebant ad pauperes, orphanos, naufragos et captivos sublevandos, factum est ut saeculo quarto nomen *agape fratrum* plura significaverit, nempe *coenam eucharisticam, dilectionem,* et pro indigentibus *collectam* et *eleemosinam.*

E contra J. F. KEATING (*The agape and the eucharist in the early Church;* et *Guardian,* 24 decem. 1902), FUNCK (*L'Agape — Revue d'histoire Ecclésiastique,* Louvainè, 15 jan. 1903), MIGNIEN (*Revue biblique,* 1902, p. 406-407) putant *agapes* fuisse convivium quoddam liturgicum ab Eucharisticâ coenâ prorsus distinctum.

Maximi ponderis sunt in utramque partem allata argumenta, quaestionem proinde insolutam relinquimus vota nuncupantes ut eruditissimi

omne crudelitatis vestigium, qua homines praesertim ex *gladiatorum scholis* et ex hominum internecione summum captabant delectamentum et voluptatem, sensim sine sensu prorsus deletum.[1]

2°) Ex juris civium aequa recognitione sponte fluxit etiam *juris gentium* restauratio, siquidem relationes inter populos non caedium spoliationumque desiderio, non vi, sed aequitate moderari coeperunt, quatenus omnes homines paulatim assueverunt se tamquam fratres recognoscere, rati se omnes veluti unam efficere rempublicam cujus supremum Deus obtinet imperium; ex quo factum est ut *jus gentium* sive in pace sive in bello agnitum sit, fidesque in pactis conventionibusque melius servata.[2]

318) Opponentibus vero etiam post praedicatam religionem christianam populos fuisse continenti bello vexatos, respondemus id aliquando evenisse vel ob barbarorum incursiones, ad quos reprimendos maxime intenderunt Romani Pontifices[3], vel ad vim injustam repellendam juraque propria civitatumque servanda.

---

critici hinc inde pro veritate decertantes tantum afferant lucis ut prior vel altera sententia possit tuto ab omnibus amplecti.

Cf. praeter citatos auctores KRAUSS, in *Realencyklopëdie der christl. Alterthümer*, art. *Agapen*; SEMERIA, *Venticinque anni di storia del Cristianesimo nascente*, p. 109; ZACCHERINI, *Lessico Ecclesiastico*, art. *Agapi cristiane*; BATIFFOL, *Dictionnaire de théologie*, art. *Agapes*; *Studi Religiosi*, ann. II, p. 465.

[1] Cf.: DION. CASSIUS, lib. 66; MARTIALIS, *De spectaculis*; SVETONIUS, *Claudius*, 34; JUVENAL., *Satir.* III, 36-37; VALERIUS MAXIMUS, II, 4, § 7; SENECA, *De brevitate vitae*, c. XXXI, ep. 9; THEODORETUS, *Hist. Eccl.*, l. V, c. 26, etc. etc.

[2] Ad rem intimius cognoscendam juverit recolere quae veteres egerint victores, quaeve aliquando fuerint bellandi causae, quidve Ecclesia statuerit ad bella minuenda. Utiliter proinde consuli possunt quae ethnici tradiderunt scriptores, ut ecce LIVIUS (*Dec. I*, l. 5, c. 2, 22; *Dec. V*, l. 5 et alibi passim), SALLUSTIUS (*Bell. Catil.*), TACITUS (*Annal.*, l. I, 51; II, 21); quidve postea decreverit Ecclesia per decretalem *de Treugâ et pace* (*Dec.*, l. I, tit. 34). Cf. BALMÈS, *op. cit.*, c. 32; MONTESQUIEU, *Esprit des Lois*, l. XXIV, c. 3; SANCHZ, *A cristian Apology*, vol. II, p. 238 sq.

[3] Cf. GRISAR, *Storia di Roma e dei Papi nel medio evo.*

Denique animadvertendum est injustitias, si quae aliquando adfuere, vitium esse hominum qui a bono rectoque tramite haud raro deficiunt, non vero Ecclesiae, quae docuit justitiae semitas semper et ubique sectandas.

Nemo tamen negabit quod si Ecclesia bella minuere non potuit, id tamen obtinuit ut mitiori animo, et, quoad potuit, cum moderamine quodam fierent; quare merito concludimus religionem christianam fuisse vitae magistram, vitiorum expultricem, virtutum foecundam parentem, privatosque homines non solum, verum etiam familiam, civilemque sociatem instaurasse.

ARTICULUS III.

DOCTRINAE CHRISTIANAE DIVINA ORIGO.

319) PROPOSITIO X. — *Religio christiana vere revelata est, nempe Deum habet auctorem.*[1]

---

[1] Cf. BRUGÈRE, nn. 32, 50, 51; DAVID, *De Ecclesia*, n. 45 sq.; ZIGLIARA, op. cit. p. 325 sq.; WILMERS, op. cit., p. 467, 603; PESCH, p. 78; DE BROGLIE, *Problèmes et conclusions de l'histoire des Religions*, c. X; SCHANZ, *A Christian Apology*, vol. 2, p. 238 sq.; TANQUEREY, op. cit. p. 166 sq.; TALAMO, op. cit. *Introduz.*; CINTI, op. cit. vol. I, pag. 148 sq.; DE CARA, *Esame critico del sistema filologico e linguistico applicato alla mitologia e alla scienza delle religioni*; FOUARD, *Vie de N. S. Jésus-Christ*, l. I, c. 1; SCHÜRER, *The jewish people in the time of* J. X., vol. II, § 29, p. 158 sq.; MIRON, *Examen du Christianisme*, c. 4, vol. I; PROUDHON, *De la justice dans la Révolution et dans l'Église*, vol. III, c. 4; GARCIN, *Revue moderne*, (Sept.-Oct. 1869) *Les payens à travers les siècles*; SAISSET, *Revue des deux mondes*, Mars 1845; DESCHANEL, *La liberté de penser*, vol. V, p. 224 sq.; WINCKLER, *Der Stoicismus, eine Wurzel des Christenthums*; HAVET, *Le Christianisme et ses origines*; RENAN, *Marc'Aurèle et la fin du monde antique*; WEYGOLDT, *Die philosophie der Stoa*; TISSOT, *Décadence du sentiment moral et religieux, ses causes et ses remèdes*; ZELLER, *Die philosophie der Griechen in ihrer geschichtlichen Entwicklung*, p. III, sect. 2, p. 26-363, 533-763; AUBERTIN, *Sénèque et S. Paul*; DENIS, *Histoire des théories et des idées morales dans l'antiquité*; DERENBOURG, *Revue critique*, 7 Nov. 1874, p. 166 sq., 460; GREGOROVIUS, *Atenaides*; REUSS, *Histoire de la théologie chrétienne au siècle apostolique*, vol. I, pag. 123; HARNACK, op. cit. passim; MARIANO, *Conciliazione del C. colla cultura pagana*; ORANO, *Il Problema del Cri-*

320) PRAENOTANDA. — Haec quaestio est praecedentium quaestionum corollarium; siquidem ea religio est veluti supernaturalis et revelata habenda, quae talem exhibet doctrinam tam speculativam quam practicam ut in se et in suis effectibus excellentissima appareat, nullumque errorem vel contradictionem contineat. Scimus enim nullum unquam hominem extitisse qui perfectum et absque errorum admixtione tradiderit tum dogmatum tum moralium legum systema.

Quod si cuidam hanc placuerit hypothesim defendere, et quantum in ipso est argumentis nitatur convalidare, nemo tamen unquam dabit homines potuisse non solum intellectum quoad veritates illustrare, sed etiam voluntatem ad harum veritatum praxim constantem adducere, uti de facto constat de religione christiana evenisse, cujus effectus per viginti saecula durarunt et etiam nunc perseverant.

Hoc factum tam constans apertumque probat religionem christianam a Deo esse, qui vires addit voluntatesque hominum ita movet, ut nulla alia habeatur religio, si christianam excipias, in qua perfecte leges morales serventur.

321) Nihilominus haec facta, quae de se vim maximam praeseferunt ut divina christianae religionis origo probetur, ab ordinis supernaturalis osoribus spernuntur, qui, ad originem religionis naturaliter explicandam, recurrunt, ut ecce NATURALISTAE et CRITICISTAE et generatim RATIONALISTAE[1] omnes, ad progressivam evolutionem humanarum cognitionum, vel veterem explorantes philo-

---

stianesimo; SABATIER, *Esquisse d'une philosophie de la Religion;* LOISY, *Études Évangéliques;* SEMERIA, *Primo sangue cristiano, Lect.* XI, XII, XIII, XIV; *Venticinque anni di storia del Cristianesimo nascente,* p. 91 sq., *Dogma, Gerarchia e Culto nella Chiesa primitiva,* p. 79, 341-49; LE HIR, *Études bibliques,* vol. II, p. 187 sq.; HARDWICK, *Christ and other Masters,* par. II, p. 117 sq.; E. HATCH, *Griechentum und Christentum;* etc. etc.

[1] Cf. ZIGLIARA, op. cit., p. 325 sq.; CINTI, op. cit., p. 148 sq.

sophiam Graecorum ac Romanorum, et religionum vestigia relegentes apud Indos, Persas, Chaldaeos, Aegyptios in monumentis ac documentis nostra aetate innotescentibus, affirmant Christum et Apostolos nihil attulisse quod non fuerit antea dictum, proindeque Christianos non nova eaque divina, sed humana prorsus dogmata recepisse.[1]

322) Ad has opiniones refellendas thesim proposuimus in qua conabimur ostendere religionem christianam neque a Judaeis Doctoribus, neque a latinis graecisque philosophis, neque a veteribus Indis, Persis, Chaldaeis et Aegyptiis mutuatam fuisse.

Quod si forte aliquando inter has religiones et christianam nonnullae inveniantur analogiae, prae oculis est habendum quod Boissier[2] animadvertit, scilicet Christianam religionem, si eam ut divinam consideremus, supra omnes ceterarum religionum formas eminere; si vero eam consideremus, ut est pro hominibus constituta, cum omnibus religionibus plus minusve analogias praeseferre; quas tamen apparentes tantum esse sustinemus.

Exinde non est inferendum religionem christianam derivatam esse ab aliis religionibus et vicissim, quia ut scite notat Semeria,[3] *anche senza un nessun nesso storico o di fatto ci possono essere, ci sono stati, ci sono dei momenti identici nella storia dello spirito umano. La stessa idea può nascere nella mente di Budda e in quella del Cristo, senza che si debba pensare ad una reale migrazione di essa dalle rive del Gange a quelle del Giordano, ad una imitazione per parte del Vangelo dei libri sacri dell'India.*

---

[1] Praeter citatos auctores cfr.: Max Müller, *Essai sur l'histoire des religions;* Jacob Grimm, *De l'origine du langage;* Renan, *Histoire général des langues semitiques;* Vernes, *Revue de l'histoire des religions;* E. Bournouf, *Science des religions;* De Gubernatis, *Letture sulla Mitologia Vedica;* P. Gener, *La mort et le diable, histoire et philosophie de deux negations suprèmes;* M. Breal, *Mélanges de linguistique et de mythologie comparée.*

[2] Cf. *Réligion romaine d'Auguste aux Antonins.*

[3] *Il primo sangue cristiano,* p. 264.

323) PROBATUR THESIS. — A) *Religio christiana a Judaeis doctoribus mutuata non fuit.*[1] Quando loquimur de religione Judaica, quam nonnulli supponunt fuisse fundamentum religionis Christianae, certe non intelligimus hic eam quam Moyses docuit per divinam revelationem acceptam cujus, doctrina christiana, ut saepe monuimus, est continuatio et perfectio: sed de iis doctrinis loquimur quae a quibusdam Judaicis sectis tradebantur. Constat enim Christum Dominum nullis legisperitorum scholis fuisse addictum ipsasque, numquam frequentasse, ita ut, quando turbas alloqui coepit, omnes mirarentur de doctrina ejus et secum invicem quaererent utrum ipse esset fabri filius.[2]

Insuper inter Christi Domini doctrinam et Judaeorum placita tot tantaque invenimus discrimina, ut immerito illa ab hisce mutuata dici possit.

Et sane: *a*) Religio christiana *universalis* est omnium gentium et temporum necessitatibus accommodata, cum sit omni creaturae predicanda[3]; e contra religio Judaeorum numquam neque *facto*, neque *jure* fuit *universalis.*[4]

b) Pharisaei, Sadducaei aliique Judaeorum doctores doctrinam revelatam humanis traditionibus, superstitionibus, falsisque corruperant interpretationibus, iis inquam superstitionibus quae regnum Dei aliquid omnino *temporale* et *materiale* supponebant;[5] e contra Christus Jesus regnum *spirituale* per Ecclesiae constitutionem stabilivit, et, inter Judaeos et gentes omni distinctione sublata,[6] omnes Judaeorum redarguit errores,[7] dicens: *Quare et vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram?... Dico enim vobis, quia nisi abundaverit justitia vestra plus*

---

[1] Cf. R. MARIANO, *Il Giudaismo, uno degli antecedenti storici del Cristianesimo.*

[2] Cf. HARNACK, op. cit. ed. gall. p. 35.

[3] MARC. XVI, 15.

[4] Cf. *Acta Apost.*, X, XI, 1-18.

[5] Cf. FOUARD, *Vie de N. S. Jésus Christ*, l. I, c. 1°.

[6] MATTH., XXI, 5; XX, 18; JOANN., XVIII, 36.

[7] Cf. UGOLINI, *Thesaurus antiquitatum sacrarum*, vol. III, p. 110; vol. XXI, p. 229; A. ROW, *Christian Evidences*, lect. III, p. 137-139.

quam Scribarum et Pharisaeorum, non intrabitis in regnum coelorum.[1]

324) Hujus rei veritas innotescit si considerentur dogmata religionis Christianae quae sunt prorsus aliena a religionibus quae tempore Christi florebant.

Idem dicas oportet de *praxi virtutum;* opera enim bona a Pharisaeis fiebant ad hypocrisiam fovendam, dum e contra ethica christiana docuit morales leges servandas esse et opera bona facienda non ad vanam hominum laudem captandam, sed ad Dei gloriam promovendam. Hinc Christus Jesus saepe alloquens turbas: *attendite*, ajebat, *ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, et videamini ab eis; alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum qui in coelis est. Cum ergo facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritae faciunt in synagogis, et in vicis, ut honorificentur ab hominibus: amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Te autem faciente eleemosyna nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua; ut sit eleemosyna tua in abscondito, et Pater tuus, qui videt in abscondito reddet tibi. Et cum oratis, non eritis sicut hypocritae, qui amant in synagogis et in angulis platearum stantes orare, ut videantur ab hominibus.... tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito.... cum autem jejunatis, nolite fieri sicut hypocritae tristes; exterminant enim facies suas, ut appareant hominibus jejunantes. Tu autem, cum jejunas, unge caput tuum, et faciem tuam lava, ne videaris hominibus jejunans, sed Patri tuo, qui est in abscondito.*[2]

Quae omnia, ipsis adversariis fatentibus, ut ecce RENAN,[3] et recentissime HARNACK,[4] luculentissime probant Christi doctrinam non fuisse a Judaeis doctoribus desumptam, cum hisce e diametro in plurimis opponatur.

---

[1] MATTH., V, 20.
[2] MATTH., VI, 1-18.
[3] *Vie de Jésus*, c. 28.
[4] Op. cit., p. 35.

325) Neque dici potest Christum Dominum suam doctrinam mutuatum esse ab *Essenis,* qui puritate morum Pharisaeos longe superabant; tum quia dogmata ab Essenis tradita in plurimis differunt ab ipsis dogmatibus, quae doctrinam Christianam constituerunt; tum quia praxis virtutum, quas Esseni profitebantur, eo tantum spectabat ut puritatem extrinsecus foveret magis rigidi quam ipsi Pharisaei; quo fiebat ut omnes tamquam impuros a se arcerent.

Sed haec omnia plene Christi doctrinae adversantur et ab ejus spiritu sunt prorsus aliena. Ad rem notat Harnack [1]: *De plus, il n'a pas eu dés rapports avec les Esséniens, ces moines Juifs si singuliers. S'il avait pratiqué leurs doctrines, il eût été de ces disciples qui brisent les liens qu'ils ont vis-à-vis de leurs maîtres, par cela qu'ils enseignent et font l'opposé de ce qu'ils ont appris. Les Esséniens tenaient par dessus tout aux lois de la pureté, et ils n'étaient pas seulement étrangement fermés contre les impurs, mais aussi contre les relâchés. Leur isolement douloureux, leurs demeures en des lieux déterminés, leurs ablutions journalières et nombreuses ne peuvent être comprises qu'en se plaçant à ce point de vue. Chez Jésus, nous trouvons une manière de vivre absolument* opposée: *il recherche les pecheurs et mange avec eux. Cette différence fondamentale nous prouve que son esprit était bien éloigné de celui des Esséniens. Il se sépare d'eux à l'égard du but comme à l'égard des moyens. Si, dans beaucoup de préceptes adressés à ses disciples il semble être en accord avec les Esséniens, ce n'est qu'une circonstance accidentelle; chez lui, les motifs sont tout autres.*

326) Scholion. — *De parabolis evangelicis* [1] Specialis quaestio a recentioribus criticis movetur circa originali-

---

[1] Op. cit. p. 35 sq.

[2] Cf. Julicher, *Die Gleichnisreden Jesu;* Loisy, *Études évangéliques,* p. 1-18.

tatem parabolarum [1] quibus Christus Dominus usus est ad suam insinuandam doctrinam.

Quin solliciti simus de opinione illorum, qui omnem denegant authentiam nedum ipsarum parabolarum, sed etiam Evangeliorum; vel illorum qui, ducibus Tubingensibus eruditis et Renan, docent parabolas evangelicas post Ecclesiae catholicae institutionem conscriptas fuisse ad controversias exortas et dissensiones tollendas; quamvis quaestio de authentia sit intime connexa cum quaestione de originalitate alicujus scripti, nos hic de originalitate tantum inquirimus.

Sunt qui docent parabolas evangelicas depromptas fuisse a *traditione rabbinica.* Sed merito animadvertit Julicher [2] hanc affirmationem omnino gratuitam esse.

Et sane *a*) in primis oporteret quod praefatae opinionis fautores ostenderent parabolas rabbinicas conscriptas fuisse ante Christi praedicationem; dum e contra compertum est omnes parabolas rabbinicas, quae nobis innotescunt, scriptas fuisse ab hominibus, qui saeculo saecundo ab incarnatione Domini floruerunt; consequenter has ab illis Christi dependentiam habere.

b) Notandum insuper est quod juxta ipsam traditionem evangelicam doctrina Christi tanquam nova celebratur; quae laus Christo tribuitur non solum propter doctrinae genus, sed etiam propter eandem tradendi modum.

Pariter suo destituitur fundamento hypothesis quod parabolae evangelicae aliquid commune cum parabolis buddhisticis habeant, quia quamvis non ostendatur impossibile quod ab Indis ad Palaestinenses populares narrationes migraverint, nihilominus hoc nondum est demonstratum; quod si aliquando Christus a traditionibus vigentibus quasdam mutuatus sit narrationes, ipsis tamen novam significationem novumque vitae genus impressit.

---

[1] Notandum est quod nomen παραβολή ab Evangelistis adhibetur tum ad designandas simplices comparationes, tum sententias, tum denique narrationes quae apologi speciem praeseferunt.

[2] Op. cit. vol. I, 168.

Le Christ, concludimus cum LOISY,[1] *a dans la parabole une maîtrise unique et incomparable; il n'est pas imitateur; il ne dépend d'aucun livre, d'aucun maître, d'aucune tradition savante.... Les récits paraboliques ne sont pas étudiés; ce ne sont pas des compositions doctrinales ni des œuvres littéraires. Ils sont comme un produit spontané de son esprit, de son âme, de l'idée qu'il porte en lui. Mais il faut pourtant que l'on se rattache à quelque chose, quand on vit en ce monde, et le génie le plus novateur a son point de départ dans le milieu où il a grandi.... En tant qu'orateur populaire, sortant de rang du peuple pour parler au peuple, Jésus a son point de départ dans la tradition populaire, dans cette science des sociétés incultes qui consiste en proverbes, contes et légendes.... Il ne procede pas toutefois de la tradition haggadique, de cette végétation qui avait poussé sur les récits de la Bible et où le peuple satisfaisait son goût pour les histoires; il prend assez rarement ses comparaisons dans l'Écriture, et jamais il n'en tire la matière de ses paraboles. Il remonte donc à une source plus profonde que la haggada, qui est spécifiquement juive; il puise à la tradition de l'humanité, dans l'esprit populaire, qui est le même partout, qui aime les dictons, les sentences et les fables. Si profondément originale et personnelle que soit sa pensée religieuse, elle restera simple et populaire dans son expression.... Jésus mettra en comparaisons et en apologues les vérités du royaume céleste il mettra le conte et la fable au service de son idéal. La rigueur de cette adaptation a fait en partie la nouvauté de son enseignement.*

327) B). — *Doctrina christiana non fuit ex graecis latinisque scriptoribus mutuata.*[2] Rationalismus, qui omnibus modis nititur labefactare originem religionis Christianae; contendit doctrinam christianam esse eclecticam

---

[1] Op. cit., pag. 9 sq.

[2] Cf. ZIGLIARA, op. cit. p. 331; *Ephem. — Studi religiosi*, ann. II, p. 159, 371, 467; TALAMO, op. cit., passim; CINTI, op. cit., vol. I, p. 183 sq.; SEMERIA, *Venticinque anni* etc., p. 167 sq.; IDEM, *Primo Sangue Cristiano*, p. 257-279; WILMERS, op. cit. p. 467.

compositionem doctrinarum philosophorum ethnicorum; hinc juxta DECHANEL, nihil in ea invenitur quod jam, ante Christianismi ortum, traditum non sit; juxta WINKLER vero ipsius fundamentum est *Stoicismus*, denique juxta HAVET doctrina christiana nihil aliud est quam spontanea evolutio philosophiae graeco-latinae.

Eosdem, ut nunc, CELSUS initio saeculi secundi tradebat errores: refert enim ORIGENES[1] quod CELSUS *sententiis quibusdam, quas in ore semper habent fideles, alias opponit ex philosophia depromptas; contenditque quidquid pulchrius tribuitur Christianis, id a philosophis melius et dilucidius dictum esse, ut ad philosophiam rapiat eos, qui capti fuerant dogmatibus, quorum majestas pietasque primo intuenti se se explicat.*

328) Cum singula adversariorum argumenta persequi non possimus, ut nostra quaestio intra certos contineatur limites, contenti erimus animadvertere quod eorum opinio ex falso supposito procedit, quia doctrina christiana licet nonnullas contineat veritates, quae sunt naturali lumine cognitae, alias tamen continet supernaturales omnino, uti sunt doctrina de Verbo ejusque Incarnatione, de mysterio SS. Trinitatis, de Eucharistia, et alia hujusmodi.

Insuper si in ethnicorum libris quaedam inveniuntur, quae ad mysteria christiana alludere videntur, certe illa sunt merae analogiae, quae mysteria ipsa non enunciant, sed quae assumi possunt, sicut rationes naturales, ad mysteria, postquam sunt revelata, non quidem demonstranda sed aliquo modo declaranda.

Neque ex mente excidant quae notat MINUCIUS FELIX[2] in OCTAVIO: *Animadvertis philosophos eadem disputare quae dicimus; non quod nos simus eorum vestigia secuti, sed quod illi de divinis praedictionibus Prophetarum umbram interpolatae veritatis imitati sunt.*

329) Verum etsi apud philosophos ethnicos quaedam inveniamus quae christianis dogmatibus similia sunt, tot

---

[1] *Contra Celsum*, l. V, n. 65.

[2] Cap. 52, n. 4.

nihilominus inter religionem Christi et coaevorum philosophorum doctrinas invenimus discrimina, ut impossibile sit illam ab his mutuatam dicere.

Et sane discrimen apparet si consideremus, uti pluries monuimus, quod nullus philosophus unquam tradidit summam veritatum religiosarum completam, tutam et absque errorum admixtione; dum a doctrina christiana veritates docentur, quae ab operibus horum philosophorum prorsus exulant:[1]

330) Vis argumenti crescit si prae oculis habeamus et philosophorum discrepantias et doctrinae christianae harmoniam; nemo enim est qui nesciat philosophos sibi ipsis dissensisse et in rebus maximi momenti non solum unum alteri, sed sibimetipsis contradixisse. Hoc certe dici non potest de doctrina christiana, cujus sententiae, teste S. Theophilo,[2] *consentaneae inveniuntur, propterea quod omnes* (agiographi) *uno Dei afflati Spiritu locuti sunt.*

331) Insuper philosophi haud solliciti erant praedicandi populo veritates ipsis notas, rati sapientiam paucorum privilegium esse; *est enim*, aiebat Tullius,[3] *philosophia paucis contenta judicibus, multitudinem consulto ipsa fugiens, eique suspecta et invisa;* e contrario doctrina christiana *omni creaturae* praedicanda est, praesertim hominibus rudibus; ipsaque commendanda non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis.

332) Denique hypothetice demus quaedam ethnicorum philosophorum dogmata eadem esse ac dogmata Christianorum, certe non eadem in illis adest vis ad animas eo adducendas, ut mores reformentur. Hinc est quod non multos, non paucos, sed neque unum invenire possumus philosophum vel Graecum vel Romanum qui tanta cum potestate doctrinam aeque humano generi utilem, aeque a peccatorum colluvie avocantem tradiderit.

---

[1] Cf. Origenem, *Contra Celsum*, l. VI per totum.

[2] Ad Autolycum, l. III, n. 10.

[3] *Tuscul.* lib. II, n. 4.

Cum vero videamus doctrinae christianae praedicationem id effecisse ut hominum mores omnino reformarentur, concludere cogimur doctrinam christianam non aliunde traxisse originem quam a Deo. Nam aut hoc verum est, aut per manifestum absurdum necesse foret dicere progressum Christianum in solemni prodigiosoque mendacio fundatum esse, et genus humanum solemniter, prodigioseque deceptum fuisse. Et *pulcra profecto,* ait ORIGENES,[1] *nostra decipiendi ratio, quippe qui facimus, ut ex intemperantibus temperantes fiant, aut studeant temperantiae; ex injustis justi sint, aut ad justitiam tendant; ex imprudentibus evadant prudentes, aut viam prudentiae sectentur; ex timidis, ignavis, imbecillis, animosi sint et fortes: qua virtute tum praesertim eminent, cum ad pietatem erga Deum omnium conditorem servandam decernant.*

333) Tandem qui ab ethnicis philosophis repetunt christiana dogmata et mores, certe non valent ostendere cur christiana professio aeque libera non fuit sicut philosophica, neque impune fidelibus cessit. *Cur ergo,* scribit TERTULLIANUS,[2] *quibus comparamur de disciplina, perinde illis non adaequamur ad licentiam impunitatemque disciplinae? vel cur et illi, ut pares non urgentur ad officia, quae non obeuntes periclitamur? Quis enim philosophum sacrificare, aut dejerare, aut lucernas meridie vanas proferre compellit?* Cur igitur christiani quasi *odio humani generis convicti damnati* sunt?[3] Praecise quia doctrina christiana nec cum philosophis aliquid, nec cum ceteris deorum cultoribus habuit commune.

Novitatem hanc esse causam odii in religionem Christianam apertissime tradit S. Paulus docens quod praedicatio

---

[1] Op. cit., l. II, n. 79.

[2] *Apologeticum.*

[3] Idem argumentum exponit clarissimus TALAMO (op. cit., c. I, n. 16): *Se la dottrina del Vangelo,* inquit, *non fosse stata considerata come una novità contraria alle tradizioni ed ai documenti della sapienza umana allora in voga, non sarebbe punto spiegabile l'opposizione atroce fatta al Cristo ed ai credenti in lui dai giudei e pagani, e durata per lungo succedersi di secoli.*

doctrinae christianae aliquid enunciabat quod non solum in ethnica sapientia non continebatur, et quod ex ipsa non deducebatur, sed etiam sapientiae ipsi ita videbatur contradicere, ut stultitia judicaretur: *Verbum enim crucis*, ait,[1] *pereuntibus quidem stultitia est: iis autem qui salvi fiunt, idest nobis, Dei virtus est. Scriptum est enim: Perdam sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobabo. Ubi sapiens? Ubi scriba? Ubi conquisitor hujus saeculi? Nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi? Nam quia in Dei Sapientia non cognovit mundus per sapientiam Deum: placuit Deo per stultitiam praedicationis salvos facere credentes. Quoniam et Judaei signa petunt, et Graeci sapientiam quaerunt: nos autem praedicamus Christum crucifixum: Judaeis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam. Ipsis autem vocatis Judaeis, atque Graecis, Christum Dei virtutem et Dei sapientiam.*

334) Quae hucusque disputati sumus sufficere possent ad veritatem nostrae affirmationis vindicandam; non erit tamen inutile nonnulla magis directe, quamvis brevissime, innuere circa Stoicorum et Philosophiae Alexandrinae scholas.

335) α) Ad Stoicos quod attinet certum est ipsos ignorasse omnino supernaturalia principia ethicae christianae; ea vero, quae naturali ratione assequi poterant, aut negando rejecerunt, aut errando corruperunt, aut dubitando concusserunt.[2] Stoicis omnia humana sunt, et Deus, qui, juxta ipsos, vis est quaedam corporea, quae in materiam inertem exeritur, eique varias formas infert et motum, non distat ab animo hominis ad summam perfectionem

[1] Ep. I *Ad Corinth.*, c. I, 18-24.

[2] Ad rem scribit clarissimus TALAMO (op. cit. p. 28): *Per tutto ciò che si attiene ai concetti sovraintelligibili della morale cristiana, come sarebbe a dire l'educazione dell' uomo ad un fine soprannaturale, la caduta di lui, la redenzione effettuata da un Dio, non ve n'è parola in tutti i seguaci della scuola stoica. Alcune sentenze vaghe e oscure, che non già negli Stoici, ma in Platone e nei pittagorici specialmente sembra che accennino a qualcuno di tali concetti, possono bene spiegarsi per l' uso più o meno giusto delle tradizioni primitive, anche esse soprannaturali.*

evecto, non quidem per supernaturalem gratiam, sed per naturalem philosophiam. Cohaerenter anima humana nihil aliud est quam pars vis illius agentis quae Deus est, motusque et actus totius universi; proinde moralis obligationis et legis est immunis, neque capax meriti, neque culpae obnoxia est, cum omnis libertatis idea exulet a Stoicorum schola.

Pariter non agnita, immo acriter denegata vitae immortalitate, in qua ratio meriti ad praemium et culpae ad poenam habenda est, saepe fiebat ut homines in vitia turpissima laberentur omnia sibi hujus vitae bona et solatia comparantes.

Quae cum ita sint pulcre notat clarissimus CINTI[1] quod *qui doctrinam christianam affirmat a philosophia Stoicorum deductam, facilius contendet ignem ab aqua expressum, aut e lapide confectum solem.*

336) *Neque juvat rationalistas,* instat CINTI, *similitudo quarumdam legum stoicarum et christianarum de moribus rite componendis. Nam primo, cum Stoici leges illas aut a primaeva traditione aut ex libris V. T. ante illos extantibus, aut naturali ratione cognoverint, jure dicentur haustae ab iisdem fontibus qui Christo aeque patebant. Sed secundo, ea similitudo in sono potius verborum est quam in eorumdem sententia.*

Et sane: Christi discipulus humilis fit Dei servus ex lege Christi; Stoicorum alumnus Deo aequalis, quinimo Deus ipse efficitur propria sapientia. Hinc ille nihil se esse reputans nisi ex Deo, Deum orat et colit: hic omnia a sua virtute repetens, Deorum socius, non supplex, *preces cultumque spernit.*[2] *Ille vitam a Deo acceptam, aequanimis inter prospera et adversa servat ut Deo reddat meritis ornatam pro beata aeternitate ineunda, hic vitae ipsius dominium sibi arrogat, eamque deserendi jus, quoties taedio, inopia, adversis rebus, senio vel morbis ipsis experiatur infestam. Illi ceteros homines fratres habent, tamquam unius Dei fi-*

---

[1] Op. cit., p. 305.

[2] Cf. SENECA, ep. 31.

lios, eisque omnia caritatis et humanitatis solatia praebent: hi vero sua quaerunt commoda et opes, talesque se probant, quales PAULUS *agnovit ac pinxit in c. I, ep. ad Rom.*, sine affectione, sine foedere, sine misericordia. *Denique christianus officia praestat pro communi bono, pro patria, pro religione, ut Deo placeat societatis ordinatori supremo; stoicus omnia ad humanam virtutem et gloriam conferens et fato subiiciens, servit tempori, moribus inductis, ambitioni hominum et cohaerentibus vitiis in reipublicae, saepius, discrimen ac perniciem. Quae cum in facto sint omnium probatissimo, quicumque non sono verborum capitur*, quod idiotarum est, *sed rem ipsam persequitur, quicumque rei cognitae non abnuit confessionem*, quod est impudentium, *illud fatebitur quod probavimus, scil. christianae ethices systema, non a Stoicorum placitis evolutum, sed a Christo Deo conflatum fuisse et perfectum ex humanae rationis principiis restitutis, et ex dogmatibus divinis attollentibus hominem ad ordinem supernaturalem.*

337) β) Eadem conclusio evincitur contra eos qui putant doctrinam christianam desumptam fuisse a philosophia alexandrina,[1] quae, teste PETAVIO,[2] potius haereseos quam catholici dogmatis parens vocari potest.

Quod etsi concedatur doctrinam christianam habere cum theosophia alexandrina eas, quas supponunt adversarii, analogias, non inde sequitur doctrinam christianam non esse revelatam; siquidem analogiae nonnisi apparentes et sono tenus sunt, non vero reales.

Notandum insuper est quaedam vocabula fortasse mutuata fuisse a philosophia Alexandrina quatenus magis apta videbantur ad rectius et facilius explicanda nonnulla mysteria christiana. Verba enim deprompta a philosophia alexandrina talia sunt ut ab eorum naturali significatione transferantur ad aliquid supernaturale et superintelligibile

---

[1] Cf. J. SIMON, *Histoire de l'École d'Alexandrie*, l. 3, c. 3; WENDLAND, *Christentum und Hellenismus in ihrem litterarischen Beziehungen*; GISMONDI *S. I., La Bibbia e la sapienza greca.*

[2] *De Trinitate*, c. I, n. 2.

significandum. Hinc est quod forma quam theosophia alexandrina assumit in theologia christiana est aliquid specifice et eminenter christianum et e diametro hellenicae philosophiae oppositum.

Ad rem MALDONATUS[1] notat Evangelistas accommodate ad usum loqui et intelligi voluisse.

338) C) *Religio christiana a veteribus Indis, Persis, Chaldaeis, et Aegyptiis mutuata non fuit.*

Rationalistae rati non posse admitti supernaturalem veritatum revelationem quia, teste JACOBO GRIMM, repugnat Deum humano eloquio uti apud homines, cum sit expers corpore, studiis mythologicis ex cultu *philologiae* et *glottologiae comparatae* provectis abutentes, in hanc devenerunt conclusionem, scilicet religionem a mythis ortum habuisse.[2]

Hinc juxta ipsorum opinionem *Verbum Dei* a Joanne prolatum, notum fuisse Persis sub nomine *Honover* vel *Ahuna vairya;* Indis sub nomine *Vâc'* vel *Saras-vati;* Aegyptiis sub duplici nomine *Phtah*, quod, auctore MARIETTE, est *Logos*, et *Osiridis* quod est *Verbum.*

[1] *Comment. in quatuor Evangelistas,* II, 381. Specialis quaestio fit circa verbum λόγος adhibitum a S. Joanne. Sed ipsa vox λόγος non fuit aliunde necessario haurienda a philosophia Alexandrina quum etiam eadem sapientia in litteris V. T. vocetur λόγος. Insuper inter λόγος Platonis et Philonis et λόγος Joannis magnum est discrimen; Joannes enim per λόγος, *Verbum* aeternum Patri consubstantiale intelligit; Plato vero ejusque schola intelligunt aliquid Deo inferius, vel aliquid a Deo non distinctum, nempe ejus intellectum. (Cf. WILMERS, op. cit., p. 467; TANQUEREY, *Theol. special.*, vol 2°, p. 205; *Studi Religiosi,* ann. II, p. 371; LOISY, op. cit., p, 126.

[2] Cf. DE CARA, *Esame critico del sistema filologico e linguistico applicato alla Mitologia e alla scienza delle religioni,* pag. 102; MAX MÜLLER, *Mythologia solaris;* BOPP, *Grammatica comparata linguarum sanscriticae, zendicae, armenicae, graecae, latinae, lituanae, slavonicae veteris, teutonicae;* A. KUHN, *Mythologia metheorologica;* I. GRIMM, *De l'origine du langage,* p. 27; STAVE, *Ueber den Einfluss des Parsismus auf das Judentum,* 1898; BERGH VAN EYSINGA, *Indische invloeden op oude christelijke verhalen,* 1901.

Pariter SS. Trinitatis mysterium deducunt ab *Indorum Trimurti*, quae coalescebat ex *Brahma*, *Vishnu*, et *Çiva*, vel ex *Sûrya*, *Agni* et *Vâyu*.[1]

Immo eo deveniunt fautores praefatae opinionis ut putent se apud Indos invenisse Jesum Christum sub nomine *Jezeus Christna*, matremque Jesu Christi Mariam a *Mâyâ*, Buddhae matre, effectam affirment.

339) Haec sunt praecipua argumenta quae adversarii opponunt ut probent naturalem religionis christianae originem.

Ad has tamen opiniones refellendas id universim valet quod superius animadvertimus, scilicet obtrectatores religionis Christianae levissimis verborum ac rituum analogiis gravissimas superstruere conclusiones.

Quae superius disputata sunt, sufficerent ad rem conficiendam, nihilominus non erit inutile singula propius persequi.

340) In primis notandum quod *Honover* vel *Ahuna vairya* non esse Persis Verbum Dei, sed esse *precandi formam* quandam ab *Ahura Mazda* Zoroastro traditam; quae per errorem a nonnullis deducta fuit ad Verbum Dei significandum.

Idem dicendum est de *Vâc'* Indorum. Nam apud Indos *Vâc'* idem sonat ac *vox*, et quasi res subsistens, hymnis honoratur. Eodem vero sensu accipitur a De Gubernatis *Sarasvati*; quia *Sarasvati* Indis est proprie *quod fluit*, idest *aqua* vel *nubes fluens ac tonans*, et proinde *Verbum*.

Sed quantum distet Verbum Dei ab humano verbo hymnorum Vedicorum nemo est qui non videat.

341) Pariter respuenda sunt quae protulit Mariette de Verbo et Trinitate Aegyptiorum. Et sane duplex, juxta ipsum, est Verbum, non unum; scilicet *Phtah* (aeterna sapientia) et *Osiris* (rerum artifex ac vitae universalis causa). Item non *tres* ejusdem essentiae enumerat personas, sed *octo*. His adde quod monumenta *Serapaei*, detecta ab ipso Mariette, filium *Phtah* non *Osiridem* sed *Apim* appellant;

[1] Cf. Bournouf, *Science des religions;* De Gubernatis, *Mitologia Vedica*.

Apis igitur et non *Osiris* deberet esse *Logos*. De *ogdoade* vero deorum non intelligitur quomodo possit dici unus Deus esse in tot personis subsistens; quare merito a sanioribus criticis rejicitur *Trinitas* quam *Mariette* invexit.

342) Item jure meritoque nulla potest admitti comparatio mysterii Trinitatis quod Christiani profitentur, cum *Brahma*, *Visnhu* et *Çiva*, vel *Sûrya*, *Agni* et *Vâyu*, tum quia *Brahma* et *Çiva* silent vedica documenta quippe multo serius advenientia; tum quia non omnes personas eodem gradu divinitatem possidere documenta affirmant, quippe quia *Visnhu* prius tanquam *Deum secundi ordinis* venerati sunt, deinde tanquam *ens universale*. Ad rem egregie notat clarissimus De Cara[1]: *Dov'è qui*, inquit, *la Trinità cristiana, il concetto cioè di una natura unica in tre persone distinte, che sono Padre, Figlio e Spirito Santo? Ma dunque basta il solo numero di tre per fare la Triade cristiana, checchè poi rappresenti ciascuna di quelle tre unità? Coteste sono stoltezze, sono sogni di cervelli bui, non argomenti umani.* De alia vero Triade Aemilii Bournouf et A. De Gubernatis haec animadvertit: Surya (penes Indos) è il sole divinizzato, Agni è il fuoco, e Vayu è il vento. *Qualsivoglia sforzo d'ingegno o di fantasia è incapace di scorgere in questi* tre elementi materiali *l'idea del Padre, del Figlio e dello Spirito Santo secondo la dottrina cattolica.*

343) Inter fabulas autem esse amandandum judicium quod Jacolliot retulit de ortu, gestis et morte Jezeus Christnae, quem ipse finxit Jesu Christo simillimum, uno ore conclamant viri *linguae sanscritae* peritissimi. Genuina enim Vedorum documenta nullum memorant Jezeum Christnam, qui talia egerit et passus sit, quae Jesus Christus egit et passus est. Quinimmo ipsum nomen Jezeus abhorret ab indole linguae sanscritae et graecum se ostendit. In *Rigveda* certe nomen *Krshna* invenimus, sed differt a Christna tum quoad sonum, tum quia *Krshna* est unus

[1] Op. cit., pag. 214.

ex daemonibus, seu *nigris*, ab Indra occisis. Quod si in *legendis brahmanicis* sequentium aetatum *Krsnha* exhibetur vel ut *octava incarnatio* Vishnu, vel ut filius *Vasudeva* et *Devacki* octavo partu editus, nihil est in ejus ortu, vita et interitu, quod Jesum Christum ullo modo referat.

Facile autem inter eruditos convenit ea quae in libris Indorum inveniuntur simillima iis quae in Evangeliis legimus, Indos a christianis praedicatoribus didicisse, cum constet Apostolos primum aliosque deinde christianos praecones Indorum regiones visitasse.[1]

344) Sicut Krshna nihil commune habet cum Jesu Christo, ita Mâyâ ad Mariam Virginem Christi matrem nullam habet relationem, tum quia nomina *Mâyâ* et hebraicum *Miriam*, ex quo latinum Maria *sono*, *litteris*, *radice*,[2] tum quia etiam *ratione existendi* differunt. Omnibus enim notum est SS. Virginem Mariam, a Sanctis Joachim et Anna procreatam, extitisse veram Jesu Christi matrem, Mâyâm vero numquam Buddhae genitricem agnitam fuisse. Auctore Barth[3] ipsa mythicis imaginibus accensetur, et nihil aliud est quam aut *vis effectrix* rerum mundanarum,[4] aut ipsa suprema virtus creandi omnia, quasi dea offusa vaporibus atmosphericis quae, filii sui luce coruscante, statim evanescit.[5]

---

[1] Cf. Cinti, op. cit., vol. I, p. 312 sq.; De Gubernatis, *Nuova Antologia*, anno VII, 1° gennaio 1881.

[2] *Il riscontro etimologico*, scribit, De Cara (op. cit., p. 383), *che egli* (Bournouf) *fa tra Maria e Mâyâ è ridicolo, e per lui, autore di una grammatica e di un' antologia sanscrita, vergognoso. Imperocchè non si tien conto delle leggi fonetiche, si elimina la* r *media senza ragione, e finalmente il riscontro non doveva essere istituito tra Mâyâ e Maria, sibbene tra Mâyâ e Miriam, perciocchè questo è il nome ebraico della Vergine e Maria il nome latino. La radice di Mâyâ è* mâ (*formare*), *la radice di Miriâm è* rum (*elevata, sovrana*). Cf. etiam Salvatore Minocchi, *Il nome di Maria*, p. 7-8.

[3] *Les religions de l'Inde.*

[4] Cf. De Harlez, *Les pretendues origines indoues du christianisme.*

[5] Cf. Senart, *Essai sur la legende du Buddha, son caractère et ses origines.*

His accedit quod MAX MÜLLER affirmat,[1] nempe Indorum documenta omnia, si *Vedica* excipias, non prodiisse ante saeculum quartum aerae vulgaris.

Hinc pronum est inferre haud pauca in libros Brahmanicae et Buddhisticae superstitionis defluxisse a christiana religione.

345) Haec quae hucusque notavimus satis superque probant religionem christianam non fuisse derivatam a progressiva veterum religionum evolutione, sed vere *originalem* esse et ab ipso Christo conceptam.

Modo tamen explicandum remanet quomodo Christus Jesus *solus*, inter omnes sapientes, eam veritatum religiosorum tam speculativarum quam practicarum summam invenire potuerit, eam inquam doctrinam quae non solum cum nihil absurdi contineat legitimis humanae naturae aspirationibus respondet, sed etiam intrinsecam habet homines a vitiis revocandi virtutem.

Omnis autem difficultas evanescit si admittamus Christum Dominum esse legatum divinum, qui ab aeterni Patris fonte sapientiam hausit infinitam, suamque doctrinam hac informatam sapientiâ hominibus proposuit.

Quod si hoc non admittamus frustra conabimur rem intelligere, haberetur enim effectus absque proportionata causa.

Quid igitur colligendum? *Mea quidem sententia est,* utar verbis ROW,[2] *virum galilaeum amplissimam excellentiam prae ceteris simul sumptis, qui sunt et fuere adeptum fuisse; illum inter homines unicum dignitatis locum occupare; aliis verbis, divinam potentiam in ipso praefulgere.*

Est igitur religio christiana divinitus revelata.

346) In hanc conclusionem etiam HARNACK[3] devenit, quamvis affirmet doctrinam christianam ejusque dogmata fuisse corrupta per subsequentium aetatum traditiones.

---

[1] Cf. Ejus opus inscriptum *India*.

[2] *Christian Evidences*, lec. III, p. 130 sq.; cf. DE BROGLIE, *La transcendance du Christianisme*.

[3] Op. cit,

Certe huic postremae conclusioni clarissimi auctoris haud assentiri possumus: nobis enim persuasum est dogmata quoad essentiam immutabilia prorsus esse; omnes vero mutationes haberi circa modum ipsum dogmata tradendi et explicandi. Nobis tamen gaudemus quod praefatus auctor in ipsa essentia religionis christianae aliquid inveniat prorsus divinum quod omnem humanam traditionem et studium infinite superat.[1]

---

[1] Cf. LOISY, *L'Évangile et l'Église*, p. 127 sq.; *Ephem., Studi Religiosi*, anno II, p. 475 sq.; anno III, p. 84.

CAPUT II.

DIVINITAS RELIGIONIS CHRISTIANAE EXTRINSECIS ARGUMENTIS PROBATUR.

347) Vidimus huc usque quae sit doctrinae christianae tum in se, tum in suis effectibus excellentia, eaque attulimus argumenta, quibus moralis de ejusdem revelatione eruitur certitudo.

Cum autem *revelatio*, ut est factum, historiae subiaceat dominio, indiget probari historicis argumentis, non secus ae cetera facta historica.

Hinc est quod argumenta *intrinseca* quibus nostram conclusionem adstruere conati sumus, mox subsequentur argumenta *extrinseca*, quae sunt ab ipsa doctrinâ distincta, quaeque tamen multum roboris obtinent ad ipsam doctrinae divinitatem vindicandam.

Certe per se sufficerent argumenta intrinseca, sed cum factorum maxima sit vis probativa, etiam argumenta extrinseca addimus ut omnis adversariis nostram religionem inficiandi tollatur ratio.

In hoc igitur secundo capite distinctis articulis agemus: 1°) De vaticiniis messianicis; 2°) de testimonio quod Christus sibi ipsi reddidit de sua legatione divina; 3°) de miraculis Christi; 4°) de Apostolorum legatione; 5°) de Judaeorum et gentilium testimonio; 6°) de propagatione christianismi; 7°) denique ad instar corollarii brevis instituetur comparatio inter religionem christianam et alias religiones, ut melius innotescat religionis nostrae divina origo.

ARTICULUS I.

VATICINIA MESSIANICA.[1]

348) Ut ostendamus Christum Dominum esse legatum divinum, scilicet *messiam*, debemus in primis quaerere

---

[1] Cf. Reinke, *Beiträge zur Erklärung des* A. Test.; Hengstenberg, *Christology*; Bade, *Die Christologie des* A. Test.; Delitzch, *Messianic*

utrum ille qui in terris apparuit ad thesaurum doctrinae revelatae confirmandum, evolvendum perficiendumque, reapse fuerit ille idem a Deo promissus et a prophetis expectatus. Quod si in Christi personam ea omnia conveniant quae jam antea praedicta a prophetis fuere, vere Dei legatus et quidem principalis dicendus erit.

Huc autem duplici via perveniri potest, vel 1°) comparatione instituta inter prophetias, quae de Messia prolatae sunt et inter vitam et doctrinam Christi ipsius; vel 2°) considerando divinae Providentiae ordinem, quae non solum *praenuntiavit* sed etiam *praeparavit* Messiae missionem tum per prophetas, tum per mirabiles eventus.

Tota itaque vis argumenti sic contrahitur: *Ille est supremus legatus a Deo missus, qui in sua personâ ac doctrinâ complevit, perfecitque revelationes omnes antea factas de promisso spirituali liberatore. Atqui talis est Jesus Nazarenus. Ergo Jesus est supremus Dei legatus, ejusque doctrina supernaturaliter revelata.*

349) Tribus distinctis paragraphis hanc persolvemus quaestionem agentes: 1°) de existentia prophetiarum messianicarum; 2°) earumdem expositio; 3°) de ipsarum in Christo implemento.

---

prophecies; KNABENBAUER, *Comm. in prophetas;* CORNELY, *Introd. in S. S.,* II; MAAS, *Christ in type and prophecy;* CARD. MEIGNAM, *Prophéties messianiques: Le Pentateuque, Les deux premiers livres des Rois; David Roi, Psalmiste, Prophète; Salomon, son règne, ses écrits; Les derniers Prophètes d'Israël;* MONSABRÈ, *Introd. Confer.* 11-20; BRIGGS, *Messianic Prophecy;* PAYNE SMITH, *Prophecy a preparation for Christ;* GLOAG, *Messianic prophecies;* GREEN, *Moses and the Prophets;* WOODS, *The Hope of Israel, a review of thê argument from Prophecy;* HURTER, op. cit., n. 35 sq.; BRUGÈRE, n. 76 sq.; PESCH, n. 212 sq.; DE BROGLIE, *Questions bibliques,* p. 244-380; *Les Prophètes;* SCHANZ, *Christian Apology;* TANQUEREY, op. cit., p. 233 sq.; WILMERS, op. cit., p. 220 sq.; ZIGLIARA, op. cit., p. 255 sq.; MARCHINI, op. cit., p. 45 sq.; DAVID CASTELLI, *La profezia nella Bibbia;* MINOCCHI, *Studi Religiosi, Significato storico e religioso dei Profeti del V. Testamento,* ann. I, p. 83; HIMPEL, *Die messianischen Weissagungen im Pentateuch;* REINKE, *Die messianischen Weissagungen bei der Propheten;* CORLUY, *Spicilegium dogmatico-biblicum;* VIGOUROUX, *Manuel biblique;* etc. etc.

§ I. — Messianicarum prophetiarum existentia.

350) Propositio XI. — *Multis saeculis ante Christi Domini adventum apud Judaeos extabant vaticinia, quibus futurus Messias praedicebatur.*

351) Praenotanda. — Ut probemus prophetias messianicas extitisse multis saeculis ante Christi adventum, ostendere debemus 1°) Judaeos Salvatorem quendam seu Messiam expectasse, 2°) hanc fidem non fuisse naturaliter a Judaicis aspirationibus evolutam, neque a Christianis creatam, sed ortum habuisse ex vaticiniis prophetarum quae in libris Veteris Testamenti continebantur.

Vis autem argumenti tota in eo sita est ut ostendatur haec vaticinia fuisse veras prophetias, nempe jamdiu ante eventum extitisse, eaque messianica [1] fuisse, scilicet *personalem* messiam, non autem abstracte novum aevum praedicantia.

352) Notandum tamen est quod prophetiae, licet non sint abstractae, multum nihilominus in se obscuritatis continent idque plurimis ex causis.

Porro praecipuae causae hae sunt: *a)* quia prophetae ipsi sua vaticinia non semper intellexerunt, quae impletione clariora facta sunt; [2] *b)* quia prophetae res futuras interdum veluti praesentes aut etiam praeteritas proposuerunt; prophetae enim a Deo illustrati et confortati, de scientia Dei participabant; hinc veluti unico actu et praeterita et praesentia et futura videbant, licet haec aliquando

---

[1] De genuinitate vaticiniorum hic non quaerimus, de hac enim quaestione speciatim agitur in Sacrae Scripturae praelectionibus. Cf. Ubaldi, *Introductio in S. S.*; Vigouroux, op. cit., vol. II; Pelt, *Histoire de l'A. T.*; Loisy, *Hist. critique du texte et des Versions de la Bible*, vol. I, p. 100 sq., vol. II, p. 11 sq.; Idem, *Histoire du Canon l'A. T.*, p. 63.

[2] Ad rem scribit S. Joannes Grisost.: *Haec est dignitas prophetiae, non ut res praesentes denuntiet, sed ut futura praenuntiet. Prophetia porro cum occulte prolata fuerit, post rerum eventum fit manifestior, ante eventum vero minime. Itaque quia tum obscure dicebantur, ignotae erant; cum autem res contigerant, propterea manifesta erant, quae dicta fuerant.*

obscure viderent et imperfecte; *c)* quia ea ipsa, quae prophetis ostendebantur, non semper omnia ex parte fuerunt clara et definita, ita ut summis tantum lineamentis futura adumbraverint.[1] Quare merito notat ACKERMANN[2]: *Quemadmodum rudes illae adumbrationes, quas pictores de obiectis pingendis carbone delineare solent, plura offerunt, ex quibus deinceps, perfecta imagine, facile cognoscitur, eam illa delineatione fuisse adumbratam, ita quoque vaticinia, etsi minus clara sint, exhibent de futuro eventu satis multa, ex quibus deinceps accedente historia cognoscatur haec vaticinio fuisse praedicta. d)* Alia obscuritatis causa ex eo oritur quod prophetae res futuras, quas longo temporum intervallo inter se separatas esse eventus demonstravit, eadem visione saepe perspexerunt, ideoque eas descripserunt ac si uno eodemque tempore essent eventurae. His accedit quod idea messianica est simul *factum* et *doctrina*: porro utrumque potest successive et gradatim revelari, ut adsit veluti quaedam supernaturalis evolutio, mentesque paulatim praeparentur ad aliquid distinctius et perfectius. Exinde oritur obscuritas, quae tamen evanescit per plurium prophetiarum ad invicem comparationem.

Alius insuper obscuritatis fons est ipsa lingua, qua usi sunt prophetae. Denique non est praetermittendum quod notat TANQUEREY[3], nempe *Deum velle homines* libere *fidem amplecti; hinc discreto lumine eos ita illuminat ut possint, si velint recteque sint dispositi, veritatem agnoscere; sed voluntatem nimiâ evidentiâ cogere non vult.*

353) Exinde patet erronee a quibusdam supponi omnes prophetias messianicas esse *litteraliter* interpretandas, cum constet quasdam de Christo dictas fuisse *historice*, quasdam vero *mystice*. Hoc unum proinde ad rem nostram necessarium erit ostendere de Christo fuisse prolatas prophetias; quod hae autem sint *litteraliter* vel *spiritaliter* interpre-

---

[1] Cf. LE HIR, *Études bibliques*, I, p. 82; CORNELY, op. cit., p. 299.
[2] *Introd. in V. T.*, p. 221.
[3] Op. cit., p. 245.

tandae parum refert; neque unquam oblivisci debemus prophetas imaginibus et figuris uti assuevisse.

354) Denique animadvertere debemus vim prophetandi fuisse gratiam Dei actualem, quae in mentis illustratione consistebat. Cum autem gratia actualis facultates animae non destruat, sed tantum eis robur addat, est enim ipsa operatio vitalis animae, prout perficitur sub influxu Dei moventis potentius ad finem supernaturalem, hinc est quod semper prophetae diversas assumunt formas, prouti ab adiunctis psychologicis, vel cronologicis temporum et locorum determinantur. Quo fit ut Messias apud Prophetas diversas assumat qualitates quae inter se pugnare videntur; nam interdum humilis, despectus ignominiosae morti traditus Messias exhibetur; interdum vero belli veluti dux hostes debellans, interdum rex gloriosus, et pacifice regnans, interdum doctor sapientes hujus saeculi confundens ostenditur.[1]

355) Errores. — Prophetias de Christo haberi quamplurimi negarunt rationalistae vel omni nexu sublato inter Vetus et Novum Testamentum, vel denegato ipsarum messianico caractere.

Ita in opinione Kuenen († 1891)[2] cum nullus sit nexus inter Vetus et Novum Testamentum, nulla proinde habetur prophetia messianica, et vaticinia nihil aliud sunt quam prophetarum ideae eventibus et circumstantiis excitatae et determinatae.

Juxta alios vero[3] prophetiae messianicae sunt naturalis

[1] Hisce apparentibus contradictionibus moti Judaei, duplicem sibi finxerunt Messiam, alterum filium Joseph (scil. ex tribu Ephraim) qui passurus esset et moriturus; alterum filium David, qui post prioris mortem esset regnaturus.

Errant quoque hodierni Rationalistae, qui, ad prophetiae visionis et dictionis characterem non attendentes, putant prophetas inter se pugnare; hinc alteram *spem messianicam* Joeli tribuunt, qui de solo *regno messianico* vaticinatus est, alteram vero *Isaiae*, qui multa de Messiae persona tradidit et docuit.

[2] *The Religion of Israel; Prophets and Prophecy in Israel.*

[3] Cf. Darmsteter, *Les prophètes d'Israël;* Greg, *Cread of Christendom.*

ortus et progressus ideae messianicae evolutae gradatim tum per altioris theologiae notionem, tum per externas populorum oppressiones: exinde spes et persuasio nata est de futura populi Judaici glorificatione et redemptione per Messiam.

Immo juxta alios haec ipsa spes creavit messiam, ita ut quando Christus ortus est ei populus tribuerit qualitates messiae, quibus paulatim Christus inscie quodammodo se accommodavit, eoque devenit, ut crediderit se vere esse Messiam, quam persuasionem etiam in discipulos suos Christus immisit, efficiens ut ipsi omni arte ostendere conati sint Christum Jesum revera messiam fuisse, omnesque in eo prophetias adimpletas.[1]

356) PROBATUR I PARS. — *Multis saeculis ante Jesu Christi adventum Judaei Salvatorem quendam, seu Messiam expectabant.*

Adventum legati divini, quem χριστόν, idest *Unctum*[2] appellabant, jamdiu Judaeos expectasse eruitur ex plurimis locis tum Veteris, tum Novi Testamenti.

Omissis locis Veteris Testamenti, quae nota erunt per singularum prophetiarum expositionem, certitudinaliter ex Novo Testamento eruitur Judaeos Messiam expectasse.

Nonnulla innuemus: *a*) In cantico Zachariae:[3] *Et tu puer propheta Altissimi vocaberis, praeibis enim ante faciem Domini parare vias ejus.* Item *b*) patet ex interrogatione Herodis ubi *Christus* (ὁ χριστός) nasceretur;[4] quo in loco notandum est quod verbum graecum adhibitum ὁ χριστός, *unctum per excellentiam,* scilicet *messiam* designat, de cujus adventu nullum esse dubium aperte declarat verbum γεννᾶται *(nascetur)* in praesenti tempore adhibitum.

c) Idem ostenditur ex cantico Simeonis, qui expectabat *consolationem Israel et responsum acceperat a Spiritu Sancto*

---

[1] Cf. HARNACK, op. cit.
[2] Cf. DAN., IX, 25, 26; JOANN., I, 41; IV, 25.
[3] LUC., I, 76 sq.
[4] MATTH., II, 4.

non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini (Τὸν Χριστὸν Κυρίου).[1]

d) Pariter id ostendit Anna prophetissa, quae loquebatur de Jesu *omnibus qui expectabant redemptionem Israel*.[2]

e) Item ex legatione Judaeorum ad Baptistam, ut ab ipso quaererent quisnam esset; quibus Joannes confessus est: *quia non sum ego Christus* (ὁ Χριστός).[3]

f) Item ex interrogatione Joannis: *Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?*[4]

g) Idem patet ex verbis Andreae et Philippi: *Invenimus Messiam, quod est interpretatum Christus* (Εὑρήκαμεν τὸν Μεσσίαν ὅ ἐστι μεθερμηνευόμενον, ὁ Χριστός);[5] *quem scripsit Moyses in lege et prophetae, invenimus.*[6]

h) Rursus Judaei videntes Christi signa exclamarunt: *Hic est vere propheta* (ὁ προφήτης) *qui venturus est in mundum.*[7]

Et adeo fixa manebat in mente Judaeorum spes futuri Messiae ut secum invicem quaererent: *Christus cum venerit, numquid plura signa faciet, quam quae hic facit?*[8]

357) Huc accedit Apostolorum praedicatio, qui Christum Messiam vocant *spem Israel*,[9] quique Christo interroganti: *Quid vobis videtur de Christo: cuius Filius est?* statim responderunt: *David.*[10]

358) Eadem spes et persuasio apud Samaritanos quoque vigebat, ut patet ex verbis mulieris Samaritanae ad Christum: *Scio, quia Messias venit, qui dicitur Christus;*[11] quae

---

[1] Luc., II, 25; Cf. etiam *Canticum Mariae Virginis*, Luc. I, 54 sq.

[2] Luc., II, 38.

[3] Joann., I, 19, 20.

[4] Matth. XI, 3.

[5] Joann., I, 41.

[6] Joann., I, 45.

[7] Joann., VI, 14. Quo in loco vocabulum ὁ προφήτης non *videntem*, sed *Dei nuntium* et *legatum* significat.

[8] Joann., VII, 31.

[9] *Actis*, XX, 28.

[10] Matth., XXII, 42. Cf. Luc., II, 38; Marc., XV, 43; *Act.*, XXVI, 6; XXVIII, 20.

[11] Joann., IV, 25.

verba apertissime demonstrant jam ante Samaritanorum separationem a Judaeis (post annum 722 ante Christum) hanc fidem extitisse.

359) Pariter eadem fides invenitur in multis libris apocryphis ortis vel ante Christum, vel circa tempus quo Christus floruit, ut ecce *Oracula Sibyllina, liber Henoch, psalterium Salomonis, liber Jubilaeorum, liber IV Esdrae, paraphrases chaldaichae Veteris Testamenti.*[3]

360) Hisce attestationibus consentiunt ethnici ipsi, testibus enim ipsis gentilibus scriptoribus, rumor hujus expectationis apud eos sparsus erat.[4] *Pluribus persuasio inerat,* scribit TACITUS,[5] *antiquis sacerdotum litteris contineri, eo ipso tempore fore, ut valesceret Oriens, profectique Judaea rerum potirentur.*

361) Notandum denique est tot pseudomessias saepe saepius surrexisse ad turbas excitandas, quod apertissime demonstrat spem de futuro Messia altas in mente non solum Judaeorum, sed omnium gentium radices egisse.

362) PROBATUR II PARS. — *Haec fides ortum habuit ex vaticiniis vere messianicis.*

Ut hoc probemus ostendimus 1°) hanc fidem non fuisse naturaliter evolutam a Judaicis aspirationibus; 2°) non fuisse creatam a Christianis.

363) *A). Haec fides non fuit naturaliter evoluta a Judaicis aspirationibus.* Inquirenti enim in messiae expectationem, quae apud Judaeos vigebat, facile persuasum erit ideam propagationis religionis monotheisticae per messiam perficiendae, ingenio hebraico repugnare, neque posse, praescindendo a revelatione, explicari ejus progressum multo minus ipsum ortum.

---

[1] Cf.: HANEBERG, *Geschichte der bible,* p. 576; LANGEN, *Judenthum in Palästina,* p. 178, 391, 446; SCHÜRER, *Geschichte des jüdischen Volkes in Zeitaller Iesu Christi,* II, p. 417.

[2] Cf.: FLAV. JOSEPH., *De bello Judaico,* l. VI, c. 5, p. 4; SVETON., *Vespasianus,* c. 4; VIRGILIUS, *Eglog.* IV; CICERO, l. II, *de divinatione;* Cf.: NICOLAS, *Études philosophiques,* vol. II, c. 5; H. PERREYVE, *Études historiques,* p. 191 sq.

[3] *Historiarum,* l. V, c. 13.

1°) Certe ortus nequit explicari cum constet apud alias gentes semiticas, quae ex eadem stirpe erant, hanc ideam non viguisse, pariterque constet Hebraeos origine fuisse nomades, pastorali vitae deditos, nullasque cum aliis nationibus per longum tempus habuisse relationes; quae omnia conciliari nequeunt cum idea totum mundum subjugandi. Haec proinde idea naturaliter orta dici nequit, sed supernaturaliter revelata.

2°) Multo minus haec idea tribui potest progressivae evolutioni aspirationum quas Judaei fovebant; ipsi enim inter se divisi erant, saepe saepius ab Assyriis et Aegyptiis opprimebantur.

Quando igitur per naturalem evolutionem hisce in adjunctis potuissent pertingere ad visionem regni universalis?

Vis autem argumenti crescit si consideremus ideam regni messianici in libris iisdem exponi, ubi annuntiatur castigatio et oppressio Judaeorum per Aegyptios et Assyrios perficienda.

Insuper Judaei saepissime, cum undique ab idololatris circumdarentur, in idololatrian inciderant, quo fiebat ut difficilius idea regni messianici et monotheismus evolverentur; multo minus haec idea poterat ad alias gentes extendi, tum ex facto quod hae idololatrae erant et superstitionibus imbutae; tum ex eo quod Judaei gentes abhorrebant.[1]

364) B) *Haec fides non fuit a Christianis creata.* Hoc haud difficulter ostendi potest, antequam enim Christiani existerent, iam idea de regno messianico late diffusa erat, uti eruitur tum ex ipsa Samaritanorum expectatione,[2] tum ex ipsis monumentis a christiano influxu independentibus. Haec enim legimus in libris apocriphis superius (n. 359) citatis: *Revelabitur enim filius meus Jesus* (*messias* uti legitur in versione syriaca) *cum his qui cum eo sunt, et ju-*

---

[1] Cf. TANQUEREY, op. cit., p. 240 ; DE BROGLIE, *L'idée de Dieu dans l'Anc. Testam.*, 3ª Conf.

[2] JOANN., IV, 25 sq.

cundabuntur qui relicti sunt in annis quadringentis. Et erit post annos hos et morietur filius meus Christus.[1]

365) *C) Hanc fidem Judaei hauserant ex sacris scripturis veteris testamenti.* Haec conclusio deducitur ex ipsis sacrae scripturae testimoniis. Et sane apud Matthaeum [2] legimus sacerdotes ad magos inquirentes ubi Christus nasceretur respondisse: *Sic enim scriptum est per prophetam.* Apud Lucam[3] : *Sicut locutus est per os sanctorum, qui a saeculo sunt,* prophetarum *eius.* Apud Joannem:[4] *Nos audivimus ex lege, quia Christus manet in aeternum* (cf. *Joann.*, I, 45).

Saepe vero Evangelistae, praesertim Matthaeus, de gestis Christi agentes, scribunt: *Hoc factum est ut Scriptura impleretur,*[5] quod ostendit ipsis persuasum esse messianicam expectationem in scripturis veteris testamenti fundari.

366) Idem demonstratur, tum ex *traditionibus talmudicis*, e. g. ex libro *Sanhedum,* c. *chelek: Prophetae universi non prophetarunt nisi de diebus Messiae;*[6] tum ex *libris rabbinicis* in quibus de mendacio illae arguuntur Scripturae quae negant articulum de adventu Messiae;[7] tum ex rabbinorum libris liturgicis, ubi haec leguntur: *Credo perfecto corde Messiam esse venturum; etiamsi ejus adventus dilatus fuerit, patienter ejus promptam apparitionem expectabo.* Et alibi: *Misericordiae tuae placeat reverti Jerusalem in civitatem tuam, ibi habitare velis sicut promisisti; cito reaedifica eam, cito restaura in ea thronum David: fac germem servi tui florescere, et cornu ejus in tua salute exaltari.*[8] Quae omnia ex sapientissimo Dei consilio scri-

---

[1] *Liber IV Esdrae.* Cf. etiam: *Liber Henoch,* et *Assumptio Moysis.*

[2] II, 5.

[3] I, 70; cf. v. 55.

[4] XII, 24.

[5] MATTH., I, 22; II, 15-17; III, 3; IV, 14 etc.

[6] Cf. RAYM. MARTINI, *Pugio fidei,* fol. 278, 532.

[7] MAIMONIDES, cf. EDERSHIM, *The Life and times of Jesus the Messiah,* vol. I, 707-740.

[8] Cf. ADLER, *Course of Sermons,* p. 125-126; WEIL, *Le Judaisme et ses dogmes,* III, 401-402.

pta sunt ad confirmandam vaticiniorum messianicorum genuinitatem, uti merito notat S. Augustinus cum scribit: *Ne forte dicant duri ad fidem quia nos illas* (scil. prophetias) *Christiani composuimus, et cum evangelio quod praedicamus finxerimus prophetas, hinc eos convincimus quia omnes ipsae litterae, quibus Christus prophetatus est, apud Judaeos sunt. Codicem portat Judaeus unde credat Christianus.*[1]

367) Huiusmodi autem effata quibus innitebatur spes de futuro Messia, erant verae prophetiae, et quidem messianicae.

α) Ut probetur haec effata esse veras prophetias, sufficit ostendere longe praecessisse eventus implementum,[2] et versari circa facta quae tempore quo fiunt nondum in causis sunt determinata, cum sint facta prorsus contingentia.

Nostra autem vaticinia jamdiu praecessisse Christi adventum omnibus in comperto est, siquidem inveniuntur in collectione librorum Veteris Testamenti, quae jam completa erat tribus vel saltem duobus saeculis ante Christi ortum. Hoc eruitur ex ipso prologo libri Ecclesiastici, ubi legitur quod nepos Jesu, filii Sirach, dicit de se octavo et trigesimo anno Ptolomaei Euergetis (circa a. 130 a. Chr.) venisse in Aegyptum, ibique versionem invenisse legis, prophetarum, aliorumque librorum, quae non mediocriter differret a textu hebraico, ideoque sibi visum esse versionem libri avi sui, idest Ecclesiastici conficere. Exinde deducimus versionem graecam LXX omnium librorum (protocanonicorum) Veteris Testamenti jam saeculo secundo ante Christi adventum in communi usu fuisse apud Aegyptios.

His accedunt quae Eusebius, plurimique scriptores sacri referunt de Aristobulo, Anatolio, et Aristaeo, qui omnes affirmant versionem factam esse a 70 interpretibus in gratiam Ptolomaei Philadelphi: ex quo deducitur non multo

---

[1] *Enarratio* in *Psalm.* LVI, n. 9.

[2] Confer quae diximus supperius *de prophetiae cognoscibilitate* n. 263 et sqq.

post saeculum tertium a. Christum jam extitisse versionem graecam illorum librorum V. T., in quibus vaticinia messianica inveniuntur; consequenter haec vaticinia, quae in versione LXX exstant, saltem tribus saeculis ante Christum legebantur in textu hebraico.[1]

368) Haec autem vaticinia jam multo ante Christi ortum extantia humana sagacitate confici non potuisse patet ex eo quod exhibent loci, familiae, temporis aliaque minutissima adjuncta, quae omnia non solum a Jesu ipso, sed etiam a libera voluntate Judaeorum Principum populi et sacerdotum pendebant: quaeque omnia 300 annis ante eventum neque praevideri naturaliter potuerant. Ergo effata Sacrae Scripturae quibus innitebatur spes Judaeorum de futuro Messia, erant vera vaticinia.

369) β) Immo haec vaticinia fuisse vere messianica quis facile dabit, dummodo singula inspiciat quae personalem messiam enunciant, magna cum copia adjunctorum et circumstantiarum vel minutissimarum. Quod autem spes de Messia non se referret ad novam aeram, ad materialem tantum restaurationem populi judaici, sed reapse ad personam determinatam, patet ex ipsa Caiphae ad Christum adjurationem: *Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis si tu es Christus Filius Dei.*[2]

Ergo in Scripturis V. T. adsunt prophetiae vere messianicae.

§ II. Messianicarum prophetiarum expositio.

370) Praenotanda. — Vaticinia messianica possunt vel singula considerari in se, et comparari cum singulis factis vitae Jesu Christi, aut omnia simul assumi, quatenus

---

[1] Cf. Euseb., *Praeparatio Evangel.*, l. XIII, c. 12; m. 21, 1097; l. VIII, c. 1, 2; m. 21, 587; *Hist. Eccles.*, l. VII, c. 32; m. 20, 728; Clemen. Alex., *Strom.*, l. I, c. 22; m. 8, 893; Justinus, *Cohort. ad Graecos*, XIII, m. 6, 265; Irenaeus, *Adv. haeres.*, l. III, c. 21, m. 2; m. 7, 947 sq. Cf. etiam: I. Flavius, *Contra Apion.*, l. II, n. 4; Philo, *De vita Moys.*, II, 5 sq.; Cornely, *Introd.* I, 338.

[2] Matth., XXVI, 63.

constituunt elaboratam praeparationem adventus Messiae, et religionis Christianae, quae est Mosaicae maturus perfectusque fructus. Hinc est quod religio christiana et religio judaica inter se separari nequeunt, sed, uti scite notat PESCH,[1] *ab initio mundi usque ad nostra tempora unam continuam seriem eventuum maxime mirabilium complectuntur, cui nihil par, nihil simile appareat in omnibus reliquis factis historicis. Tota haec series indolem praeternaturalem praesefert, ut eam ex principiis pure naturaliter explicare velle sit coeptum desperatum.*[2]

Nos in nostra tractatione vaticinia simul sumpta considerabimus, inhaerentes tamen quorundam theologorum vestigiis, qui vaticinia, secundum varias formas quas spes messianica induit, in quinque epochas distinguunt. Hae autem sunt: 1°) Promissio Reparatoris tempore revelationis primitivae; 2°) gradualis evolutio ideae messianicae a Moyse ad Davidem et Salomonem inclusive; 3°) Spes *personalis Jehovae interventus* qui Israel redimat ab oppressione ac servitute, regnumque in monte Sion firmet in aevum; 4°) Spes redemptionis per obedientiam et mortem divini legati; 5°) tandem idea messianica connectitur cum *templi instauratione*, describitur enim adventus Jehovæ in templum suum, qui regnum spirituale firmabit non solum super Judaeos, sed etiam super omnes gentes.[3]

371) Uti patet in expositione prophetiarum, ut hae melius intelligantur necessaria est investigatio historico-critica temporum quibus prophetae floruerunt, ipsi enim semper exponentes divinum salutis consilium triumphum finalem describunt, quin tamen praecisionem faciant ab actuali personali et historica conditione.[4]

Hisce praemissis praecipua vaticinia messianica exponemus.

I.) *Prima ideae messianicae lineamenta in Pentateucho.*

---

[1] Op. cit., p. 128, n. 217.

[2] Cf. NEWMAN, *Grammar of assent.* c. 10, § 2, n. 6.

[3] Cf. TANQUEREY, op. cit. p. 246.

[4] Cf. *Ephem., Studi Religiosi,* ann. I, f. 1, p. 83; JACQUE THOMAS, *Mélanges d'histoire et de Litter. relig.* 1899, p. 247.

Proto-Evangelium.[1]

372) In Capite III Geneseos haec legimus:[2] *Ait Dominus Deus ad serpentem: Quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia animantia et bestias terrae; super pectus tuum gradieris et terram comedes cunctis diebus vitae tuae.*

Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius: ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo ejus.[3]

Maledictio Dei non serpenti directe, sed tanquam diaboli symbolo et instrumento, principaliter vero diabolo infigitur; et hoc fit, quia omnis poena semper culpam supponit.[4]

Insuper hisce versiculis inimicitia (non naturalis horror) praenuntiatur inter serpentem et mulierem, inter semen serpentis et mulieris semen; idest pugna praedicitur inter duos exercitus, quorum prior constabit ex iis omnibus, qui cum diabolo capite ita uniuntur, ut possint dici se-

---

[1] Nomine *Proto-Evangelii* intelliguntur versiculi 1-15, capitis III Geneseos, quia totam salutis oeconomiam continent.

[2] Vers. 14, 15.

[3] Tam in textu Hebraico, quam in textu graeco LXX Interpretum invenitur consonantia verbalis in versiculo 15, quae a Vulgata, quae in prima parte sequitur sensum textus haebraici *(ipsa conteret)*, in secunda sensum versionis LXX (*et tu insidiaberis*), omittitur. Ita verbatim sonat textus hebraicus: *Inter mulierem et inter te ponam inimicitiam et inter semen illius et inter semen tuum et ipsum tibi conteret caput, et tu ei conteres calcaneum;* quae verba ita redduntur a LXX interpretibus: καὶ ἔχθραν Θήσω ἀνὰ μέσον σοῦ καὶ ἀνὰ μέσον τῆς γυναικὸς, καὶ ἀνὰ μέσον τοῦ σπέρματος σοῦ, καὶ ἀνὰ μέσον τοῦ σπέρματος αὐτῆς· αὐτὸς σοῦ τηρήσει κεφαλήν· καὶ σὺ τηρήσεις αὐτοῦ πτέρναν. Secunda pars huius versiculi explicat primam partem determinando quomodo inimicitia erit inter mulierem et serpentem: nempe secum invicem insidias struendo cum vir serpentis caput conterat, serpens veneno inficiat hominis calcaneum. Exinde patet verbum hebraicum *schûf*, quod repetitur, diversam significationem praeseferre. Cf. Levesque, *L' Authenticité et les Erreurs de la Vulgate, ap. Revue du Clergé français*, 1 mars 1895; vel *Revue biblique*, 1895, p. 648.

[4] Cf. Miche., VII, 17; *Epist. ad Rom.*, XVI, 20.

men illius;[1] alter vero constabit ex muliere et ex hominibus bonae voluntatis qui contra diabolum pugnabunt, et tandem victores evadent. Itaque hic est sensus hujus versiculi: amicitiam, quam mulier peccando, cum diabolo fecit, in inimicitiam convertam, et efficiam ut semen mulieris diabolum sit penitus superaturum, quamvis ipsum quoque semen mulieris non sine vulnere maneat.[2]

Utrum vero semen mulieris sit unus aliquis, an multitudo non aperte significatur; contextus tamen exigit ut multitudo intelligatur in unitatem collecta sub aliquo duce qui sit seminis electi reparator et liberator.[3]

Vaticinium Noe.[4]

373) Per hoc vaticinium, quamvis sit deprecatoriâ formâ emissum, magis tamen declaratur promissio protoparen-

---

[1] Joann., VIII, 44; *Apocal.* XII, 7-9.

[2] Cum verba conteret et insidiaberis eodem verbo hebraico exprimantur, opponunt nonnulli non recte intelligi quodnam semen victoriam sit reportaturum; utrum semen diaboli, an mulieris. Ex contextu vero res dilucidatur, siquidem maledictio est directe posita contra serpentem diabolum cujus caput mulier conteret; dum mulieris calcaneum tantum vulneratur. Quaerentibus vero quodnam sit hoc calcanei vulnus, respondemus esse peccatum originale, vel melius consectaria peccati originalis, cujus vestigia aerumnosa etiam post redemptionem in humana natura perseverant, efficiuntque ut saepe saepius homines magis ad malum quam ad bonum proni sint.

[3] Hoc vaticinium ad Christum referri patet ex ipsis Scriptoribus N. T. ad quod saepe respiciunt (Joann., Ep. I, c. III, 8; *Apoc.*, XII, 9; XX, 2; Lucas, X, 18, 19; Paulus, *ad Galat.*, III, 16, 29; *2 Cor.* XI, 3). Patres pariter de Christo hic agi intellexerunt, ut ecce S. Justinus *(Dial. cum Triphone, n. 100);* S. Irenaeus *(Adv. Haeres.,* IV, 40, 3); S. Cyprianus (*Test.* II, 9); S. Epiphanius *(Haeres.*, 88, n. 18-19) aliique plurimi. Idem e Targum colligimus, ubi haec legimus: *Quum autem relinquent* (filii mulieris) *praecepta legis, studebis ut mordeas eos in calcaneis ipsorum; verum illis erit medicina; quia medicinam adhibebunt calcaneo in diebus Messiae* (cf. Patrizi, *De inter.* SS., l. II, q. 4; Lamy, *Comm. in gen.* I, p. 283; Bade, *Christologie des A. T.*, I, 49; Tappehorn, *Erklärung der Genesis*, S. 87).

[4] *Gen.* IX, 26, 27.

tibus facta, quatenus indicatur specialis illa *stirps*, unde salus oritura sit; ait enim Noe: *Maledictus Chanaan, servus servorum erit fratribus suis.... Benedictus Chanaan Deus* (Jahve Elohim) *Sem, sit Chanaan servus ejus. Dilatet Deus Iaphet, et habitet in tabernaculis Sem, sitque Chanaan servus ejus.* [1]

Hujus benedictionis sensus est: Jahve erit peculiari modo Deus Sem, ejus dux et protector, quatenus speciale foedus firmabit cum Semitis. Hoc enim eruitur ex locutione: *Deus Sem*; quia vox *Elohim* adhibetur ad indicandum Deum mundi creatorem et super omnia eminentem, dum vox *Iahve* adhibetur ad indicandum Deus ut est auctor ordinis supernaturalis et supernaturaliter providus; proinde verba: *Benedictus Jahve, Elohim Sem*, idem valent ac si dicatur: *Deus in stirpe Sem, se ut Jahve manifestabit.*

Japhet vero, post temporalem espansionem, per Sem particeps erit gloriae illius, quia Jahve erit Deus ejus, et per ipsum spiritualem benedictionem accipiet.[2] Ergo ex stirpe Semitica orietur liberator.

Promissiones Abrahae factae [3]

374) Ex filiis Sem cui Noe benedixerat electus fuit Abram cui Deus, mutato nomine in *Abraham*, ad indi-

---

[1] Hunc textum ita restituit Loisy: *Benedicat* (loco *benedictus*) *Iahve tabernacula Sem.* (*Revue d'Histoire et de Litterat. relig.* 1897, p. 87). Cf. Maas, *Christ in type and prophecy*, p. 212; Hangstenberg, *Christology*, vol. I, p. 20 sq.

[2] Hunc sensum subesse huic prophetiae sequentia ostendunt vaticinia, et communis SS. Patrum interpretatio. (Cf.; S. Augustinus, *Contra Faust.* XII, 24; S. Hieronymus, *Hebr.* quaest. c. 10).

Quominus autem haec verba intelligi debeant de expugnatione terrarum semiticarum per Japhetidas gentes adimplenda, vetat contextus.

[3] David Castelli in opere cui titulus: *La profezia nella Bibbia* (p. 22) in dubium revocat existentiam Abrahami et valorem benedictionum quae ipsi tribuuntur. *Tutto ciò che si riferisce a questo primo patriarca della gente ebrea, ha troppo poco l'indole storica, la sua persona non si sa bene ancora se abbia realmente esistito, o rappresenti piuttosto*

candum quod pater multarum gentium futurus erat, benedixit et per eum benedictiones Semiticis factas ad omnes gentes descendere jussit. *Dixit autem Dominus ad Abram: Egredere de terra tua et de cognatione tua, et de domo Patris tui, et veni in terram quam monstrabo tibi. Faciamque te in gentem magnam et benedicam tibi et magnificabo nomen tuum, erisque benedictus. Benedicam benedicentibus tibi, atque in te benedicentur universae cognationes terrae.*[1] Hisce in verbis quatuor invenimus gradatim positas benedictiones promissionesque: 1°) *Faciamque te in gentem magnam,*[2] nempe promittitur Abrahae numerosa progenies; 2°) *Semini tuo dabo terram hanc,*[3] scilicet in hac progenie promittitur affluentia bonorum, non naturalium tantummodo; 3°) *Benedicam tibi et magnificabo nomen tuum,*[4] item gloriae affluentia promittitur; 4°) *In te benedicentur universae cognationes terrae,*[5] nempe in sua progenie et per eam erit etiam aliis benedictio, i. e. erit abundantis benedictionis fons.

Ex hisce promissionibus deprehendimus Abraham duplicem habere ad posteros habitudinem, unam quidem na-

---

un tipo etnografico, dimodochè da lui non può certo ripetere la sua prima origine la profezia ebraica. Haec autem difficultas evanescit, et omnis circa Abrahae existentiam dubitandi locus adimitur per monumenta in Aegypto nuper detecta, quae adamussim confirmant quae S. S. de Abraham refert. Cf. VIGOUROUX, *La bibles et les decouvertes modernes,* t. I, p. 458-472; IDEM, *Les Livres Saints et la critique rationaliste,* tom. IV, p. 298-310.

[1] GEN., c. XII, 1 sqq. In textu hebraico loco verborum *erisque benedictus* legimus: *et esto benedictio,* quae verba sunt magis significativa.

[2] Cf. GEN., XIII; 16; XV, 5; XVII, 2.

[3] GEN., XII, 7; cf. XIII, 15; XX, 13-21.

[4] Cf. GEN., XVII, 16; XXII, 17; XXIV, 1; XXV, 11; XXVI, 3, 12, 24.

[5] Cf. GEN., XVIII, 18; XXII, 18; XXXI, 4; XXVIII, 14. Quod versiculo 2, capitis XII exprimitur, clarius indicatur capite XXII, 18: benedicentur *in semine tuo* omnes gentes terrae. Hoc loco versio Syriaca additamentum habet: *in te et in semine tuo.* Cf. CORLUY, *Spicilegium dogmatico biblicum,* p. 373 sq., DE HUMMELAVER, *Cursus S. S., Comm. in Genesim,* p. 364.

turalem, quatenus scilicet posteri ejus in magnum populum excreverunt ; alteram vero spiritualem, testante Petro : [1] *Vos estis Filii prophetarum et testamenti quod disposuit Deus ad Patres nostros, dicens ad Abraham : Et in semine tuo benedicentur omnes familiae terrae.* Quae Petri verba clarius Apostolus Paulus determinat scribens ad Galatas : [2] *Cognoscite ergo quia qui ex fide sunt, ii sunt filii Abrahae. Providens autem scriptura, quia ex fide justificat gentes. Igitur qui ex fide sunt, benedicentur cum fideli Abraham.*

Notandum insuper est quod illud *in te*, quod etiam *propter te* interpretari potest, significat Abraham esse fontem unde benedictio ad omnes gentes descendet, nempe per semen Abrahae. Tota igitur haec benedictio a multiplicatione *seminis* proficiscitur, atque ita deprehenditur cum protoevangelio intime connexa : benedictio enim ex Abrahae semine in omnes gentes derivanda, est ipsa seminis mulieris de serpente promissa victoria, quod semen Christus est.

Clarissimus Pesch,[3] ut ostendat hanc benedictionem, Abrahae datam esse spiritualem, ita argumentatur : *Quomodo omnes gentes consecuturae sint temporalem benedictionem in semine Abraham, vix intelligi potest ; immo Abraham videbat multos alios populos abundantes divitiis et potestate, et a Deo audierat alios populos a semine suo temporaliter affligendos esse.*[4] *Nihilominus omnes alii populi in semine Abraham benedictos se agnoscent, id quod exprimitur per formam* hiphtaël : hithbarcu, i. *e se benedicent.*[5] *Intelligitur ergo benedictio spiritualis.*

---

[1] *Actis*, III, 25.
[2] III, 7-9. Cf. etiam *Ep. ad Rom.*, IV, 16 ; IX, 6.
[3] Op. cit. n. 220.
[4] Gen., XV, 16 sq.
[5] Gen., XXII, 18 ; XXVI, 4.

Vaticinium Jacob.[1]

375) Cum Jacob esset moriturus, ut refert Genesis,[2] *vocavit filios suos, et ait eis: Congregamini ut annunciem quae ventura sunt vobis in diebus novissimis.* Predicit postea humiliationem Ruben, dispersionem Simeon et Levi, pro-

---

[1] Cf., S. Ambrosius, *De benedictionibus Patriarcharum;* S. Augustinus, *De benedictionibus Jacob;* Corluy, *op. cit.*, t. I, p. 456 sq.; L. Lémann, *Le sceptre de la tribù de Juda entre les mains de J. C., ou le Messie venu;* Vigouroux, *Man. bibliq.*, tom. I; Pesch, *op. cit.*, n. 221; Hurter, *op. cit.*, n. 42; Hengstenberg, *op. cit.*, vol. I, p. 47; Maas, *op. cit.*, p. 282; Wilmers, *op. cit.*, p. 220, sq; Tanquerey, *op. cit.*, vol. I, p. 248; Hummelauer S. I., *In Gen. hoc loco;* Lagrange, *La prophetie de Iacob, apud Rev. bibl.*, 1898, p. 525; F. Delitzsch, *Comment. über die Genesis*, p. 587, Carl. Frid. Keil, *Biblischer commenter über die Bücher Moses*, p. 302.

[2] Cap. XLIX, vers. 1-10. De authentia hujus prophetiae. ob messianicum caracterem quem induit, quam plurimi dubitarunt. Sed difficultas, quae movetur, cadit per ipsam quorundam Rationalistarum confessionem, ut ecce Munk (*Palestine*, p. 113-115) qui haec scribit: *Non ostante i dubbi della moderna critica messi in campo contro l' autenticità di questo poema, noi non esitiamo punto a riconoscervi, giusta la comune tradizione, l'opera del patriarca Giacobbe.* Hanc quaestionem sibi proponit etiam clarissimus Lagrange (*Revue bibl.*, 1898, p. 538): *Quel est,* inquit, *l' auteur du poème? Il est incontestable que le texte les attribue à Jacob, mais les historiens n'ont jamais hésité, sans encourir le moindre reproche d'erreur ou de fausseté, à placer dans la bouche de certains personnages des harangues composées à loisir. Il suffit pour la vérité historique qu'elles soient en situation. Le cas se résout par les vraisemblances, par les indications fournies par l'auteur lui-même. Or il n'est pas vraisemblable qu'un vieillard mourant compose une poésie aussi soignée, et l'auteur lui-même nous met sur la voie au v. 7; Jacob pouvait-il dire en personne: Je les répartirai dans Jacob, je les disperserai dans Israël? Il est étonnant qu'un ancêtre emploie son propre nom comme celui du peuple qui doit descendre de lui, et dans un sens qui ne peut être que postérieur. L'auteur insinue ici que Jacob, à supposer qu'il ait prophétisé tout cela, n'a pa du moins composé le poème. On a pu recuillir l'écho de ses paroles et lui donner sa forme actuelle.*

D'ailleurs, tout en maintenant expressément au poème un caractère prophétique, si nous suivons nos adversaires sur leur terrain, nous les voyons obligés de reconnaître au poème une extrême antiquité.

pter eorum culpas. Ad Judam autem conversus: *Juda,* inquit, *te laudabunt fratres tui: manus tua in cervicibus inimicorum tuorum, adorabunt te filii patris tui....* NON AUFERETUR SCEPTRUM DE JUDA, ET DUX DE FEMORE EIUS, *donec veniat, qui mittendus est, et ipse erit expectatio gentium.*[1]

Hoc vaticinium maximi momenti est, quum semper non solum a Christianis, sed etiam a Judaeis ut messianicum habitum sit.

Regia dignitas jam Abrahae et Jacob posteris promissa,[2] denuo hic praedicitur: non quidem ut ipse Juda rex futurus sit, sed quatenus ex Judae descendentibus reges erunt, nempe in *diebus novissimis.* Haec autem potestas procedet ex parvis initiis *(catulus leonis Juda)*, crescet (*ad praedam ascendisti*), erit insuperabilis (*acquiescens accubuisti ut leo, quis suscitabit eum?*),[3] et perpetua *(sceptrum non deficiet)*, eximiamque adducet felicitatem *(ligans ad vineam pullum suum.... lavabit in vino stolam suam).*

376) Venio nunc ad difficultates quae occurrunt in explicatione hujus vaticinii, ut melius ejusdem intelligatur vis. Vox hebraica *schebet,*[4] quae ponitur in primo emystichio versiculi decimi, sceptrum evidenter significat; et vox *mehoqeq* (baculus) alii per *legislatorem,* alii, paralle-

---

[1] Eadem fere verba a BALAAM repetuntur. Hic postquam commemoravit posteritatem numerosam patriarchis promissam (*Num.*, XXIII, 10), Judae fortitudinem (XXIII, 24), Dei benedictionem populique prosperitatem (XXIV, 9), ita prosequitur: *Videbo eum sed non modo; intuebor illum, sed non prope. Orietur stella ex Jacob, et consurget virga de Israel; et percutiet duces Moab vastabitque omnes filios Seth. Et erit Idumaea possessio ejus; haereditas Seir cedet inimicis suis; Israel vero fortiter aget.*

Verba « *Orietur* » ita ONKELOS reddit in paraphrasi chaldaica: *Quum consurget rex de domo Jacob et ungetur Christus de domo Israel.* JONATHAN UZIEL: *Quum regnabit rex fortis ex domo Jacob, et ungetur Christus et sceptrum forte Israel, et interficiet principes Moab.*

[2] *Gen.*, XVII, 6-16; XXXV, 11.

[3] Haec phrasis melius intelligitur ex paraphrasi Chaldaica: *Requieecet et habitabit in fortitudine quasi leo et quasi leaena, neque erit regnum, quod commoveat eum.*

[4] Alii per *tribum* vertunt, sed minus congruenter.

lismo innixi per *baculum* interpretantur.[1] Textus ita legi potest:

Non auferetur sceptrum de Iuda
Neque baculus imperii (scipio) de inter pedes ejus.[2]

377) Judae igitur hisce verbis promittitur praeeminentia seu imperium. Major difficultas oritur ex interpretatione alterius emystichii.

Vocabulum *sciloh* difficultatem parit;[3] hinc est quod plurima interpretationis systemata inducta sunt ad genuinum sensum inveniendum.

Praecipua autem systemata haec sunt: 1°) Nonnulli ita interpretantur vocem *sciloh* ut sensus sit: *donec* veniat *pax*, quatenus *pax* sit circumstantia quaedam quae notet Judae in suum territorium ingressum. Verum haec interpretatio ex contextu non sustinetur; non intelligitur enim quomodo Judas in requiem intraturus, sit sceptrum amissurus. Ceterum versiculus antecedens jam nobis Judam quiescentem exhibet: *Requiescens accubuisti ut leo.*

---

[1] *Num.* XXI, 18. Qui vocem MEHOQEQ *Septuaginta, Vulgata, Targg.* per *legislatorem, ducem,* aut *scribam* interpretantur, eam metaphorice assumunt ad generationem indicandam (Cf. *Deut.*, XXVIII, 57) et sensus est: *Tribus* (vel melius *sceptrum*) *non deficiet ex Juda, et legislator de inter pedes ejus.*

[2] Omnes critici, quos inter CALMET, CORLUY, HUMMELAVER, LAGRANGE, VIGOUROUX ex recentioribus, sensum parallelum praeferunt, notantes quod e monumentis Assyriorum aliarumque gentium compertum est sceptra antiquitus fuisse longa ad instar baculorum, ut revera *inter pedes* tenentium terram attigerint.

[3] S. Hieronymus unus diversimode textum hebraicum legit addens *hed* et *e* finalem, ita ut vox verbi *scialah* mittendi significationem induat, scilicet: *donec veniat qui mittendus est* seu *Messias.* Proinde haec vox eundem sensum haberet ac vox ὁ ἐρχόμενος quae in N. T. Messiam significat (Cf. MATTH., XI, 3; LUC., III, 16; VII, 19; JOAN., IV, 25; VII, 27, 31; *ad Hebr.*, X, 37 etc.). Verum haec versio iuxta grammaticae regulas non sustinetur, quia in lingua hebraica participium futurum non invenitur; quare verti debuisset: *donec veniat qui missus est,* non autem *qui mittendus est.*

2°) Alii vero dicunt hic agi de quodam determinato loco ad quem Judas perventurus est quadam speciali gloria circumfusus. Hanc hypothesim criticus quidam Ball confirmat per parallelismum cum versiculo septimo capitis trigesimi ex Deuteronomio, ubi legimus: *Audi Domine vocem Judae et ad populum suum introduc eum*. Sed hac in hypothesi nulla adest relatio inter priorem partem versiculi cum altera: sensus enim esset: *Sceptrum quod quiescit inter pedes ejus non recedet a Juda donec ipse venerit....* quonam? Certe haec explicatio non intelligitur, sicuti non intelligitur curnam nomen loci omissum sit. Qui vero putant hic *Salem* per *Jerusalem* intelligi, meram proferunt conjecturam nullo solido fulcitam fundamento.

Haec explicatio, scitissime notat Pesch,[1] *est impossibilis, quia, cum Israëlitae ad urbem Silo venerant, Josue, de tribu Ephraim, dux populi erat. Juda igitur, si tunc jam amisit sceptrum, illud numquam habuit. Praeterea haec explicatio est contra omnes veteres versiones, et pugnat cum sequentibus*: Et ipse erit expectatio gentium (*Hebr.* et ipsi oboedientia gentium, *seu*: ipsi oboedient gentes).

3°) Alii putant hic agi de aliqua persona, quae interpretatio, juxta Lagrange,[2] unice sustinetur; quia in prima parte versiculi sermo est de sceptro, in altera de homine cui parendum erit. Idea intermedia est de homine qui sceptrum capere debet. Cum igitur hic de benedictione agatur, patet sceptri amissionem compensandam esse per rem maxime gloriosam, scilicet, ut sensum obvium et simplicem sequamur, per extensionem sceptri quod Judaeus possidebit super omnes gentes. Haec hypothesis sustinetur per lectionem « *scellô* » quam habent antiquae versiones[3], et sensus esset: *Donec veniat ille cuius illud* (sceptrum) *est;* quasi vox sit conflata per vocabulum *ascer* (quis, quod) in *sce* abbreviatum, et *lo*, (cui).[4]

---

[1] *Op. cit.*, p. 132, n. 224.

[2] *Loc. cit.*, p. 130.

[3] *Onkelos, Targum, Syrus etc.*

[4] Ad hanc lectionem sustinendam ut phrasis grammatice irreprehensibilis sit, si supponamus *sce* esse pronomen relativum, debemus su-

Huc referri possunt quorundam codicum lectiones: ᾧ ἀπόκειται; et verba Ezechielis qui hanc phrasem concisam late evolvit.[1]

Ceterum omnis lectio, quae praeferri libeat, suis non caret difficultatibus, eam proinde sequimur interpretationem, quam LAGRANGE *perfecte satisfacientem* appellat, et circa quam nullam in posterum esse posse controversiam affirmat.

Ita igitur versiculus interpretari potest: *Sceptrum servatur a Iuda donec veniat ille cui destinatum est, quique super omnes populos imperium obtinebit.*[2]

378) Vox *donec* (*ad Ki*) non significat necessario ablatum iri principatum a Juda, quando venerit *shiloh*, sed solum in longe perfectiorem sublimandum, quando venerit *magnus ille pacificator*, seu magnus ille rex, cui haec potestas prae ceteris omnibus conveniat, et cui oboediturі sint populi.[3]

Quae cum ita sint concludimus cum clarissimo PESCH:[4] *Facile explicatur, quomodo secundum hunc sensum impleta sit prophetia. Regia dignitas eaque aeterna tribui Iuda,*

---

bintelligere pronomen *u*. Contra hanc interpretationem opponunt abbreviationem *ascer* in *sce* nunquam inveniri in Pentatheuco. Sed quoniam eadem abbreviatio occurrit in Cantico Deborae, nil mirum quod etiam antiquitus adhibita fuerit.

[1] Ipse haec habet (XXI, 32): *gnad bo ascèr lo amischpat: donec veniret cujus est judicium*. Nota tamen haec verba in vulgata inveniri in versiculo 27.

[2] *Cette interprétation,* scribit LAGRANGE (loc. cit. p. 531) *est parfaitement satisfaisante.... Elle n'exige aucun changement de consonnes dans le texte, le jod n'ayant pas été écrit primitivement; elle est suffisamment claire et grammaticale, puisque les versions orientales l'ont adoptée, elle est de plus conforme à la tradition hébraïque très ancienne,* cf. ZACH., IX, q. 11. *Ce passage ne devrait plus être controversé.* Cf. JAHN, *Einleitung in die Bücher des A. B.*, I, 511 sq., LAMY, *L'exégèse en Orient au IV^e^ s.*, apud *Revue biblique,* 1893, p. 178-179.

[3] Haec interpretatio ex locis parallelis illustrari potest, scilicet ex *Gen.*, XXVIII, 15; *Deut*, VII, 24; *2 Reg.*, VI, 23; *Dan.*, I, 21; *Matth.*, I, 25.

[4] *Op. cit.*, nn. 225-226.

simpliciter promittitur. Cum autem Christus sit rex aeternus de tribu Juda, respectu potestatis aeternae prophetia per Christum impleta est. Sed illud SCEPTRUM NON RECEDET A JUDA, DONEC SHILOH VENERIT, *ostendit etiam ante Christum jam tribum Juda potituram regia potestate, et hanc dignitatem regiam, saltem secundum jus, amissuram non esse, donec Messias venerit.*[1]

Proinde nequit sustineri quorundam opinio qui putant temporalem dignitatem ablatum iri a tribu Juda eo tempore, quo summam illam dignitatem spiritualem Messias consequatur, et non prius, quia subjungit PESCH: *valde difficulter explicatur quomodo secundum hunc sensum prophetia verificata sit per subsequentes eventus, cum jam pluribus saeculis ante Christum*, scil. tempore captivitatis Babyonicae, *regia dignitas ablata sit a tribu Juda.*

Paucis certe constat ex hisce Jacobi verbis ipsum praedixisse ex tribu Juda prodituram esse illud semen, in quo *benedicentur cunctae tribus terrae.* Hoc igitur vaticinio magis determinatur promissio protoparentibus facta de salute, quae veniet ex populo Semitico, ex filiis Abrahae, ex tribu Juda.

---

[1] Haec conclusio optime consonat cum verbis LAGRANGE (loc. cit. p. 540): *Il y est dit,* inquit, *que la royauté est déposée dans Juda, jusqu'au jour où quelqu'un, sans doute un Judéen en qui s'incarneront les destinées de la tribu, se servira du sceptre mis en réserve pour régner sur les peuples. Cette prophétie s'est réalisée dans l'empire universel exercé par Jésus-Christ. C'est à tort qu'on cherche à prouver qu'au moment de sa naissance le sceptre était sorti de Juda puisque Hérode était Iduméen. Le sens du texte est au contraire que le sceptre ne sortira pas avant que quelqu'un vienne le prendre. Il ne faut pas non plus se demander comment le sceptre était encore dans Juda au moment de la captivité de Babylone, puisque Jacob parle moins d'un pouvoir exercé réellement que d'un pouvoir tenu en réserve. Or c'est précisément à cette époque que les destinées de Jude ont pris leur essor et que Judéen est devenu synonyme d'Israélite. Jésus-Christ, sorti de Juda, a vraiment conquis l'obéissance des peuples. La prophétie s'arrête là; elle ne dit même pas qu'apres celui qui doit venir le sceptre sortira de Juda; la perspective de l'A. T. est terminée. C'est seulement par voie de conclusion qu'on remarque le revers de la médaille, Juda detruit comme puissance territoriale après avoir donné le Dominateur attendu.*

379) Huic vaticinio addi possunt quae Moyses prophetavit:[1] *Prophetam de gente tua et de fratribus tuis sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus; ipsum audies.* Sicuti autem Moyses liberator fuit et legislator Judaeorum, talis erit legistator et salvator in quo omnes benedicentur, de quo Moyses praedicit propheticum munus quod illi per excellentiam competere debebit.

Hunc sensum viticinio Moysis subesse omnes Judaei intellexerunt, uti patet ex verbis quae legimus apud Joannem,[2] Christus enim ibi enphatice dicitur ὁ προφήτης ὁ ἐρχόμενος.

Quod si quis per verba Moysis totam prophetarum seriem designari contendat, facile tamen dabit non esse ab hac serie Christum excludendum, qui est propheta per excellentiam.

II.) *Gradualis et perfectior evolutio Messianicae spei tempore Davidis et Salomonis.*

380) Idea et spes futuri Messiae adeo nova et perfectiora obtinuit incrementa tempore Regum, ut plene omnium Israelitarum mentes pervaserit.

Ex horum enim historia accepimus tribum Judae, (cui jam regnum promissum fuerat, de facto aliquem principatum obtinuit in deserto, cum alias tribus numero superaret,[3] cum in itinere primum locum teneret,[4] cum bis Judas belli dux fuerit,[5]) *gloriam regiam consecutam esse per David* quem elegit Dominus de universa domo patris sui, ut esset rex super Israel in sempiternum.[6]

Hoc itaque tempore Assjriae imperio clade ingenti allata, et sub Syriae regum potestate redacto,[7] Aegypto vero intestinis divisionibus laborante, cum David ad re-

---

[1] *Deut.*, XVIII, 15.
[2] VI, 14.
[3] *Gen.*, XLIX, 10.
[4] *Num.*, I, 26.
[5] *Ibid.*, II, 3-9; X, 13, 14.
[6] *Judic.*, I, 2; XX, 18.
[7] *I Paral.*, XVII, 4, 10, 11.

gnum instaurandum totus intenderet, effecit ut Messias veluti *unctus rex* expectaretur, quem specialiter *Dei filium* nominat.

381) *A.* Eodem tempore David, pace constituta, cum Deo templum aedificare vellet, haec per prophetam Nathan a Domino sibi nunciata accepit:[1] *Numquid tu aedificabis mihi domum ad habitandum?.... Fui tecum in omnibus ubicumque ambulasti.... Requiem dabo tibi ab omnibus inimicis tuis, praedicitque tibi Dominus quod domum faciat tibi Dominus. Cumque completi fuerint dies tui et dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de utero tuo,* ET FIRMABO REGNUM EJUS. *Ipse aedificabit domum nomini meo, et* STABILIAM THRONUM REGNI EJUS USQUE IN SEMPITERNUM.[2] EGO ERO EI IN PATREM, ET IPSE ERIT MIHI IN FILIUM: *qui si inique aliquid gesserit, arguam eum in virgâ virorum et in plagis filiorum hominum. Misericordiam autem meam non auferam ab eo. Et fidelis erit domus tua et* REGNUM TUUM USQUE IN AETERNUM *ante faciem tuam, et thronus tuus erit* FIRMUS JUGITER.

David autem moriturus haec dicit filio suo:[3] *Observa custodias Domini Dei tui, ut ambules in viis ejus.... ut confirmet Dominus sermones suos, quos locutus est de me dicens: Si custodierint filii tui vias suas, et ambulaverint coram me in veritate in omni corde suo, et in omni anima sua, non auferetur tibi vir de solio Israel.*

382) *B.* Fere eadem verbo Deus repetit Salomoni:[4] *Si ambulaveris coram me sicut ambulavit pater tuus, in simplicitate cordis et in aequitate et feceris omnia quae praecepi tibi, et legitima mea et judicia servaveris, ponam thro-*

---

[1] Cf. G. SMITH, *Anciens history, Assyria,* p. 34; VIGOUROUX, *La bible et les Déconvertes modernes,* vol. III, 410-412; LENORMANT, *Manuel d'histoire ancienne,* vol. II, pag. 63; BRUNENGO, *L'Impero di Babilonia e di Ninive,* vol. I, pag. 389-407, etc. etc.

[2] *II Reg.,* VII, 6 sq.; Cf. *I Pacal.,* XVII, 4-10.

[3] Confer verba haec cum iis quae apud Lucam (I, 32) legimus: *Dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus; et regnabit in domo Jacob in aeternum, et regni ejus non erit finis.*

[4] *III Reg.* II, 3, 4.

num regni tui super ISRAEL *in sempiternum, sicut locutus sum David patri tuo dicens: Non auferetur vir de genere tuo de solio Israël. Si autem aversione aversi fueritis vos et filii vestri, non sequentes me, nec custodientes mandata et caeremonias meas, quas proposui vobis, sed abieritis et colueritis deos alienos et adoraveritis eos, auferam Israël de superficie terrae quam dedi eis, quod sanctificavi nomini meo, proiiciam a conspectu meo, eritque Israël in proverbium et in fabulam cunctis populis.*

383) *C.* Hae promissiones David: et Salomoni factae poetice describuntur a Sacerdote *Ethan* [1] in *Psalmo* LXXXVIII (21-29): [2] *Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum ... in aeternum servabo illi misericordiam meam et testamentum meum fidele ipsi. Et ponam in saeculum saeculi semen ejus et thronum ejus sicut dies coeli. Si autem dereliquerint filii ejus legem meam et in judiciis meis non ambulaverint, si justitias meas profanaverint et mandata mea non custodierint, visitabo in virga iniquitates eorum et in verberibus peccata eorum. Misericordiam autem meam non dispergam ab eo, neque nocebo in veritate mea* (veritati meae, promissioni meae; idest, uti habet hebraeus, non retractabo fidelitatem meam), *neque profanabo testamentum meum, et quae procedunt de labiis meis, non faciam irrita. Semel juravi in sancto meo* (per sanctitatem meam), *si* (numquid) *David mentiar. Semen ejus in aeternum manebit et thronus ejus* (immutabilis) *sicut sol in conspectu meo et sicut luna perfecta* (perfectus erit) *in aeternum, et testis* (luna, sed melius Deus uti majori interpretum parti placet) *in coelo fidelis* (perpetuus).

384) Ex his quae hucusque retulimus constat binas familiae David promissiones factas fuisse; alteram quidem *condicionatam*, alteram vero *absolutam*.

---

[1] *III Reg.*, IX, 4 sq.

[2] ETHAN EZRAHITA vel Israëlita, uti habent LXX Interpretes, una cum ASAPH et EMAN praeerat chori functionibus quae tempore Davidis in templo celebrabantur. Cf. FILLION, *Les Psaumes commentés*, p. 416; MINOCCHI, *I Salmi*, p. 250.

Prior respicit regnum temporale quod Davidis descendentes tenebunt, quandiu a Deo non defecerint[1]. Absoluta vero promissio est de throno aeterno, quem Deus domui David promittit, non obstante futura eorum malitia. Hanc promissionem pluries Deus repetit, eamque absolutam esse ostendit per comparationem deductam ex sole et luna, et per locutionem: *non auferetur vir de solio Israël*, et similia.

Exinde igitur deducere licet *magnum illum pacificatorem, cui erit obedientia populorum,* futurum esse ex familia David.

385) D) Pacificator iste qui Israël redimet, eritque verus Dei legatus, quique in aeternum sedebit super thronum David, magis determinate describitur in quibusdam psalmis, qui messianici dicuntur.[2]

---

[1] Hic psalmus qui evidentissime Messianicus est, memorat Dei promissiones Davidi factas, quaeque solum per Christum implebuntur, qui in aeternum davidicum regnum firmabit. Si liceat quae sentio proferre, quamplurimi psalmi, qui messianici dicuntur, nihil aliud sunt quam forma quaedam popularis vulgandi prophetias de futuro Messia Dei legatis factas; hinc est quod horum psalmorum maxima est vis, quatenus, cum in omnium ore essent, ostendunt expectationem reparatoris divini fuisse aliquid radicitus insitum omnium Israëlitarum cordibus.

Circa tempus vero quo hic psalmus compositus fuit non una est doctorum sententia. Ad rem scribit clarissimus MINOCCHI (op. cit., p. 250): *Se questo bellissimo canto è veramente dell'Ezrahita* (*I Reg.* IV, 31) *non si può riportare che al tempo dell'invasione del Faraone* SESACH *in Giudea, e del saccheggio di Gerusalemme e del Tempio nel 5° anno di Roboamo figlio di Salomone, quando parve che sul bel principio della successione davidica andasse il regno israelita in rovina (da poco era avvenuto lo scisma delle dieci tribù di Giuda); e l'asserzione acquista uno special valore, se si confronta il Salmo, piuttosto che col I Reg. XIV, 25-28, con II Chron. XII, 1-12. Altri però ritardandolo fin dopo l'esilio ritengono che sia di poco anteriore alla venuta di Ezra e Nehemia, e ritragga i sentimenti d'Israele fedele al suo Dio e pur crudelmente oppresso dai molti nemici. Questa opinione è più conforme a certe espressioni come il v. 47, 50, 51 etc. Però una decisione fra le due date mi sembra molto difficile, se pur non si dica che l'antico salmo abbia subito delle varianti posteriori.*

[2] Cf. Ps. CXXXI, vers. 11-12: *Iuravit Dominus David veritatem et non frustrabitur eam. De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Huic tamen promissioni apponitur haec conditio: *Si custodierint filii tui testamentum meum, et testimonia mea haec, quae docebo eos; et filii eorum usque in saeculum sedebunt super sedem tuam.*

Cum non omnes et singulos psalmos referre possimus, praecipuos recolemus, nempe eos qui magis aperte et directe se referunt ad Messiam; nempe psalmos II, XLV, LXXII, CX.[1]

386) *a*) Psalmus II.[2]

Hoc in psalmo *Unctus* (Messias) *Domini* (Jahve) regia potestate insignitus describitur ut superaturus omnes inimicos suos, et accepturus a Deo omnes gentes in haereditatem suam et possessionem suam terminos terrae, quia Deus unxit eum regem in Sion.[3] Praecipua autem principatus

---

[1] Tempus quo singuli psalmi messianici scripti sunt difficulter determinari potest. Iuverit tamen ad rem nostram recolere quae prudenter et recte notat clarissimus Tanquerey (*op. cit.*, vol. I, p. 253, nota 4). *Dato et non concesso*, scribit, *illos* (psalmos) *nonnisi post captivitatem fuisse compositos, argumentum vim suam non amittit, quum etiam in hoc casu prophetia longe praecesserit eventum.* Cf. Reinke, *Messian. Psalmem;* Hengstenberg, l. c., pag. 142 et *Die Psalmem;* Corluy, vol. II, p. 152, sq.; Fillion, *La S. Bible commentée, Comm. sur les Psaumes;* Minocchi, *I Salmi;* Idem, *Storia dei Salmi,* apud Ephem. « *Studi religiosi* », anno II, fasc. V; ann. III, fasc. II, III; Idem, *I Salmi Messianici* apud *Révue Biblique,* 1 april. 1903, p. 190 sq.

[2] Circa psalmos II, XLV, LXXII haec animadvertit clarissimus Minocchi: *Nella mia prima edizione dei Salmi tradotti in italiano* (1895) *per buone ragioni mi parve bene di mantenere anch' io l'opinione comune fra i critici che i tre Salmi 2, 45, 72, fossero dai loro autori indirizzati a qualche principe o re del popolo d'Israele, e solo in maniera tipica e rappresentativa si potesse cercarvi un senso intimamente messianico. Un ulteriore studio mi ha persuaso oggi, che questi* TRE SALMI FURONO ESPRESSAMENTE COMPOSTI, NON PER GLORIFICARE UN RE QUALSIASI IN ISRAELE, MA SOLO E BENSÌ PER ESALTARE IL REGNO MESSIANICO E LA FIGURA DEL RE MESSIA E FIGLIO DI DIO.

Deinde hujus conclusionis has affert rationes nempe: *I critici, pur rimanendo fermi nella loro generica ipotesi di un re israelita, persiano o greco, voluto celebrare nei tre salmi, sono incertissimi poi nel riuscire a determinare la persona storica dalla quale ciascuno di quei salmi è integrato; e non riescono mai bene nel loro intento, più o meno probabile, se non a patto di ammettere che i tre Salmi abbiano, in processo di tempo, subìto addattamenti o rifacimenti relativi a un loro senso messianico acquisito di poi.*

[3] Hujus Psalmi auctor est David uti ex Actis Apostolorum (IV, 25) eruitur; idque plurimis argumentis probari potest; neque obstant quae docuit Cheyne in opere « *Te Origin and religions contents of the Psalter* » (p. 238) tradens hunc psalmum scriptum fuisse post exilium. Cf.

ratio ex eo praecise desumitur quia filius est Dei: *Filius meus es tu, ego hodie genui te.*[1]

Quod autem hic psalmus se referat ad futurum Messiam Christum Dominum constat tum ex auctoritate Judaeorum,[2] tum ex plurimis Novi Testamenti locis,[3] tum

---

Reïnke, *Dir messianischen Psalmen;* Le Hir, *Les Psaumes;* Lesêtre, *Les Psaumes;* Maas, *Christ in type,* p. 161; Delitzsch, *Commentar über den Psaltex, Ps.* II; Fillion, *op. cit.,* p. 30; Minocchi, *I Salmi,* p. 5; Tanquerey, *op. cit.,* vol. II, pag. 418 in nota.

[1] Textus hebraicus habet: *Ego unxi regem meum in Sion.*

Notandum est quod hoc in versiculo studiose auctor tempus praesens et praeteritum conjungit: Ego *hodie genui* te. Et merito ponitur haec conjunctio, quia praeteritum *(genui)* ostendit generationem, de qua sermo est, completam jam esse; praesens vero *(hodie)* ostendit hanc generationem esse permanentem, esse actum aeternalem qui nec praeteritum, nec futurum admittit. *Hodie* scribit S. Augustinus (in h. loc.) *qui praesentiam significat, atque in aeternitate nec praeteritum quidquam est, quasi esse desierit, nec futurum, quasi nondum sit, sed praesens tantum; quia quidquid aeternum est, semper est; divinitus accipitur secundum id dictum: ego hodie genui te, quo sempiternam generationem virtutis et sapientiae Dei, qui est unigenitus filius, fides sincerissima et catholica praedicat.*

Sunt nonnulli qui vocem *hodie* intelligunt de die resurrectionis, qua Deus, Christum a mortuis suscitando, divinam ejus manifestavit filiationem, idque ex Actis (XVII, 33) deduci contendunt. Verum magis obvia interpretatio ea videtur quam S. Augustinus plurimique alii Patres proponunt.

Ceterum quidquid sit de hisce omnibus opinionibus hoc unum certum est, nempe Christum per haec verba dici Dei Filium unigenitum, et quidem naturalem, non autem adoptivum. Praeclare hunc locum illustrat Bossuet *(Supplenda in Psalmos,* in Ps. Ps. II, 7) scribens: *Locus est eximius ac prope singularis in psalmis, quo Christus vere, naturaliter, proprie Dei Filius asseritur....* Dominus *enim* dixit ad me, *non ad alios, sed ad me proprie, singulariter:* Filius meus es tu: *tu, inquam, et non alius: ergo unicus, unigenitus, singularis; quod nusquam ea emphasi dictum est de quopiam.* Ego hodie genui te: *non ergo adscitus, non adoptatus, sed genitus; nec gratia, quod Angeli, quod homines, sed naturâ filius: quae tam breviter, tam absolute dicta, et in unum contracta non patiuntur tropos, nec alteri, quam unigenito, convenire possunt.*

[2] Cf. *Talmud* in quo haec legimus: *Doctores nostri hunc psalmum exposuerunt de rege Messia.*

[3] Act. IV, 25-28; XIII, 33; *Epist. ad Hebraeos,* I, 5; V. 5; *Rom.,* I, 4; *Apocal.,* XII, 5; XIX, 15.

denique ex communi SS. Patrum consensu, qui eo usi sunt ad divinitatem Christi contra Arianos vindicandam.

387) *b*) Psalmus CX.[1]

---

[1] Juxta alios est psalmus CIX.

Hujus psalmi auctor, licet compositionis aetas incerta sit, videtur probabilius esse David; hoc enim eruitur non solum ex titulo ipsius psalmi (Psalmus David), sed etiam ex quibusdam Novi Testamenti locis, nempe ex *Actis* (II, 34) ex Matth. (XXII, 43, 44) et ex Luca (XX, 41-42).

Davidi hunc tribuunt psalmum praeter veteres, ex recentioribus Fillion (*op. cit.*, p. 516) et Minocchi (*op. cit.* p. 325) qui haec scribit: *Che David ne sia l'autore ce lo ha detto G. C.; ma invano i critici razionalisti hanno cercato in tutta la storia d'Israele una persona cui appropriare le qualità che il salmo richiede nel suo re-sacerdote* (Cf. F. Baethgen, *Die Psalmen*).... *Altri critici hanno voluto, dallo stato linguistico del salmo, dedurre che esso appartiene all'età maccabeica; ma senza alcun solido argomento; ed il grande ebraista e critico* E. Ewald *non dubita di annoverarlo ai salmi che più certamente appartengono all'età davidica.*

Modo vero Minocchi mutasse sententiam patet ex iis quae ipse scribit in citata ephemeride *Revue biblique* (ann. 1903, p. 191): *Circa il salmo CX, nessuno dei critici oggi lo ascrive a David, nè a' suoi tempi — come già credette l'*Ewald; *— è invece comune sentenza, che il salmo celebri le vittorie e il trionfo del gran sacerdote e principe d'Israele, Simone, fratello di Giuda Maccabeo, specialmente dacchè l'illustre esegeta cattolico* J. Bickell *scoprì nei primi suoi versi l'acrostico del nome stesso di Simone. Io pure non saprei dire a chi meglio possa convenire il salmo, escluso Simone; tuttavia non sono persuaso che il salmo intenda proprio parlare di lui. Comunque ciò sia, sta sempre certo per me, che il poeta, se pur ha inteso di celebrare un principe terreno, lo ha glorificato espressamente qual precursore e tipo del Messia; e quindi il carattere messianico del salmo ci offre in ogni modo la via di intenderne il senso più pieno e più profondo.*

Quamvis quaestio de auctore alicujus libri S. Scripturae sit independens ab inspiratione, parumque referat utrum hic vel ille librum composuerit, dummodo admittamus Deum fuisse principalem auctorem, nihilominus hoc in casu nescio quomodo possit negari Davidem hunc psalmum composuisse, cum id aperte affirment nonnulla effata Novi Testamenti.

Quod si quaedam via inveniri possit, qua, salvâ auctoritate infallibili horum effatuum, ostendatur psalmum fuisse compositum ab alio, ultro amplectemur opinionem clarissimi Minocchi, quae nobis ingeniosa et verosimilis apparet. Ipse putat psalmos qui in duobus prioribus psalmorum libris nomine David inscribuntur, fere omnes fuisse scriptos a quodam Sacerdote animarum agitatore eo fine ut ideam messianicam, per cantus populares a ruinâ ereptam, late diffunderet; omnesque hos

Hic psalmus valde affinis psalmo II, est per excellentiam messianicus: *Dixit Dominus* (Jahve) Domino *(Adôn) meo, sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.... Dominare in medio inimicorum tuorum, Tecum principium in die virtutis tuae in splendoribus Sanctorum.* Ex utero ante luciferum genui te.... Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech. *Judicabit in nationibus, implebit ruinas, conquassabit capita in terra multorum.*

In hoc psalmo describitur simul regia potestas Messiae et Sacerdotium. Uti rex omnes hostes debellaturus erit, eosque sgabellum pedum suorum habebit a Jahve positos.[1] Hic autem rex munere etiam sacerdotali in aeter-

---

psalmos constituere collectionem quandam quae vulgo *Canzoniere davidico* dici potest.

Questa dimostrazione del Canzoniere davidico, ipse ait in Ephemeride *Studi Religiosi* (anno III, fasc. III, p. 257 in nota) *nella sua qualità di opera destinata a un fine profetico, relativo al trionfo dell'idea e della fede messianica, è affatto nuova nella critica moderna dei salmi; così pure è nuova la indicazione di uno stesso autore per tutti quei circa 50 salmi, e la ricostruzione dell'ambiente storico dal quale essi ebbero origine. In generale, i critici moderni hanno sparpagliato i salmi del Canzoniere davidico in tempi diversissimi della storia degli ebrei, ora nell'età di David, ora in quella di Geremia, o dell'esilio in Babilonia, come l'*Ewald, *il* Delitzsch, *l'*Hitzig, *il* Baethgen, *ora durante l'età greca inoltrata e i tempi maccabeici, come il* Cheyne, *od anche riferendoli alle lotte fra Sadducei e Farisei, nel primo secolo av. Cristo, come recentemente il* Wellhausen *e il* Duhon. *Io mi riserbo di dimostrare che questi salmi davidici dei primi due libri del Salterio hanno una tale armonia di idee generali e personali, ed una così intima concordanza di parole e di espressioni, da non poter essere ascritti che ad un solo e medesimo autore. Nei primi due libri dei salmi, nessuno che porti i nomi di* Asaf *o di* Qorach *rientra nell'ordine d'idee del Canzoniere davidico; solo due o tre salmi col nome di David non sono da ascriversi al Canzoniere.... Negli altri libri dei Salmi, quelli che non portano il nome di David non rientrano nell'ordine d'idee del Salmista davidico, e tutti quelli (meno poche eccezioni) che recano il nome di David, sono tali, perchè evidenti* imitazioni *del Canzoniere davidico, dovute a tardi autori.*

[1] Notandum est quod conjunctio *donec*, quae legitur in versiculo primo, non habet sensum exclusivum, et limitativum regni quod Messias obtinebit, qui *in sempiternum sedet in dextera Dei* (*ad Heb.*, X,

num functurus erit; quod munus etiam ZACHARIAS ipsi tribuit.[1] Deinde additur ratio horum munerum nempe quia Deus ex utero ante luciferum genuit eum.[2]

388) Hunc psalmum esse messiae tribuendum patet ex ipsa Christi domini agendi ratione; ipse enim usus est primo hujus psalmi versiculo ad suam divinitatem vindicandam contra Pharisaeos. Constat etiam ex ipso Pharisaeorum silentio, qui contra Christi domini argumentationem nihil respondere ausi sunt.[3]

Insuper notandum est quod tantum Messias poterat a Davide dominus vocari, non vero rex aliquis terrenus quia hic psalmus determinate se refert ad promissiones a Deo factas de futuro Jsraelis Reparatore.

389) C) PSALMUS LXXII.[4]

12; Cf. LUC., I, 33); sed conjunctio haec posita est ad indicandum completam de Salvatoris hostibus victoriam esse veluti centrum ad quod tota se referet oeconomia salvationis, unde novum aevum, quod finem mundi subsequetur, incipiet (Cf. I *ad Corint.*, XV, 24-28).

[1] VI, 12.

[2] Versiculus tertius hujus psalmi valde obscurus est, quia textus videtur ad nos pervenisse multis cum variantibus lectionibus. Clarissimus Minocchi supponit hic lacunam quandam inveniri, quam supplet addens verbum *hodie*, rytmus enim hoc admittit supplementum, et ita textus melius consonat cum versiculo septimo psalmi secundi. Ita igitur reddi potest tertius hujus psalmi versiculus: *Virtus tua in Sanctuarii montibus, sicut ros matutinum; ego ex utero gloriae meae hodie genui te* (Cf. MINOCCHI, *Rev. lib.*, 1903, p. 210).

Haec lectio magis insinuat aeternam Messiae a patre generationem, ad quam etiam S. Augustinus *(En. in psal.)* se sè refert, cum verba *ante luciferum* ita interpretatur: *Hoc est, ante sidera, et quod est ante sidera hoc est ante tempora; si ergo ante tempora, ab aeternitate.*

Alii vero uti S. HIERONYMUS, cui consonant AQUILA et SYMMACUS, ita reddunt hunc versiculum: *Populi tui spontanei erunt in die fortitudinis tuae, in montibus sanctis; quasi de vulva orietur tibi ros adolescentiae tuae.*

[3] Cf. MATTH., XXII, 41 sq.; MARC., XII, 35 sq.; LUC., XX, 41-44. Cf. etiam *Act.*, II, 34 sq.; *I Cor.*, XV, 25; *Hebr.*, I, 13; V, 6; VII, 17-21; X, 13.

[4] Juxta Vulgatam est LXXI. Hujus psalmi auctor videtur esse Salomon, uti ex ipsa scribendi ratione deduci potest. Critici valde laborarunt ut ostenderent de quo rege hic scriptus sit psalmus; modo

Hoc in psalmo, qui incipit: *Deus judicium tuum regi da*, describuntur extensio dominationis hujus regis, aequitas ejus gubernii, ejus caritas, pax et prosperitas quibus ejus regnum, in aeternum duraturum, florebit. Hic rex *permanebit cum sole, et ante lunam, in generationem et generationem. Orietur in diebus ejus justitia et abundantia pacis, donec auferatur luna* (nempe in aeternum).

Dominabitur a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrarum.... Coram illo procident Aethiopes, et inimici ejus terram lingent[1].... *et adorabunt eum omnes reges terrae, omnes gentes servient ei.*

Hisce traditis sacer scriptor rationem addit cur regnum Messiae erit universale aeternumque; nempe quia *liberabit pauperem a potente.... parcet pauperi et inopi, et animas pauperum salvas faciet.*

390) D) Psalmus XLV.[2]

---

tamen cum Minocchi (*Rev. Bibl.*, 1903, p. 190) et Fillion (*op. cit.*, p. 332 in nota) et fere omnibus criticis putandum est, quod directe et exclusive ad Messiam referatur. Quomodo enim alio regi, praeterquam Messiae tribui possunt quae dicuntur in versiculis 5, 7-8, 10, 16-17, qui referunt praecipuas ideas poematis salvationis? Psalmista describit Christi historiam, ejus adventum in mundum, exercitium potestatis ejusdem, Christianismi diffusionem, Ecclesiae durationem gratiaeque illuminationem.

[1] Post haec verba in Vulgata legimus: *Reges Tharsis et insulae munera offerent; reges Arabum et Saba dona adducent.* Iuxta clarissimi Minocchi opinionem haec verba non inveniuntur in textu genuino. Haec tamen nihil aliud sunt quam versi uli praecedentis declaratio, proinde nihil prohibet quominus putemus ea fuisse initio ad marginem textus notata, et decursu temporis in textum introducta fuisse. Immo haec verba probant traditionem quae psalmum Messiae tribuebat.

[2] In vulgata legitur sub n. XLIV. Circa hunc psalmum haec notat clarissimus Minocchi (*op. cit.* p. 191): *È anch'esso certamente dell'epoca greca, e ne dà argomento, se non altro, l'apparentissimo grecismo del verso 2. Ma neanche qui è stato possibile ai critici di trovare una persona storica alla quale possa venir applicato, senza gravissime difficoltà d'interpretazione. Si comprende bene, che quest'inno epitalamico presenti, al pari degli altri e più degli altri, non lieve difficoltà ad esser preso esclusivamente in senso messianico; ma tale difficoltà sparisce, se bene si considera che il poeta descrive e celebra il Messia, non secondo la perfetta idea spirituale che,* post eventum, *ne acquistò il mondo cristiano, ma sulla regale immagine, ancor ricinta di un neboloso splendore, che ne avevano al suo tempo gli ebrei.*

Per hunc psalmum describitur conjunctio Dei cum Ecclesia ejus sponsa, et Sponsi proprietates et potentia qua inimicos prosternet, regnumque statuet aeternum: *Specie tua et pulchritudine tua intende, prospere procede et regna... Sagittae tuae acutae, populi sub te cadent, in corda inimicorum regis. Sedes tua Deus in saeculum saeculi.*

Uti patet omnibus hisce vaticiniis renovatur, quin etiam confirmatur promissio Patriarchis facta de futuro hominum reparatore, qui regnum possidebit in aeternum, omnesque hostes debellaturus erit.

391) Hisce psalmis plurimos alios, et ipsos messianicos, addere possumus, e. g. psalmum 21,[1] in quo Messiae *passio* et *sacrificium* describuntur: *Ego autem sum vermis et non homo; opprobrium hominum et abjectio plebis. Omnes videntes me deriserunt me; locuti sunt labiis et moverunt caput.... Quoniam circumdederunt me canes multi; concilium malignantium obsedit me. Foderunt manus meas et pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea.... Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem.*

Et in psalmo 68[2] haec legimus: *Et dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me acetō.*

392) Hisce vaticiniis quibus Messiae regia praedicitur dignitas addi possunt verba MICHAEAE.[3] Haec non solum memorant Messiae a davidica stirpe originem, sed etiam nativitatis locum designant: *Et tu Bethlehem Ephrata*, inquit, *parvulus es in millibus Juda:*[4] *ex te mihi egredietur qui sit dominator in Jsrael, et egressus ejus ab initio, a diebus aeternitatis.*[5]

Hisce verbis MICHAEAS describit humilem familiae Davidis conditionem, quae erigenda est per *Dominatorem* qui

---

[1] V. 7-21.

[2] V. 22.

[3] V. 2-3.

[4] Cf. MATTH., II, 6: ἐν τοῖς ἡγεμόσιν Ἰούδα.

[5] Hanc Bethlehem gloriam pulchre celebrat PRUDENTIUS in hymno Epiphaniae, canens:

O Sola magnarum urbium — Major Bethlehem, cui contigit
Ducem salutis coelitus — Incorporatum gignere.

exiet de domo David, non naturaliter, sed supernaturaliter, *Deo auctore*, uti insinuant verba: *ex te mihi orietur*; quique nomine et auctoritate Dei, tanquam Dominator a Deo missus, regnum et dominium obtinebit.

Notandum insuper est hisce MICHAEAE verbis duplicem Messiae designari generationem, quatenus ostenditur e civitate Bethlehem proditurus, ille idem qui vitam habet a diebus aeternitatis. *Egressus ejus*, scribit S. HIERONYMUS in hoc loco, *non eo tantum fuerat tempore, quo visus in carne est, sed ab initio aeternitatis sive ab initio saeculi: quia semper ipse locutus est per prophetas et sermo Dei factus est in manu eorum, ideo dabit Judaeos, eosque regnare permittet usque ad tempus parientis.*

393) Haec verba, quae evidentissime de magno principe in Bethlehem Juda nascituro scripta sunt, GROTIUS ad ZOROBABELEM sensu historico et literali referre conatur, ratus spiritualiter tantum ad Christum esse applicanda. Sed haec interpretatio suo robore destituitur si consideretur quod Zorobabel non in Bethlehem, sed, ut ipsum nomen declarat, in Babel natus est.[1]

§ III — PAX TEMPORE MESSIANICO PER SPECIALEM DEI INTERVENTUM ADDUCENDA.

394) Post splendidum gloriosumque Salomonis regnum, quem nonnulli Messiam fuisse opinati sunt, Israel maximum inter decem tribus et Juda schisma passus est, quare infirmitatem suam cognoscens, divini interventus necessitatem praecipue persensit. Hinc maxime spes de aeterno reparatore aucta est, qui abiectionem populi Israël et pastorum ejus auferret.

Hisce temporum calamitatibus Deus usus est ad promissionem firmandam, et quamplurimos successive suscitavit prophetas, qui populi electi spem erigerent.

Itaque jam inde a fine saeculi noni ante Christi adventum floruere prophetae OSEE, IOËL, et AMOS qui populi

---

[1] Cf. REINKE, *Mess. Weissag.* III, p. 349-364.

abiectionem et pastorum ejus novique pastoris resuscitationem cecinere.

395) OSEAE VATICINIUM.

Rejectionem populi simbolice propheta describit per recessum a spirituali connubio, quod Israël inierat cum Deo, et per fornicationem cum Diis falsis. Deus autem pacifice aget cum Israël qui, postquam in captivitate resipuerit, misericordiam consequetur. *Et percutiam cum iis foedus in die illa.... et sponsabo te mihi in sempiternum: et sponsabo te mihi in justitia, in judicio, et in misericordia et in miserationibus. Et sponsabo te mihi in fide: et scies quia ego Dominus;* [1] scilicet vi foederis divini omnia erunt hominibus amica, pax proinde erit, quae sit pacis cum Deo et Sanctitatis imago,[2] instaurabitur enim regnum Dei, cujus perpetua vox est: *pax vobis, pacem meam do vobis.*

Desponsatio autem haec erit *perpetua, in justitia* quae opus est Messiae, in *judicio* idest judicium exercens et ultionem in adversarios: [3] *in misericordia*, idest in gratia, in amore, in benignitate, in tenero affectu.[4] Hoc foedus erit *in fide*, idest in fidelitate, et constantia *sine penitentia enim*, ait CORNELY,[5] *sunt dona Dei; hancque foederis perennitatem et indefectibilitatem eo potiore jure affert ut insigne novae desponsationis decus, quia synagoga turpiter foedus prius violaverat. Membrum hoc ultimum ad primum redit; impletio adest in regni messianici sanctitate et fide perpetua.*

Quae cum fient, scies, i. e. experimento cognosces quia ego Jahve.

396) JOËLIS VATICINIUM.

---

[1] Os., II, 18-19, 21.

[2] Cf. *Sap.*, V, 21; *Lev.*, XXVI, 6. ISAI.; XI, 6, JOB., V, 22-23.

[3] Cf. IS., II, 4; XI, 4; XXXIII, 15; MAL., III, 3; AGG., II, 8.

[4] In textu legitur *in misericordia* et *in miserationibus*, quibus verbis optime amor Dei *bis* exprimitur, ut ejus abundantia significetur, quae in gratia et humanitate Salvatoris demum plane apparuit. Cf. CORNELY, *Cursus S. S., In Oseam*, p. 45.

[5] Op. cit., loc. cit.

Joël prius proponit terribilia judicia Dei; et desolationem Israël;[1] deinde hortatur ad poenitentiam,[2] tum denique promittit restitutionem,[3] qua Deus judicium sumet de omnibus populis, deinde habitabit in aeternum in monte Sion idest in medio populo:[4] *Et Dominus de Sion rugiet, et de Jerusalem dabit vocem suam: et movebuntur coeli, et terra; et Dominus spes populi sui, et fortitudo filiorum Israel; et scietis quia ego Dominus Deus vester, habitans in Sion monte sancto meo; et erit Jerusalem sancta et alieni non transibunt per eam amplius; et erit in die illa, stillabunt montes dulcedinem* (musto) *et colles fluent lacte.... et Judaea in aeternum habitabitur et Jerusalem in generationem et generationem.*

Quae postrema verba confirmant promissionem Davidi factam quod regnum ejus aeternum erit.

397) Vaticinium Amos.

Similiter Amos post quam exposuit scelera et poenas quibus Jsraël affligendus erit, promittit finalem restaurationem[5]: *Ecce oculi Domini super regnum peccans et conteram illud a facie terrae; verumtamen conterens non conteram domun Jacob dicit Dominus.... In die illa suscitabo tabernaculum David* (heb. « suscitabo tugurium David collapsum) *quod cecidit.... et ea quae corruerant instaurabo et reaedificabo illud sicut in diebus antiquis,* scil. uti olim tempore David et Salomonis.

Haec verba esse ad Messiam referenda, qui omnia collapsa instaurabit, patet non solum ex SS. Patrum unanimi interpretatione, verum etiam ex ipsa Judaeorum traditione.[6]

398) Progredientibus annis clarior et magis explicita fit promissio de regni Sion restauratione. Porro prophetae qui circa secundam medietatem saeculi octavi ante Christi

---

[1] Joel, I, 1-12.
[2] I, 13, ad II, 17.
[3] II, 18.
[4] III, 16-19.
[5] Amos, IX, 8-11.
[6] Cf. Cornely, op. cit., vol. XX, p. 335 sq.

Domini adventum floruerunt, regni messianici catholicitatem atque etiam praecipuas Messiae dotes praeannunciarunt. Ex his praecipui Isaias et Michaeas.

399) Isaiae vaticinia.

α) In primis messianici regni universalitatem praedicit Isaias scribens[1]: *Et erit in novissimis diebus*[2] *praeparatus mons Domini in vertice montium et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes; et ibunt populi multi et dicent: venite et ascendamus ad montem Domini et ad domum Dei Jacob et docebit nos vias suas et ambulabimus in semitis ejus, quia de Sion exibit lex et verbum Domini de Jerusalem.*

Hanc praedictionem excipit prophetia de terribilibus Dei judiciis, quibus punientur peccata Israël, quae tamem peccata tandem per Messiam delenda erunt,[3] quare propheta laetitia gestiens exclamat[4]: *Surge, illuminare Jerusalem,*[5] *quia venit lumen tuum et gloria Domini super te orta est. Quia ecce tenebrae operient terram et caligo populos; super te autem orietur Dominus et gloria ejus in te videbitur.*[6] *Et ambulabunt gentes in lumine tuo et reges in splendore ortus tui* (hebr.: et ambulabunt gentes ad lumen tuum, ad splendorem exorientem tibi).

---

[1] Is., II, 2 sq. Cf. Cornely, op. cit. vol. XV, p. 62 sq.

[2] Locutiones *in novissimis diebus* et *in fine dierum* saepe occurrunt apud prophetas, ad indicandum tempora messianica, quia tempore hoc ultimo, ait S. Thomas, *non succedet alia religionis observatio.*

[3] IV, 2 sq.; IX, 1 sq.; XI, 1 sq.; XII, 1 sq.; XIV, 1 sq; XVIII, 3 sq.; XIX, 18 sq.; XXVI, 1 sq.; XXX, 18 sq; XXXIII, 20 sq.; XXXV, 1 sq.; XL, 1 sq.; XLII, 1 sq.; XLIII, 1 sq.; XLIX, 7 sq.; LI, 3 sq.; LII, 1 sq.; etc. etc.

[4] LX, 1 sq.

[5] Vox Jerusalem non adest in textu hebr.; sed ad sensum plene habendum rite suppletur a LXX interpretibus.

[6] Haec verba confirmant et explicant aliud vaticinium: *de Sion exibit lex et verbum Domini de Jerusalem;* et aliud vaticinium (IX, 2): *Populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam; habitantibus in regione umbrae mortis lux orta est eis.*

400) β) Insuper Isaias nobis describit qualitates Messiae, quem exhibet ut *pacificum* et *mitem*, licet sit *potens*[1]: *Parvulus natus est nobis et filius datus est nobis; et factus est principatus super humerum ejus; et vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliatus Deus fortis* (el gibbor),[2] *Pater futuri saeculi*,[3] *Princeps pacis. Multiplicabitur ejus imperium*,[4] *et pacis non erit finis*.[5]

Hisce verbis Isaias Emmanuelem praedicit, qui regnum universale obtinebit, quique pacem et felicitatem allaturus erit; quia ejus regnum erit regnum *pacis* et *justitiae*[6]: *Et egredietur virga de radice*[7] *Jesse, et flos de radice ejus ascendet. Et requiescet super eum Spiritus Domini.... Judicabit in justitia pauperes et arguet in aequitate pro mansuetis terrae.... Habitabit lupus cum agno, et pardus cum haedo accubabit; vitulus et leo, et ovis simul morabuntur, et puer parvulus minabit eos.*

401) Haec pax et tranquillitas adducetur non obstante quod populus judaicus saepe ruperit foedus cum Deo initum. Hujus autem novi foederis instaurator Messias erit.

---

[1] Is., IX, 6 sq. Hunc parvulum esse Messiam, non autem Ezechiam filium Achaz, constat tum auctoritate Rabbinorum (Cf. Martini, *Pugio fidei*, p. 583), tum ex pluribus N. Testamenti locis (Luc. II, 10-14; Matth., IV, 13-16), tum ex textu ipso et contextu, nam parvulus ille describitur ut rex potentissimus, fortis, princeps pacis, et laetitiae auctor pro Galilaeis, quae gens nunquam fuit Ezechiae subiecta. Insuper Ezechias, tunc temporis, jam abhinc duodecim annis natus, non poterat annuntiari ut nasciturus futuro tempore. Denique Ezechias nullimode potuit vocari fortis, quia numquam bellator fuit.

[2] Hisce verbis divina Messiae designatur natura; ita enim appellatur Jahve (*Deut.* X, 17).

[3] Hebraice: *Pater aeternus*, seu *Pater aeternitatis*.

[4] Haec verba consonant cum Psalmi II et LXXI verbis: *dabo tibi gentes haereditatem tuam, et possessionem tuam fines terrae; et adorabunt eum omnes reges terrae, omnes gentes servient ei.*

[5] Cf. Knabenbauer, *Commentarius in Isaiam Prophetam*, p. 225 sq.

[6] Isai., XI, 1-7. Targum Jonathan addit: *Et egredietur rex de filiis Jesse, et Messias, de filiis filiorum ejus excrescet.*

[7] In hebr. legimus: *Et egredietur surculus e trunco* (goza) *Isai et propago ex radicibus ejus fructum feret.*

Vinea facta est dilecto meo, inquit Isaias,[1]*... et sepivit eam et lapides elegit ex illa.... et expectavit ut faceret uvas, et fecit labruscas.... Vinea enim Domini exercituum domus Israël est; et vir Juda germen ejus delectabile; et expectavi ut faceret judicium, et ecce iniquitas; et justitiam, et ecce clamor.*

402) γ) Pacis auctor et foederis novi instaurator ex Virgine nasciturus ab Isaia describitur,[2] ejusque nomen *Emmanuel* erit: *Ecce Virgo concipiet et pariet filium et vocabitur nomen ejus Emmanuel* (hebr.: ecce virgo gravida et parieus filium et *vocat eum etc...*),[3] idest *nobiscum Deus.* Hujusmodi pacis auctorem, Deum *nempe* cum hominibus habitaturum precibus Isaias sollicitat ut terrae detur Salvator:[4] *Rorate coeli desuper, et nubes pluant justum; aperiatur terra et germinet Salvatorem* (heb.: rorate coeli desuper et nubes pluant justitiam, aperiat se terra et proferat salutem et germinare jubeat justitiam simul; ego Jahve creavi vel creo illud); *utinam disrumperes coelos et descenderes.*[5]

---

[1] V. 1-7.

[2] VII, 14-25. Ad Isaiae vaticinium alludere videntur nonnullae picturae quae Romae in christianis catacumbis detectae sunt. Praecipua ex his picturis ea est quae detecta fuit in Coemeterio Priscillae. Mulier ibi cernitur puerum amplectens ulnis suis. Supra ejus caput sidus fulget ad quod oculos et digitum convertit vir qui, volumen manu tenens, ad mulierem adstat, quique Isaiae imaginem referre ab Archeologis creditur. Cf. MARUCCHI, *Eléments d' Archeologie Chrétienne,* tom. II, p. 342.

[3] Haec verba ita sonant: Virgo, qua virgo et permanens talis, gravida erit et pariet.

[4] XLV, 8.

[5] LXIV, 1. Notandum est quod haec verba ad Cyrum directe et immediate referuntur, quatenus ipse est Christi Domini figura. Agitur enim in cap. XLV, ubi citata verba leguntur, de prosperitate populo Iudaico promissa; sed haec prosperitas non quidem materialis sed moralis erit, uti erui potest ex aliis Isaiae verbis, scilicet ex versiculo 8 capitis 58: *Tunc erumpet quasi mane lumen tuum et sanitas tua citius orietur et anteibit faciem tuam justitia tua et gloria Domini colliget te; tunc invocabis et Dominus exaudiet, clamabis et dicet: Ecce adsum;* et ex versiculo 11 capitis 61: *Gaudens gaudebo in Domino et exultabit anima mea in Deo meo, quia induit me vestimentis salutis et indumento justitiae circumdedit me quasi sponsum decoratum corona, et quasi sponsam ornatam monilibus suis; sicut enim terra profert germen suum et sicut hortus semen suum germinat, sic Dominus Deus germinabit justitiam et laudem coram universis gentibus.*

403) Et merito Isaias precibus Deum fatigat ut illum mittat quem *testem populis dedit, ducem ac praeceptorem gentibus,*[1] eum quem Deus sacerdotem constituit qui *asperget gentes multas,*[2] eo quod *Spiritus Domini super* eum positus *unxit* eum, *et ad annuntiandum mansuetis misit* eum ut mederetur *contritis corde, et praedicaret captivis indulgentiam*[3]*;* per quem *tunc aperientur oculi coecorum, et aures surdorum patebunt:* per quem *tunc saliet sicut cervus claudus, et aperta erit lingua mutorum.*[4]

404) MICHAEAE VATICINIUM.

Etiam propheta iste postquam descripsit calamitates per Judaeam serpentes[5], instaurationem promittit:[6] *Congregatione congregabo Jacob totum te, in unum conducam reliquias Israel; pariter ponam illum quasi gregem in ovili, quasi pecus in medio caularum; tumultuabuntur a multitudine hominum,* scilicet: omnibus hominibus praesto erit Dei voluntas benigna et gratia auxiliatrix, quibus pupulus Dei veluti grex novus Domini ab hostium incursibus securus erit, bonis omnibus fruetur, quorum excellentiam magna animorum laetitia agnoscet.

Hanc futuram instaurationem ita describit MICHAEAS:[7] *Et erit, in novissimo dierum*[8] *erit mons domus Domini* (idest mons templi) *praeparatus in vertice montium sublimis super colles et fluent ad eum populi* (heb.: Et erit in fine dierum mons domus Domini firmatus in capite montium) *et properabunt gentes multae et dicent: Venite, ascendamus*

---

[1] ISAI., LV, 3, 4.
[2] Id., LII, 15.
[3] Id., LXI, 1 sq.; Cf. LUC., IV, 21.
[4] Id., XXXV, 5, 6; Cf, MATTH., XI, 5.
[5] MICH., I, 12–14.
[6] Id. II, 12 sq.
[7] Id. IV, 1 sq.
[8] Locutiones *in fine dierum, in novissimis diebus, extremo tempore* apud prophetas tempus messianicum designant, scilicet ultimam illam periodum, ad quam praeparandam et significandam tempora antecedentia diriguntur, quaeque non ab alia periodo erit excipienda in terris, cum Christus sit finis legis (Τέλος τοῦ νόμου).

ad montem Domini et ad domum Dei Jacob! Et docebit nos de viis suis et ibimus in semitis ejus; quia de Sion egredietur lex et verbum Domini de Jerusalem.

Tunc pax erit quia Dominus *judicabit inter populos multos et corripiet gentes fortes usque in longinquum. Et concident gladios suos in vomeres et hastas suas in ligones. Non sumet gens adversus gentem gladium et non discent ultra belligerare.*[1]

405) Hos prophetas excipit SOPHONIAS qui floruit post primam medietatem saeculi septimi ante Christi adventum tempore Iosiae regis, quique videns jam Assiriorum potentiam mox debellatum iri, pacem, securitatem, de hostibus victoriam, sanctitatem et veri Dei cultum universalem per Messiam adducendum praedicit.

406) SOPHONIAE VATICINIUM.[2]

In die illa non confunderis super cunctis adiventionibus tuis, quibus praevaricata es in me; quia tunc auferam de medio tui magniloquos superbiae tuae et non adiicies exaltari amplius in monte sancto meo; et derelinquam in medio tui populum pauperem et egenum et sperabunt in nomine Domini (*hebr.* populum tenuem, debilem, cuius tota fortitudo sit spes in Domino).

Hic populus quamvis externa specie et pompa destitutus sit, interna nihilominus fulgebit pulchritudine, puritate, sanctitate summa: *reliquiae Israel non facient iniquitatem nec loquentur mendacium et non invenietur in ore eorum lingua dolosa; quoniam ipsi pascentur et accubabunt et non erit qui exterreat.*

Quare propheta laetitia gestiens: *Lauda*, inquit, *filia Sion! jubila Israel! laetare et exulta in omni corde filia Jerusalem! Abstulit Dominus judicium tuum, avertit inimicos tuos; rex Israel Dominus in medio tui; non timebis malum ultra. In die illa dicetur Jerusalem noli timere; Sion, non dissolvantur manus tuae! Dominus in medio tui*

---

[1] Cap. IV, v. 3. Cf. w. 6, 9, 13; cap. V; VI, VII. Verba Michaeae fere idem referunt quod jam scripserat Isaias (cap. II).

[2] Cap. III, v. 8 sq.

fortis, ipse salvabit; gaudebit super te laetitia, silebit in dilectione sua,[1] *exultabit super te in laude.... ecce, ego interficiam omnes qui afflixerunt te in tempore illo et salvabo claudicantem et eam quae ejecta fuerat congregabo, et ponam eos in laudem et in nomen in omni terra confusionis eorum, in tempore illo quo adducam vos, et in tempore quo congregabo vos; dabo enim vos in nomen et in laudem omnibus populis terrae, cum convertero captivitatem vestram coram oculis vestris, dicit Dominus.*

406) Hisce vaticiniis de futuro pacis regno firmiter per Messiam instituendo accensenda sunt verba HABACUC et JEREMIAE, qui circa finem saeculi septimi et initiis saeculi sexti, ante Christi nativitatem, floruere; itemque verba EZECHIELIS et ZACHARIAE qui saeculo sexto ante C. N. prophetarunt.

407) HABACUC VATICINIUM.

Propheta iste quae a Deo praestanda erunt et opus, quo regnum suum Deus supernaturale inter homines constituet, hisce describit verbis:[2] *Deus ab austro veniet et Sanctus de monte Pharan. Operuit coelos gloria ejus et laudis ejus plena est terra. Splendor ejus ut lux erit* (splendor sicut sol); *cornua in manibus ejus* (radii e manu ejus, scil. Dominus apparens fulgidissimi solis in modum ostendet in se lucem et splendorem, et sicut a sole radii quaquaversus diffunduntur, ita e manu Domini fulgores emicabunt); *ibi abscondita est fortitudo ejus.*[3] *Ante faciem ejus ibit mors et egredietur diabolus ante pedes ejus* (*hebr.* ante faciem ejus incedit pestis et egreditur flamma ad pedes ejus)[4] *... Egressus es in salutem populi tui, in salutem cum Christo tuo.*[5] *....Ego autem in Domino gaudebo et exultabo in Deo Jesu meo; Deus Dominus fortitudo mea et ponam*

[1] Cf. CORNELY, op. cit. *In Soph.*, p. 153.

[2] Cap. III, 3, sq.

[3] Haec verba consonant cum iis psalmi CIII, 2: *Confessionem et decorem induisti, amictus lumine sicut vestimento.*

[4] Cf. *Deut.*, IV, 24; IX, 3; *Ps.* XCVI, 3.

[5] Cf. KNABENBAUER, *Comm. in Prophetas minores*, p. 112.

pedes meos quasi cervorum et super excelsa mea deducet me victor in psalmis canentem.

408) JEREMIAE VATICINIUM.

Foedus per Messiam perpetuo ineundum Deum inter et homines, malis remotis pastoribus, novoque instituto pastore, JEREMIAS describit: *Revertere ad me, dicit Dominus, et ego suscipiam te....*[1] *Convertimini filii revertentes, dicit Dominus, quia ego vir vester, et assumam vos.... et introducam vos in Sion, et dabo vobis pastores*[2] *juxta cor meum et pascent vos scientia et doctrina.... in tempore illo vocabunt Jerusalem solium Domini et congregabuntur ad eam omnes gentes in nomine Domini in Jerusalem et non ambulabunt post pravitatem cordis sui pessimi; in diebus illis ibit domus Juda ad domum Israel et venient simul de terra aquilonis ad terram quam dedi patribus eorum.*[3]

Item c. XXIII (1 sqq.) haec praedicit JEREMIAS: *Vae pastoribus qui disperdunt et dilacerant gregem pascuae meae, dicit Dominus.... ecce ego visitabo super vos malitiam studiorum vestrorum, et ego congregabo reliquias gregis mei de omnibus terris.... et suscitabo super eos pastores et pascent eos.... ecce dies veniunt, dicit Dominus, et suscitabo David germen*[4] *justum et regnabit rex et sapiens erit et faciet judicium et justitiam in terra et hoc est nomen quod vocabunt eum: Dominus justus noster...*

Servient[5] *Domino Deo suo et David regi suo quem suscitabo eis... et aedificabitur civitas in excelso suo et tem-*

---

[1] III, 2 sq.

[2] Messiam Deus bonum pastorem mittet. Cf. Ez. XXXIV, 22.

[3] Cf. JEREM., c. XI, 1-12.

[4] *Hisce verbis*, scite notat KNABENBAUER (*Comm. in Jer. proph.*, p. 288) *Messias annuntiatur: nam ipsa vox germen et aliquem dicit ex stirpe David oriundum quem Deus Davidi suscitabit et qui rex erit et tamquam talis dominabitur, qui sapientia insigni instructus normam justi et statum illum quem Deus hominibus inesse vult, scil. justitiam adducet. Jam talis rex davidicus est ille idem quem sibi a Deo promissum esse David ultimis suis verbis praeclare docuit* (2 Reg. XXIII, 3-5) *et per quem tandem aeternus thronus in domo David consistet* (2 Reg. VII, 14 sq.).

[5] JEREM., XXX, 9 sqq.

plum juxta ordinem suum fundabitur.... et erit dux ejus ex eo, et princeps de medio ejus producetur.... et eritis mihi in populum et ego ero vobis in Deum....

Ecce dies veniunt,[1] *dicit Dominus, et feriam domui Israel et domui Juda foedus novum, non secundum pactum quod pepigi cum patribus eorum.... sed hoc erit pactum quod feriam cum domo Israel post dies illos, dicit Dominus: Dabo legem meam in visceribus eorum et in corde eorum scribam eam et ero eis in Deum et ipsi erunt mihi in populum.*

In diebus illis[2] *et in tempore illo germinare faciam David germen justitiae et faciet judicium et justitiam in terra. In diebus illis salvabitur Juda, et Jerusalem habitabit confidenter; et hoc est nomen quod vocabunt eum: Dominus justus noster.*

409) EZECHIELIS VATICINIUM.

Propheta Ezechiel et ipse praedicit malos pastores removendos fore a bono pastore e familia David orituro, qui domum David de humili conditione erutam plantabit supra montem excelsum, ubi pax invenietur et tranquillitas perpetua: *Tu autem, profane,*[3] *impie dux Israel, cujus venit dies in tempore iniquitatis praefinita*, (*hebr.* cujus dies venit tempore iniquitatis finis, scil. tempore quo iniquitas finienda est) *haec dicit Dominus Deus: aufer cidarim, tolle coronam;*[4] *nonne haec est quae humilem sublimem humiliavit? Iniquitatem* (scil. eversionem) *iniquitatem, iniquitatem ponam eam; et hoc non* (nihilum) *factum est*[5] (scil. corona seu dignitas non jam erit in familia

[1] JEREM., XXXI, 31-33.

[2] JEREM., XXXIII, 15-16.

[3] Haec verba ad SEDECIAM regem diriguntur.

[4] In hebr. leguntur infinitivi: auferre cidarim, tollere coronam; quibus verbis indicatur ablatio regiae dignitatis.

[5] Clarior est versio LXX Interpretum: οὐκ αὐτῇ τοιαύτη ἔσται ἕως οὗ ἔλθῃ ᾧ καθήκει, idest: talis regni erit prostratio et ruina, donec venturus sit. Itaque hujus vaticinii sensus est: Nullus in posterum ex genere davidico sceptrum feret usque ad Christum qui vere est rex et per quem promissio de throno aeterno facta Davidi complebitur.

Hoc vaticinium si cum aliis comparetur messiam designare evidentissime constat (Cf. *Gen.*, XLIX, 10; IS., XI, 4; OS., III, 5; JER., XXIII, 5, XXXIII, 15).

David) *donec veniret, cujus est judicium (Shiloh?) et tradam ei*[1] (*hebr.:* etiam hoc non est, donec venit cui est jus (debitum) et dabo illud).

Quis autem sit ille, cujus est judicium et jus, ita declarat Ezechiel[2]: *Vae pastoribus* (regibus) *Israel, qui pascebant semetipsos... ecce ego ipse super pastores, requiram gregem meum de manu eorum et cessare faciam eos ut ultra non pascant gregem, nec pascant amplius pastores semetipsos, et liberabo gregem meum de ore eorum.... salvabo gregem meum.... et suscitabo super eas* (oves) *pastorem unum qui pascat eas, servum meum David; ipse pascet eas et ipse pascet eas et ipse eis erit in pastorem.*[3] *Ego autem Dominus ero eis in Deum, et servus meus David princeps in medio eorum; ego Dominus locutus sum, et faciam cum eis pactum pacis et cessare faciam bestias pessimas de terra, et qui habitant in deserto securi dormient in saltibus.... et scient quia ego Dominus Deus eorum cum eis, et ipsi populus meus domus Israel, ait Dominus Deus; vos autem greges mei, greges pascuae meae homines estis, et ego Dominus Deus vester, dicit Dominus Deus*

Haec[4] *dicit Dominus Deus: Et sumam ego de medulla cedri et ponam, de vertice ramorum ejus tenerum distringam et plantabo super montem excelsum et eminentem; in monte sublimi Israel plantabo illud et erumpet in germen et faciet fructum et erit in cedrum magnam et habitabunt sub ea*

---

[1] Ezech., XXI, 25-27.

[2] Idem, XXXIV, 2, 10 sqq.

[3] *Hisce verbis,* ait Knabenbauer, (*Comm. in Ezech.,* p. 356) *intelligi regem Messiam interpretes omnes, etiam Rationalistae, aperte agnoscunt. Ille itaque indicatur per quem Dominus Deus regnum suum in terris stabilire vult; mittetur a Domino, sicut Christus se a Patre missum perhibet. Qua ratione singulari a Patre sit constituendus, impletione in Christo facta manifestum redditur. Constituitur* unus, *sine quo salus promissa attingi nequeat et in quo solo omnis spes reponatur;* pastor *autem appellatur, ut indoles regni ejus et dominationis exprimatur; indoles scil. plena suavitatis, mansuetudinis, sollicitudinis, et curae maximae.... Vocatur autem pastor ille David, quia Davidi promissio data est throni aeterni, quia ex Davidis familia rex messianus oriturus erat.*

[4] Ezech., XVII, 22 sqq.

omnes volucres et universum volatile sub umbra frondium ejus nidificabit.

410) ZACHARIAE VATICINIUM.[1]

Hic propheta Messiae humilitatem describit, quam cum universali ejus dominatione statim conjunctam exhibet: *Exulta satis, filia Sion, jubila filia Jerusalem! Ecce rex tuus* (scil. rex tibi jamdiu promissus, cujus est regni jus et cui Dominus illud dabit) *veniet tibi* (pro te, in tuam utilitatem) *justus et salvator* (afferens justitiam et praebens salutem, pacem, securitatem), *ipse pauper et ascendens super asinam et super pullum, filium asinae. Et disperdam quadrigam ex Ephraim et equum de Jerusalem et dissipabitur arcus belli Et loquetur pacem gentibus et potestas ejus a mari usque ad mare, et a fluminibus usque ad fines terrae.*[2]

IV.) *Spes redemptionis per obedientiam et mortem divini legati.*

411) Cum, sicuti superius monuimus (n. 371), prophetae divinum salvationis consilium exponentes praecisionem non faciant ab adjunctis historicis suorum temporum, hinc est quod vaticinia, quae edita sunt quum monarchia in deterius declinaret, non regni theocratici, sed redemptionis spem referunt per obedientiam, passionem, et mortem divini legati populo Israelitico afferendae.

[1] ZACH., IX, 9-11. Vaticinium hoc esse sensu *literali* messianicum in manifesto est. MARTINI (*Pugio fidei*, p. 3, dist. 3, cap. XVI, 1) luculenter demonstravit hanc interpretationem veteres Judaeos amplexos esse. Cf. KNABENBAUER, op. cit. h. l. p. 223 sq.

[2] Ad haec verba notat Clarissimus KNABENBAUER (op. cit. p. 178): *Haud obscura e t haec parabola: domus David non interibit, Dominus servat progeniem David, sed in conditione humili et obscura, servat eam donec ipse ex ea progenie illum est educturus qui regnum fundaturus est universale et sub suo sceptro omnes gentes congregaturus.... eo igitur sensu thronus David est aeternus, ut domui David, licet sit in humilem conditionem redacta, maneat apud Deum jus throni aeterni, quod Deus suo tempore in opus deducet eum suscitans ex progenie David cui thronum illum aeternum revera est daturus.* Cf. AMOS, IX, 11; ISAI., IV, 2; XI, 1; LIII, 2; *2 Reg.*, XIV, 15; LUC., I, 32, 33; MATTH., XIII, 31; MARC, IV, 31, L.

Passiones quibus Redemptor submittendus erit, earumque mirabiles effectus ita describit Isaias[1]: *Et ascendet sicut virgultum coram eo* (Domino) *et sicut radix de terra sitienti; non est ei species neque decor, et vidimus eum et non erat aspectus* (formâ spectabilis) *et desideravimus eum* (ut eum desideraremus, scil. ut eo aspectu delectaremur et ejus nobis desiderium gigneretur); *despectum et novissimum virorum, virum dolorum et scientem infirmitatem; et*

---

[1] Is., LIII, 2 sqq. Circa hoc vaticinium, quod hodierni critici contendunt esse partem prophetiae non ab Isaïa, sed a juniore prophetâ scriptam tempore exilii babylonici jam ad finem vertentis, non animadvertentes per hoc vim argumenti non tolli, quia semper etiam hae in hypothesi prophetia eventum longe praecessit, plurimae interpretationes nostra aetate invectae sunt, ne illud Christo Domino sit tribuendum.

Praecipuae opiniones recolendae sunt: a) Abenesra, Jarchi, Kimchi, Abarbenel, Salomon ben Melech, Isaac ben Abraham aliique plurimi Judaei, quibus ex recentioribus est David Castelli accensendus (Cf. ejus opera, scil.: *Il Messia secondo gli Ebrei*, et *La profezia nella Bibbia*, p. 473) conantur verba Isaiae de populo israelitico interpretari; quatenus hic populus satisfactionem vicariam, quam in textu exprimi concedunt, pro gentibus praestitit. Hanc opinionem, quam jam sua aetate Origenes veluti absurdam refutavit (*Contra Celsum*, I, 55; Migne, XI, 761) amplexati sunt Doederlein, Schuster, Eichhorn, Telge, Ros. Hendewerk, Hilz, Koester.

Huic sententiae proxime accedunt Ewald et Beck, qui in Isaiae verbis non quidem populum totum simpliciter cernunt, sed populum qualis ex Dei voluntate esse et concipi debet.

Verum non est opus immorari in hisce opinionibus refutandis, quia nimis evidens est populum Israeliticum in exilio constitutum nunquam gentium peccata expiasse

b) Paulus, Thenius, Mamer, Ges. von Coeln, Ammon, Seinecke etc. etc. affirmant non de toto populo, sed solum de meliore ac saniore sermonem esse.

c) De Wette, Winer, Schenkel putant Isaiam non proprie *nucleum theocraticum* suis verbis indicare, sed ordinem prophetarum una cum senioribus, sacerdotibus et levitis qui post exilium instaurationem fecerunt.

Porro has opiniones falsas esse, nemo est qui non videat, siquidem licet verum sit quasdam ex notis, quae in Isaiae verbis inveniuntur, sanctiori Judaeorum parti convenire, utpote typice Messiam figuranti, nihilominus nemo unquam ostendere poterit has notas sive individuo, sive collegio *simul* convenire quum omnes Judaei plus minusve pec-

quasi absconditus vultus ejus et despectus, unde nec reputavimus eum. Vere languores nostros ipse tulit et dolores nostros ipse portavit et nos putavimus eum quasi leprosum et percussum a Deo et humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, disciplina pacis nostrae super eum (hebr.: et vibicibus ejus, vel tumoribus, sanatio nobis, vel proprie sanatum est nobis, scil. sanati sumus). *Omnes nos quasi oves erravimus; unusquisque in viam suam declinavit, et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum; oblatus est quia ipse voluit et non aperuit os suum; sicut ovis ad occisionem ducetur et quasi agnus coram tondente se obmutescet et non aperiet os suum* (scil. libere patitur et summa animi de-

---

caverint, et pro suis non pro aliorum peccatis puniti fuerint, nec unus pro tota gente passus fuerit, civesque suos passione suâ liberaverit (Cf. TANQUEREY, op. cit. p. 257 in nota).

Insuper, ut monet KNABENBAUER (op. cit. p. 333), *quam parum vel prophetis vel senioribus Israel ea conveniunt quae hoc loco dicuntur omnia pene verba textus clamant. Nam neque prophetae, neque seniores neque sacerdotes unquam talia sustinuerunt, neque pro peccatis aliorum se ipsos victimas et sacrificia dederunt, neque mortui et sepulti denuo vixerunt.*

Praeterea si de multis esset sermo, valde mirum foret per integram orationem semper et ubique ita sermonem fieri, ut unus solus numero singulari efferatur. Id nulli eo modo usuvenit, ubi de pluribus est sermo.

Neque dicatur hic sermonem haberi de AZARIA rege leprâ percusso, quia Azarias leprosus mortuus est, et proinde frustra ei applicari contenditur verba quibus exaltationem Isaias praedicit.

Frustra pariter tum KONYNENBURG et BAHRDT ad EZECHIAM, morte violenta sublatum, tum SAADIA et GROTIUS ad JEREMIAM persecutionibus obnoxium, tum denique ABARBENEL ad regem JOSIAM, vel ad MOYSEN, vel ad AKIBA referunt Isaiae verba.

d) Mediam viam ingreditur DAVIDSON (*The Expositor* 1884, ser. sec. t. 8) concedens omnia quae de servo Domini habet Isaias impleta esse in Christo. Putat enim id apertissime ostendi ex libris N. T., neque dubitari posse quin spiritus Christi, qui fuit in propheta, ejus mentem illis imbuerit cogitationibus, quibus via sternatur ad Christum. Vehementer tamen negat hisce contineri vel exprimi idipsum quod propheta cogitaverit. Quare affirmat duo esse sedulo distinguenda: 1° Id in quo omnia illa revera de Christo impleta sunt; 2° Quid ipse propheta describens servum Domini in mente habuerit. Ad hanc secundam quaestionem reponit prophetam loqui de Sion et de Jerusalem, ita ut duo illae pro-

missione et patientia se vexandum et occidendum aliis permittit, ita ut in nulla re obsistat neque se ab injuriis defendat).

De angustia et de judicio sublatus est.... abscissus est de terra viventium; propter scelus populi mei percussi eum (*hebr.:* percussio ipsi). *Et dabit impios pro sepultura et divitem pro morte sua* (*hebr.:* et dant cum impiis sepulcrum ejus, et cum divite post mortem ejus, scil. ei destinatur sepulcrum apud impios, verum post mortem sepulcrum

---

sopopoeiae, Sionis scil. et Servi Domini sint revera una eademque figura loquendi: quare servus domini esset ipse populus Israel.

Verum omnes adductae hypotheses ut prophetia ad omnia aliâ, quam ad Christum, referatur, nullius ponderis sunt, quia verba Isaiae non solum clarissima sunt, verum etiam omnia et singula in Jesu sunt plenissime impleta.

Quod vero vaticinium Isaiae unice ad Messiam sit referendum rationibus gravissimis constat. Ad rem animadvertit KNABENBAUER (op. cit., p. 325 sq.): *Primo enim omnia et singula in Jesu Christo ita sunt impleta, ut plane nemo excogitari queat, ad quem ea omnia et singula specie quamvis tenui veri vel probabilitate solum exigua referri possint. In Jesu vero singulae sententiae sensu vero, plano et proprio impletae sunt. Exortus est ex humili familia* (LIII, 2), *in passione colaphis, sputis, flagellis ita est vexatus, ut fere hominis aspectus in eo non esset....* Satisfactionem vero vicariam quam Christus praestitit pro peccatis omnium *duodecies* in hoc capite memorat Isaias: a) morbos nostros tulit (v. 4); b) dolores nostros portavit (v. 4); c) ipse perfossus est propter scelera nostra (v. 5); d) conculcatus propter iniquitates nostras (v. 5); e) castigatio pacis nostrae super eum (v. 5); f) vibicibus ejus sanatio nobis (v. 5); g) Jahve immisit in eum iniquitatem omnium nostrum (v. 6); h) propter scelus populi mei percussio ipsi (v. 8); i) si posuerit anima ejus sacrificium pro delicto (v. 10); k) et iniquitates eorum ipse portat (v. 12); l) cum iniquis reputatus est (v. 12); m) peccata multorum portat (v. 12). Porro si haec omnia comparentur cum doctrina christiana de expiatione per Jesum Christum, quis negabit hic describi Messiam qui est agnus Dei qui tollit peccata mundi? (Cf. LUC., XXII, 37; MARC., XV, 28; MATTH., VIII, 177, XX, 28; JOANN., I, 29; XII, 37-38; JOANN., 11, 2; IV, 10; *Act.*, VIII, 28-35; I PETR., II, 22-26; *I Cor.*, XV, 3; *Gal.*, II, 20; *Rom.*, III, 25; *Hebr.*, IX, 11 sq.; X, 10, 12, 19, etc. etc.).

De Christo Domino hic sermonem esse deducimus etiam ex paraphrasi quae in Targum Chaldaico legitur, per quam accipimus locum hunc a Judaeis antiquis de Messia esse intellectum; quare merito Brugère (p. 221, n. 1) affirmat hanc prophetiam esse *carnificinam Judaeo-*

datur ei apud divitem) *eo quod iniquitatem non fecerit neque dolus fuerit in ore ejus. Et Dominus voluit conterere eum in infirmitate; si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longaevum, et voluntas Domini in manu ejus dirigetur. Pro eo quod laboravit anima ejus, videbit et saturabitur; in scientia sua justificabit ipse justus servus meus multos et iniquitates eorum ipse portabit. Ideo dispertiam ei plurimos et fortium dividet spolia, pro eo quod tradidit in mortem animam suam et cum sceleratis reputatus est et ipse peccata multorum tulit, et pro transgressoribus rogavit.*

Ex hoc vaticinio, quod evidentissime Christum praedicit, deducimus ipsum subiectum fore omni *passionum et humiliationum* generi, ut possit ipse sibi ad gloriam viam sternere et ad omnium hominum conversionem et salutem pervenire.

412) Multa alia de Christi Domini passione et morte praedicta sunt, ut ecce: *Foderunt manus meas et pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea; ipsi vero consideraverunt et inspexerunt me: diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem....*[1] *et dederunt in escam meam fel; et in siti mea potaverunt me aceto.*[2]

Zacharias, qui plurima de Christo pacis instauratore et salutem populo afferente vaticinatus est, etiam pretium

---

rum, quae plurimos ad Christum convertit, e quibus Joseph Isaac Levita, qui in sua « *Defensione veritatis hebraicae* » ait: *Ingenue profiteor illud ipsum caput ad fidem christianam me perduxisse. Nam plus millies caput illud perlegi: contuli accurate cum multis translationibus: deprehendi centies plus de Christo mysteria in textu hebraeo contineri; quam in ullâ ratione reperiantur.*

Denique apertissimum testimonium in eo continetur, quod Judaei ne gloriosum Messiam, filium David, istis poenis et doloribus subiicerent, alium Messiam ejus praecursorem excogitarunt, filium scil. Joseph vel Ephraim, qui morte sua expiaret crimina Israel et ita regi Messiae et populo viam sterneret ad regnum gloriae constituendum. Cf. Knabenbauer, *Comm. in Is. in h. l.*; Corluy, *Spicil.*, vol. II, p. 84 sq.; Hengstenberg, *Christology*, vol. 2, p. 259 sq.; Reinke, *Exegesis critica in Is.*, c. 52-53; Bade, *Christologie*, II, p. 89; Vitringa, *Observationes sacrae*, II, cap. 9 sq. etc. etc.

[1] Ps. XXI, 18, 19.

[2] Ps. LXVIII, 22.

quo Christus venditus est praedixit[1]: *Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos.* Haec verba aptissime Christum designant qui in forma Dei constitutus Deoque aequalis, se formam *servi* accipiens exinanivit, et pretio servi vendi et aestimari voluit.

V.) *Idea messianica connectitur cum templi instauratione.*

413) Judaei, regno davidico destructo, in captivitate positi (ann. 586 vel 388 ante C.) spem restaurationis nimium materialis fovebant.

Tunc temporis Daniel, et ipse captivus, a Deo electus ut spem Judaeorum erigeret, populum ad spiritualem ideae messianicae interpretationem revocans mortem Christi et templi destructionem praedicit post omnium aliorum regnorum ruinam eventura[2]: *In diebus autem regnorum illorum* (quatuor, quae antea descripsit) *suscitabit Deus coeli regnum quod in aeternum non dissipabitur et regnum ejus alteri populo non tradetur; comminuet autem et consumet universa regna haec, et ipsum stabit in aeternum.*

Ablationem horum regnorum excipi videt a futuro *novo regno*, cujus potestati populi in aeternum subditi erunt[3]: *Aspiciebam ergo in visione noctis et ecce cum nubibus coeli quasi filius hominis veniebat et usque ad Antiquum dierum* (Deum) *pervenit et in conspectu ejus obtulerunt eum; et dedit ei potestatem et honorem et regnum, et omnes populi, tribus et linguae ipsi servient; potestas ejus potestas aeterna, quae non auferetur et regnum ejus quod non corrumpetur.*

414) Daniel postquam haec praedixerat, mente volvens quae jam JEREMIAS prophetaverat circa liberationem Israel

---

[1] ZACH., XI, 12.

[2] DAN EL, II, 44.

[3] *Idem*, VII, 13, 14. *Hic Messiam induci*, animadvertit KNABENBAUER (op. cit. h. l., p. 196) *ex iis quae alii prophetae jam ante Danielem tradiderunt, dubium esse nequit. Ei enim soli, praeter Jahve, gentes dantur in haereditatem; ei soli regnum et potestas in orbem universum adscribitur.* (Cf. *Gen.* XLIX, 10; *Ps.*, II, 6; XLIX, 5 sq.; LXXI, 1 sq.; IS., XI, 10; XLIV, 6; LIII, 11, 12; JER., XXIII, 5; XXX, 21; EZECH., XXXIV, 23; MICH., V, 4 sq. etc. etc.).

post annos septuaginta mox secuturam, cum Deum rogaret ut tempus salutis acceleraret, vidit in visione GABRIELEM archangelum qui ei Messiae tempora, mortem, destructionem templi et Jerusalem revelavit[1]: *Adhuc me loquente in oratione ecce vir Gabriel quem videram in visione a principio cito volans tetigit me in tempore sacrificii vespertini. Et docuit me et locutus est mihi dixitque: Daniel nunc egressus sum ut docerem te et intelligeres* (*heb.* ut docerem te intelligentiam). *Ab exordio precum tuarum egressus est sermo; ego autem veni ut indicarem tibi quia vir desideriorum es; tu ergo animadverte sermonem et intellige visionem:* SEPTUAGINTA HEBDOMADES ABBREVIATAE (*heb.* schabu'im nehettak, hebdomades sectae, determinatae sunt) *sunt super populum tuum et super urbem sanctam tuam, ut consumetur praevaricatio et finem accipiat peccatum et deleatur iniquitas, et adducatur justitia sempiterna et* IMPLEATUR (claudatur) *visio, et prophetia, et ungatur* SANCTUS SANCTORUM (*heb.*, qodesh qodashim, idest Sanctum Sanctorum seu Sanctitas Sanctitatum).[2] *Scito ergo et animadverte: Ab exitu sermonis, ut iterum aedificetur Jerusalem usque ad Christum ducem, hebdomades septem, et hebdomades sexaginta duae erunt, et rursum aedificabitur platea et muri in angustia temporum, et post hebdomades sexaginta duas* OCCIDETUR[3] *Christus, et non erit ejus populus, qui eum negaturus est* (*hebr.*: et nihil est ei, scil. nihil ei post mortem superest, vel non erit ei id quod ad eum pertineat). *Et civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo: et finis ejus vastitas, et post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una; et in dimidio hebdomadis deficiet hostia et sacrificium: et erit in templo abominatio de-*

---

[1] DAN., IX, 16, 24-27.

[2] Haec verba nonnulli intelligunt de Messia dicta, quia in S. S. saepe nomina abstracta pro concretis ponuntur; alii autem intelligunt de Ecclesia quam Christus instituet. Cf. KNABENBAUER, op. cit. p. 239-241.

[3] In textu hebraico legimus: unctus dux exscindetur, delebitur; quod verbum solemne pro gravibus delictis annunciandis, mortem violentam designat qua peccatores puniendi erant.

solationis et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio.[1]

415) Circa hoc vaticinium, cujus valor plurimi faciendus est, duplex quaestio institui debet, quarum una respicit *sensum messianicum* vaticinii ipsius; altera *determinationem temporis*.

1°) Sensus messianicus vaticinii.

416) Relate ad valorem et significationem hujus vaticinii triplex sententia in medium prolata est.

a) Alii enim putant verba *eschatologice* esse interpretanda, et proinde referenda esse ad secundum Christi adventum et antichristi interitum.

Ex veteribus hoc idem docuerunt Apollinarius Laodicenus, Hesychius episcopus Salonae in Dalmatia et Ammonius alexandrinus, qui putant hebdomadam ultimam finiri interitu antichristi.

His accensendi sunt S. Iraeneus, Hippolytus, Pseudo-Cyprianus, Victorinus, Hilarius, Ambrosius qui abominationem desolationis appellant antichristum qui statuet ne jam offeratur sacrificium eucharisticum. Ex recentioribus nonnulli protestantes, ut ecce Kliefoth, Leÿrer, Keil et alii plurimi, vaticinium ad ultima tempora referunt, explicantes hebdomadas 70 symbolice de spatiis temporum quae nequeant determinari, sed apud Deum secundum numerum septenarium computentur. Itaque ab edicto Cyri usque ad Christum dicunt esse hebdomadas septem; deinde per hebdomadas 62 Ecclesiam Christi exstructum iri, denique in ultima hebdomada venturum esse antichristum et magnam apostasiam, in qua Messias ita exterminetur ut ei nihil sit reliquum; deinde civitatem vastatum iri et sanctuarium, ablatum sacrificalem cultum, donec ipse antichristus intereat. Tunc erunt novi coeli et nova terra in quibus justitia habitat.

[1] Et media hebdomada cessare faciet sacrificium et fertum, scil. cessabunt sacrificia cruenta et incruenta cultus sacrificalis V. T.; quibus verbis clare praedicitur cessatura esse sacrificia vetera quando venerint bona messianica.

417) Quod vero haec prophetiae explicatio nequeat admitti patet ex arbitrario modo quo hebdomades separantur. Arbitrarium pariter est bona messiana unice referre ad consummationem saeculorum, ubi utique summa cum perfectione dabuntur.

Insuper *civitas* et *sanctuarium* alio prorsus sensu accipiendi essent ab eo qui unice ex oratione Danielis et ex contextu colligi potest. Et sane hoc vaticinium in exilio datum est et datur praecise postquam Daniel solutionem exilii et instaurationem a Deo petiit; proinde illud foedus necessario ab ipso et ab aliis intelligi debuit, de quo prophetae antecedentes locuti erant et quod fore dixerant tempore instaurationis.

Quare conjungentes verba Danielis cum verbis Christi Domini de excidio Jerusalem et de fine mundi, hoc unum concedimus, nempe ea quae habentur de urbe et de templo esse typum quendam ultimi rerum eventus.

418) *b*) Alii, praesertim rationalistae, ex quibus Wieseler[1] prophetiam ad tempora Antiochi Epiphanis referunt, quo rege Summus Sacerdos Onias occisus fuit.

Hardouin vero et Calmet vaticinium messianicum aliquatenus servare studentes dicunt Oniam esse typum Christi.

Porro interpretationes hujusmodi admitti non posse constat tum ex eo quod annorum computatio esset admittenda a veritate historica aliena,[2] tum ex eo quod verba oraculi nullo pacto apta sunt quibus res ab Antiocho gestae exprimantur; tum denique ex eo quod apparitio et mors Oniae non sunt tanti momenti ut ita solemniter annuntientur, et aliunde *justitia sempiterna* non viguit post Oniae mortem, quum e contra populus, ob sua peccata, variis modis afflictus fuerit.

419) *c*) Alii demum affirmant verba Danielis dicta esse, saltem *typice*, de Messia.

---

[1] *Die 70 Woche und die 63 Jahrwoche des Propheten Daniels.*

[2] Cf. Knabenbauer (op. cit. p. 272). Ipse censet in hac hypothesi annos 434 pro 366 ponendos esse.

Hanc opinionem ut amplectamur suadent tum auctoritas Christi ipsius,[1] tum veterum rabbinorum, tum SS. Ecclesiae Patrum, tum fere unanimis interpretum Christianorum consensus, tum denique ipse *contextus*; agitur enim de tempore *quo delebitur peccatum, adducetur justitia sempiterna, complebuntur prophetiae, templum destruetur, novumque foedus veteri succedet.*[2]

420) 2°) Temporis determinatio.

Quaerentibus quid important 70 hebdomadae a Daniele praedictae, respondemus imprimis eas non tempus indefinitum sed determinatum indicare Diserte enim affirmatur *determinatas* esse septuaginta hebdomadas, quae ita dividuntur: 7 + 62 + 1. Haec autem ultima hebdomada clarius definitur, cum de ejus dimidio quoque mentio fiat.

Pariter sententia longe communissima est tum apud veteres, tum apud recentiores interpretes hebdomadas intelligi non dierum sed annorum. Et sane 50 dierum spatio[3] non poterat urbs denuo aedificari, neque alia, quae praedicta sunt, 490 dierum intervallo fieri potuerunt.[4]

His accedit quod vocabulum *shabûa*, licet quemlibet cyclum septenarium significet, nihilominus ex usu hebraeorum significat aut cyclum septem dierum, aut cyclum septem annorum sicut vox synonyma *shabbat;*[5] proinde cum hic non possit de septimanis dierum sermo esse, patet verba Danielis intelligenda esse de septimanis annorum.[6]

De hebdomadis annorum sermonem esse ipse contextus insinuat cum referat sacer textus Danieli meditanti de septuaginta annis a Jeremia praedictis[7] angelum appa-

---

[1] Matth., XXIV, 15.

[2] Cf. Knabenbauer, op. cit., p. 264 sqq.

[3] Cf. Daniel, IX, 25.

[4] Recentiores Judaei posuerunt hebdomadas esse non annorum sed cyclorum longe majorum. Verum haec sententia cadit si prae oculis habeatur S. Scripturam nonnisi dierum et annorum hebdomadas cognovisse.

[5] *Lev.*, XXV, 2, 8; XXVI, 34, 35, 43; *2 Paral.*, XXXVI, 21.

[6] Cf. Knabenbauer, op. cit., p. 231 sq.

[7] Cf. Jer., XXV, 11, 12; XXIX, 10.

ruisse praedicentem salutem futuram esse non post septuaginta annos, sed post septuagies septem; quare ex integro vaticinio Danielis eruitur annos 490 constitutos esse ad finiendam praevaricationem, ad expiandum peccatum, ad adducendam justitiam et salutem populo israelitico.

421) Pro certo posito hic agi de annorum hebdomadis, quaeritur ulterius unde nam anni quadringenti nonaginta sint computandi?

Relate ad terminum a quo anni in sermone computandi sint, non una est interpretum sententia.

Sacer textus hoc unum dicit: *Ab exitu sermonis, ut iterum aedificetur Jerusalem*; quare exitus *sermonis* tanquam initium temporis a quo 70 hebdomadae sint computandae est habendus.

Nonnulli putant sermonem exiisse a Cyro qui anno 536 Judaeis potestatem fecit redeundi in patriam.[1] Sed in decreto Cyri ne verbum quidem habetur de nova *urbis* aedificatione.

Alii tale edictum putant editum esse a Dario (520) qui directe de templo aedificando agit.[2] Sed quominus a Dario computatio incipiat vetant tum nulla mentio de aedificatione urbis, tum incertitudo utrum edictum datum fuerit anno primo vel altero quo Darius regnavit.

Alii referunt ad annum septimum vel vigesimum *Artaxersis Longimani*,[3] qui jussit urbem denuo construi.

Quamvis probabilius exitus sermonis ab Artaxerse sit computandus, non possumus tamen certitudinaliter definire quo anno ab Artaxerse exierit edictum, quia non est omnino certum quo anno Artaxerses regnare coeperit; cum alii putent id evenisse anno 474, alii anno 465.

Insuper etiam tempus vitae publicae Jesu non est absolute certum; quare clarissimus Tanquerey[4] hisce motus adjunctis concludit: *Melius est, judicio nostro, abstinere*

[1] Cf. Esd., I, 1-4; VI, 3-5.
[2] Cf. Esd., VI, 6-12.
[3] Cf. 1 Esd., VII, 11; 2 Esd., II, 1 sq.
[4] Op. cit. p. 266.

in opere apologetico ab his computationibus chronologicis..., eo magis quia Deus non solet in prophetiis tempora modo mathematico determinare.

422) Nihilominus, hisce non obstantibus, communior sententia est apud eruditos Christum proditurum esse anno ab exitu sermonis 483; proinde numerando 453 ab edicto usque ad aeram christianam, quum haec quatuor annis posterior sit, pertingimus ad Christi ortum; additis 30 annis elapsis ab ejus ortu ad baptismum, reperimus numerum 483 annorum, conflatum ex hebdomadis 7 et 62 (= 49 + 434 = 483), qui ab edicto ad Christum ducem elapsurus praedicitur; et post dimidiam hebdomadam seu post annos 3 $^1/_2$ cessabit hostia et sacrificium in templo, scil. cessabit inde a morte Christi, et per hanc hebdomadam erigetur et confirmabitur novum foedus cum multis.[1]

423) B) Constitutionem novi foederis sub imagine templi Zacharias quoque praedicit[2]: *Ecce vir, Oriens nomen ejus* (*hebr.*, germen nomen ejus);[3] *et subter eum orietur* (*hebr.*, de subter se germinabit, scil. ex humili conditione succrescet et augebitur) *et aedificabit templum domino* (scil. templum illud quod Daniel jam praedixerat a Messia esse ungendum); *et ipse extruet templum domino, et ipse portabit gloriam et sedebit, et dominabitur super solio suo, et*

[1] Origenes (*In Matth.*, n. 40) putat hebdomadas, quae singulae sunt 70 annorum, incipere ab Adamo et desinere in ruinam Jerusalem sub Romanis; dimidia hebdomada sunt 35 anni ab exordio vitae publicae Christi usque ad ruinam illam. Tertullianus incipit ab anno primo Darii Medi, deinde numerat annos 437 $^1/_2$ seu hebd. 62 $^1/_2$ usque ad Christi nativitatem; demum quae remanent 7 $^1/_2$ a nativitate Christi usque ad excidium Jerusalem.

Cf. Pesch, op. cit. p. 132 sq.; Wilmers, op. cit., p. 414; Joann. Gambetti, *Saggio di Cronologia biblica comparata con appendice sulle 70 settimane di Daniele*; Trochon, *Comm. sur Dan.*, 72; Pusey, *Lectures on Daniel*, p. 164-233; Hengstenberg, *Christology*, vol. III, p. 97 sq.; Corluy, op. cit., I, p. 475 sq.; Goode, *Fulfilled prophecy, a proof of the truth of revealed religion, with an appendix of Notes, including a full investigation of Daniel's prophecy*; Maas, op. cit., p. 299 sq. etc. etc.

[2] Zachar., VI, 11-12.

[3] Cf. Zach., III, 8.

consilium pacis erit inter illos duos (scil. inter potestatem regiam et sacerdotalem).

424) C) Hunc sacerdotem novum instituturum sacrificium, prædicit MALACHIAS[1]: *Ab ortu solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus et in omni loco offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus.*

Immo Malachias vaticinatus est sacerdotem istum, quem praecursor praecedet, venturum esse ad templum[2]: *Ecce ego mitto angelum meum, et praeparabit viam ante faciem meam; et statim veniet ad templum suum Dominator quem vos quaeritis et angelus testamenti quem vos vultis; ecce venit, dicit Dominus exercituum.*

425) D) Cum autem Judaei a captivitate reversi, templum iterum aedificassent, factum est ut templum secundum ab ipsis aedificatum valde a gloria prioris deficeret. Quare AGGAEUS ut populum suum consoletur, praedicit gloriam hujus secundi templi, ad quod et Zacharias et Malachias suis respiciebant vaticiniis, longe fore majorem quam prioris, quia in hoc secundum templum Messias ingressurus erit[3]: *Haec dicit Dominus exercituum: adhuc unum modicum est, et ego commovebo coelum et terram, et mare et aridam. Et movebo omnes gentes, et veniet desideratus cunctis gentibus* (*hebr.*, et commovebo omnes gentes, et venient pretiosa omnium gentium)[4] *et implebo domum istam gloriâ, dicit Dominus exercituum. Meum est argentum et meum est aurum, dicit Dominus exercituum. Magna erit gloria domus istius novissimae plus quam primae, dicit Dominus exercituum* (*hebr.*, novissima gloria domus istius major erit quam prima); *et in loco isto dabo pacem, dicit Dominus exercituum.*

Tria hic praedicuntur, scilicet *a) commotio coeli et terrae; b) commotio omnium gentium,* quae venient cum the-

[1] MALACH., I, 11.

[2] MALACH., III, 1. Cf. Is., IX, 6; XI, 1 sqq.; XLII, 6; JER., XXIII, 5; XXXI, 31; EZECH., XXI, 27; DANIEL., IX, 25; OS., II, 19.

[3] AGG., II, 7.

[4] Cf. Is., LX, 5-7.

sauris ut se sistant coram Domino; *c)* denique *gloriae manifestatio et pax.*

Haec autem omnia ad regnum Messiae referenda esse facile quis dabit cui nota sint omnium aliorum prophetarum verba, quibus gloriam et pacem per Messiam afferendam cecinere.[1]

Multa alia vaticinia quibus Messias praedictus fuerat, afferri possent; sed ab iis referendis abstinemus, cum allata satis superque ostendant promissionem futuri Messiae totam historiam populi Israelitici pervadere, ipsaque eas notas praeseferre quibus facile Messias ab hominibus bonae voluntatis agnoscatur.

§ IV — De implemento vaticiniorum in Christo.

426) Postquam probavimus multa vaticinia relate ad Messiam saltem annis 250 ante Christi Domini adventum edita esse, eaque chronologico ordine exposuimus, remanet ut videamus utrum haec reapse in Christo impleta sint; quod si affirmativa fuerit conclusio, tum nobis pro ejus divinitate ineluctabile argumentum praesto erit.

427) Propositio XII. — *Omnes quae in Veteri Testamento de futuro Redemptore prophetiae leguntur, quaeque de una eademque persona editae sunt, adamussim in Jesu Christo implementum habuerunt.*

428) Praenotanda. — Legentibus Evangelium, ut ipse Strauss[2] concedit, statim apparet Christum haud raro affirmasse vaticinia Veteris Testamenti in seipso adimpleta. *Modum* proinde hic quaerimus quo prophetiae in Christo adimpletae sunt.

Verum antequam comparationem instituamus inter vitam[3] Christi et vaticinia quae illam praecesserunt, reco-

---

[1] Cf. Is., XIII, 3; LXV, 17; Dan., II, 44; VII, 11; Joel., II, 30; III, 1, 15; Mich., V, 5; *Psal.* LXXI.

[2] *Leben Jesu*, II, p. 6.

[3] Nota hic nomine vitae, unico vocabulo, nos intelligere *genealogiam, chronologiam* et *biographiam* Messiae.

lendum est, juxta artis hermeneuticae regulas, multa ex vaticiniis non *litteraliter* sed solum *typice* ad tempora messianica referri, hinc *typum* non perfecte intelligi nisi post rei eventum; itemque non esse rigorose quaerendam temporum et circumstantiarum comitantium coincidentiam, neque modum ipsum quo res eventuras prophetae cecinere: ipsi enim haud semper *typum* ab *antitypo* distinguere potuerunt.

Quare ad vim prophetiarum dignoscendam rectus attentusque requiritur animus qui praecipua vaticiniorum lineamenta inspiciat, non vero animus praejudiciis imbutus, praejudicia enim argumenti moralis vim extenuant.

Haec autem praejudicia ratio fuerunt cur Judaei non statim evidenterque Messiam agnoverint, licet prophetias perspectas haberent, magnoque Messiam desiderio expectarent.

Praejudicia vero praecipua, quibus Judaei imbuti erant, regnum Messianicum respiciebant, quod temporale et potentissimum fore expectabant, non vero spirituale, et ex parte eschatologicum.[1]

Proinde quidquid spirituale erat in prophetiis impletum est, quae, utpote veritatis christianae germen, a Christo ipso evolutionem et implementum acceperunt.

Hisce praenotatis accedimus ad thesis probationem.

429) Probatur I pars. *Omnes quae in Veteri Testamento de futuro Redemptore prophetiae leguntur, de una eademque personâ editae sunt.*

Jam superius singula vaticinia exponentes vidimus ea semper ad Jesum Christum referenda esse.

Quod tunc auctoritati traditionis innixi ostendimus, modo probamus 1°) ex eo quod vaticinia talia sunt, ut nequeant de diversis hominibus intelligi. In prophetiis enim

[1] Circa regnum Messianicum confer ephemeridem: *Studi Religiosi*, anno 1902, fasc. 2, p. 168, 169; ann. 1903, fasc. IV, p. 328 sq.; *Civiltà Cattolica*, ann. 1904, fasc. 15 april.; Loisy, op. cit., p. 22; Palmieri, S. I., *Osservazioni sulla recente opera L'Évangile et l'Église par Alfred Loisy*, p. 11 sqq., etc. etc.

promittitur rex ex familia David oriturus, cui omnes gentes obedient, quique in aeternum regnabit. Porro ex natura rei unus idemque tantum intelligi potest.

2°) Prophetae posteriores haud raro ad priora vaticinia vel tacite vel diserte respiciunt; ita ut singula eam prophetiarum seriem adeo connexam efficiant, ut neque una a serie evelli queat quin simul ejus rationabilis sensus omnino tollatur.

3°) Denique, ut verbis utar Pesch[1], *nisi vaticinia unum eundemque Messiam respicerent, per accidens solum fieri potuisset, ut omnia in eum bene quadrarent et ita relate ad Christum essent vaticinia fortuita. Jam finge varios artifices fecisse independenter inter se partes statuae, unum fecisse manum, secundum brachium, tertium pedem, quartum caput, ita porro: numquid ulla ratione probabile est fore, ut, si hae partes inter se conjungantur, statua fiat perfecte una et quasi ab uno artifice facta? Atqui ita res se haberet, si vaticinia per accidens tantum in Christo verificarentur, et ita illa disiecta membra inter se repraesentarent hominem, cui Christus adamussim responderet. Ergo haec suppositio admitti nequit.*

Unus eventus fortuito praedictus potest per accidens verificari in aliquo determinato homine: hoc fieri de duobus eventibus determinatis fortuito praedictis multo minus est probabile. Quo vero magis augentur praedictiones fortuitae, eo magis improbabile fit eas eventu comprobatum iri; *neque adeo multae requiruntur, ut a priori moraliter certum sit rem non esse eventuram. Cogita e. g. populum aliquem subactum esse ab inimicis. Praedicit aliquis mere fortuito vel conjecturaliter: Populus hic post multa saecula liberabitur. Praedicit secundus: Liberator veniet ex hac familia. Tertius: Nascetur in hac urbe. Quartus: Veniet isto determinato tempore. Supponamus ita 20 eventus fortuito praedici, et probabilitatem contra quemlibet eventum in se esse 10 contra 1; jam in duobus eventibus simul sumptis erit*

[1] Op. cit., p. 143.

100 contra 1, in tribus 1000 contra unum, in viginti 100 000 000 000 000 000 000 contra 1; idest probabilitas est nulla

Cum igitur de Jesu Christo plus quam viginti facta determinata praedicta et impleta sint, repugnat praedictionem fuisse fortuitam; ergo erant vera vaticinia, eaque de una eademque persona, nempe de Christo edita, qui verus Dei legatus ostenditur.[1]

430) Haec quae a PESCH deprompsimus valent etiam ad rejiciendam eorum opinionem qui, uti supra (n. 355) retulimus, censent Christum inscie quodammodo et quasi fortuito ita se messianicis prophetiis accommodasse ut paulatim sibi persuaserit se esse vere messiam, eamque persuasionem in suos discipulos infuderit.

431) PROBATUR II PARS. — *Prophetiae messianicae adamussim in Christo implementum habuerunt.*

Et sane: 1°) In Christo impleta sunt quae spectant ad ejus *genealogiam*; de ipso enim dictum erat e semine Patriarcharum, de tribu Juda, a familia David oriturum esse. Porro haec in Christo impleta esse deducimus ex plurimis Novi Testamenti locis, ex MATTH. I, 1-3; XX, 30,31; XXI, 9; ex LUCA, I, 32; III, 31-34; XVIII, 38; ex verbis PAULI, *Ad Hebr.*, VII, 14; *Rom.*, I, 3; ex *Actibus*, XIII, 23.[2]

Quod et Judaeos agnovisse, neque unquam negasse in comperto est.

2°) In Chisto impleta sunt quae ejus respiciebant *chronologiam.* Venturus enim praedicebatur paulo antequam templum et Jerusalem destruerentur, et antequam Juda sceptrum amitteret. Verum Christum ortum esse hisce in temporum adjunctis nemo negabit cui populi Judaici historia nota sit.[3]

3°) Pariter implementum habuere quae ad Christi *biographiam* pertinent.

[1] Cf. P. COURBET, *Jésus-Christ est Dieu*, p. 7 sqq.

[2] Cf. GRIMM, *Das leben Jesu*, I; WILMERS, op. cit. p. 304, n. 392; PATRIZI, *De Evang.*, l. 3, diss. VI, n. 5.

[3] Cf. *Revue biblique*, 1898, p. 540.

Et merito: a) Joannem Baptistam a Malachia (III, 1) praecursorem praedictum de facto ante Christum praecessisse Lucas refert (I, 76; III, 1 sqq.).

b) Christus natus est in Bethlehem Juda (Matth., II, 1; Luc., II, 4).

c) Pacem jam antea promissam, per quam pateret regnum pacis hominibus allatum, Angeli hominibus evangelizarunt (Luc., II, 14).

d) Juxta Isaiae vaticinium (IX, 12) in Galileaeâ praecipue Christus ministerium exercuit (Matth., IV, 15).

e) Abolitionem veteris foederis, novi regni ejusque universalis institutionem jam praedictam de facto perfecit (Matth., XVI, 28; XXVIII, 19; Marc., XVI, 15).

f) Ingreditur autem Jerusalem eo modo, quo Zacharias praedixerat (Zach., IX, 9-10; Matt., XXI, 1 sqq.).

g) Triginta argenteis a Juda venditus est, pecunia in templum projecta, eâque ager figuli emptus est (Zach., XI, 12; Matth., XXVI, 15; XXVII, 3 sqq.).

h) Cum sceleratis reputatus est (Is, LIII, 12; Marc., XV, 28; Luc., XXII, 37).

i) Ut vermis et non homo habitus est (*Ps.*, XXI, 7; Matth., XXVII, 39, 43; Marc., XV, 29) flagellis, alapis caesus, vulneratus (Is., L, 6; Matth., XXVII, 46).

k) Inimici diviserunt sibi Christi vestimenta et super vestem ejus miserunt sortem (*Ps.*, XXII, 19; Matth., XXVII, 35; Joann., XIX, 23-24), et in siti ejus potaverunt eum aceto (*Ps.*, LXVIII, 22; Matth., XXVI, 48; Joann., XIX, 28-29).

l) Unus militum lancea latus ejus aperuit (Zach., XII, 10; Joann., XIX, 34, 37).

m) Sepultus est in sepulcro divitis (Is., LIII, 9; Matth., XXVII, 57).

n) Non est derelictus in inferno, neque caro ejus vidit corruptionem, sed gloriosus resurrexit (*Ps.*, XV, 10; *Act.*, II, 24 seqq.).

o) Regnum universale constituit, ad quem omnes gentes confluunt, quodque immobile stat inter omnes temporum mutationes.

p) Ab ortu solis usque ad occasum magnum est nomen Domini eique offertur sacrificium in omni loco.

432) Quibus omnibus perpensis et simul comparatis, merito concludimus vere Jesum Christum Messiam Deique legatum esse, quia in eo impletae sunt adamussim omnes et singulae prophetiae, quae in Veteri Testamento prolatae fuerant circa futurum populi Israelitici Redemptorem et Reparatorem.[1]

Haec veritas luce meridiana clarior adeo ex dictis elucet, ut eam tantum denegare conentur qui vel in lucem intueri nesciunt, vel lucem ipsam intuentes, *a priori* vaticinia proprie dicta repugnare acriter contendunt.

ARTICULUS II.

TESTIMONIUM CHRISTI IPSIUS DE SUA LEGATIONE DIVINA.[2]

433) Postquam vidimus vaticinia messianica esse de una eademque persona prolata, eaque esse Christo Jesu applicanda, remanet ut videamus quid Christus ipse senserit de sua legatione divina, quid discipuli ejus, quidve Judaei et Gentiles de ejus legatione opinati sint; idque distinctis articulis praestabimus.

434) Modo tamen priusquam in hujusmodi testimonia inquiramus, praejudicialis quaestio est transeunter definienda, nempe de historico caractere Christi Jesu disserendum nobis est.

---

[1] Cf. JOANN., VI, 14.

[2] Cf. KENRIK, *De revel.*, n. 243 sq.; BRUGÈRE, n. 74 sq.; HURTER, n. 54 sq.; LAMBRECHT, p. 430 sq.; KNOLL, § 120-122; PESCH, n. 141 sq.; TANQUEREY, p. 174 sq.; WILMERS, p. 334 sq.; OTTIGER, p. 629 sq.; LIDDON, *The divinity of O. Lord*, lect. IV; J. YOUNG, *The Christ of History*, p. 41 sq.; A. ROW, *Christian Evidences*, lect. II; BOVON, *La vie et l'enseignement de Jésus*; HÉBERT, *O. P., Jésus Christ dans le Credo*, Conf. I; FEINE, *Jesus Christus und Paulus*; WEISS, *Die Prediyt Jesu vom Reiche Gottes*; LOISY, *L'Évangile et l'Église*, p. 42 sq.; PALMIERI, *Osservazioni sulla recente opera L'Évangile et l'Église etc.*; DURAND, *La divinité de Jésus Christ* in Ephem. *Revue bilique*, ann. 1903, p. 530 sq.; ROSE, *Etudes sur les Évangiles*, p. 157-217; COURBET, *Jésus Christ est Dieu*; LÉPIN, *Jésus Messie et fils de Dieu*; SCHELL, *Leben Jesu*; SEPP, *Christus*.

Nemini enim ignotum est quamplurimos surrexisse, qui non tantum ad historicam Christi Jesu existentiam impugnandam, quantum ad plurima ejus vitae facta neganda ad systema illud recursum habuerunt, juxta quod plurima quae de Christo scripta sunt, tanquam mythi vel fictiones habenda sunt.

Porro, uti melius videbimus quando sermo fiet de veracitate Evangeliorum, omnia scripta Novi Testamenti, quae nobis referunt de fide messianica inde ab origine Christianismi, adeo spontanea et sincera apparent, ut omnimodam historicitatem et veracitatem praeseferant, quam nemo sanae mentis in dubium revocare possit.[1]

Quin etiam ipsae divergentiae, quas aliquando inter MATTHAEUM et LUCAM deprehendimus, quarumque conciliatio maximis vexat exegetas difficultatibus, sunt veracitatis historicae indicium, quatenus ostendunt documentorum indipendentiam. In tuto igitur positâ realis Christi existentiâ, quam etiam fere omnes Chistianae religionis osores admittunt, accedimus ad probandam divinam ejusdem legationem.

Sit itaque:

435) PROPOSITIO XIII. — *Christus Jesus se divinum legatum et Messiam professus est.*

436) PRAENOTANDA. — Hic inquirimus in factum, utrum nempe Christus Jesus se divinum legatum professus sit, an potius idea messianica circa Christi personam paulatim evoluta atque perfecta sit a primis fidelibus.

Secundo quaerimus de modo quo Christus se Messiam professus sit; qui aliquando implicitus, aliquando explicitus fuit.

Inter media probandi divinam legationem certe et miracula accensenda sunt, cujuslibet speciei ipsa sint; de hisce autem distincto in articulo sermo fiet.

---

[1] Cf. COURBET, op. cit., p. 13 sq.; LÉPIN, op. cit., p. 4; SCHÜRER, *Geschichte des jüdischen Volkes in Zeitalter Jesu Christi.*

Notandum est opinionem illorum qui dicunt Christum esse *mythicam fictionem* damnatam fuisse in Syllab. Cf. DENZINGER, n. 1554.

Pro hac thesi satis est ostendere Christum Jesum se divinum legatum esse professum, et quidem legatum Dei specialem, quin necesse sit inquirere utrum haec legatio necessario importet divinam in legato naturam, eo quidem sensu quo definita fuit a Concilio Nicaeno.

Nihilominus ex dicendis haec evidens fiet conclusio, scilicet eatenus Christus Jesus est divinus legatus, satisfactoriamque proinde exhibuit Patri expiationem, quatenus naturam habet divinam sensu perfecto et absoluto, idest habet naturam Patri consubstantialem humanae naturae hypostatice conjunctam.

Postquam ostendimus Christum se Messiam professum esse, inquiremus quo sensu ei Messiae titulus competat, et quo sensu sibi hujusmodi titulum attribuerit.

Hinc sponte fluit tractatio de conscientia messianica quae duo respicit, sensum nempe quo Christus Messiam se credidit, et tempus inde a quo Christus se Messiam credidit et uti talem se exhibuit.

437) Circa extensionem et ambitum tituli messianici non una est theologorum et criticorum opinio; singulas tamen opiniones referemus et ventilabimus inferius, quando sermo fiet de sensu quo Christo competit Messiae titulus.

Pariter circa conscientiam, quam Christus habuit de sua missione messianica multae in medium, praesertim a Rationalistis sive liberalibus, sive orthodoxis, prolatae sunt sententiae, de quibus pariter sermo fiet inferius.

438) Ut autem servetur ordo, prius afferenda sunt ea testimonia Christi, de sua legatione divinâ prolata, quae inveniuntur apud Marcum, Lucam et Matthaeum; denique afferenda erunt testimonia quae apud Joannem reperimus.

Et merito quidem; cum enim Evangelium Joannis sit prae ceteris evangeliis tempore posterius, posset ab adversariis ejus vis probativa aliquantulum infirmari, quoniam nimis evidens est scopus apologeticus quem sibi S. Joannes proposuerat, vindicandi scilicet divinitatem Jesu Christi contra haereticorum impugnationes jam tunc exurgentium. Hinc est quod Evangelium Joannis aliquando, licet facta

vera referat, nihilominus non semper rigorosum servat historicum nexum narrationis.[1]

439) PROBATUR THESIS. — Ille vere est Dei legatus qui attenta ejus indole, virtutibus et omnibus temporum, locorum, personarum adjunctis de se ipso exhibet testimonium fide dignum. Atqui Christus Jesus omnibus attentis adjunctis exhibuit testimonium de seipso fide dignum quando seipsum privatim et in publico, coram amicis et inimicis, coram populo et magistratibus divinum legatum professus est. Ergo Christus vere est divinus legatus.

Ad minorem probandam duo debent demonstrari, scilicet, a) de facto Christum de sua legatione divina testimonium exhibuisse; b) hujusmodi testimonium fuisse fide dignum. Hanc secundam partem probabimus quando loquemur de conscientia messianica, et expendetur valor testimoniorum quae de se ipso Christus attulit.

Sedulo tamen notandum est Christum Jesum non statim et aperte se Dei legatum professum esse, sed paulatim, ita ut suae legationis professio eo clarior et evolutior fiat, quo proprior fit legationis consummatio et perfectio per supremum in arâ crucis sacrificium a Christo ipso praestandum.

440) *Christus Jesus multoties testimonium exhibuit de sua legatione divina.*

A) PRIVATIM. — a) Primam manifestationem suae legationis Christus ipse exhibet per ea verba quae, cum esset

[1] Nostris diebus a quibusdam criticis, quos inter est LOISY accensendus (*Études bibliques*), putant evangelium Joannis non esse historicum. Haec affirmatio ita absolute posita nequit admitti, indiget proinde explicari. Si quum historicitas evangelii negatur, factorum quae narrantur realis negetur existentia, hujusmodi criticorum sententia falsa est; si vero tantum negetur ordo chronologicus quo facta evenere, vera est; quia Joannes quidem evangelium scripsit ad modum thesis dogmaticae pro divinitate Christi vindicanda, quam factis ex historia Christi desumptis probavit; hinc fit quod haud raro facta, quae diverso tempore et loco evenere, simul, perinde ac si uno eodemque tempore et loco evenissent, conjungantur praecise ob intimum nexum intrinsecum quod inter ipsa intercedit, et ob opportunitatem probationis.

annorum duodecim, ad parentes dixit, qui eum post triduum invenerunt in templo sedentem in medio doctorum: *Quid est quod me quaerebatis? Nesciebatis, quia in his, quae Patris mei sunt, oportet me esse?*[1] Hisce verbis apertissime Christus suam missionem et etiam a Deo filiationem designavit.

b) Se pariter Messiam declarat, saltem indirecte, quando Apostolos vocat ad sui sequelam[2]: *Venit Jesus in Galileam praedicans evangelium regni Dei, et dicens: Quoniam impletum est tempus et appropinquavit regnum Dei: ....et praeteriens secus mare Galilaeae vidit Simonem et Andream fratrem ejus mittentes retia in mare (erant enim Piscatores) et dixit eis Jesus: Venite post me et faciam vos fieri piscatores hominum.*

c) Iterum discipulis a Joanne missis ut quaererent a Christo utrum esset qui *venturus erat*, respondit Jesus[3]: *Euntes renuntiate Joanni quae audistis et vidistis: caeci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur*; quae verba aperte insinuant Christum ad opera appellasse ad se Messiam declarandum.

d) Idem apertissime expressit quando approbavit Petri confessionem[4]; ipse enim quaesierat a discipulis suis: *Quem dicunt homines esse filium hominis?.... Vos autem quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus dixit: Tu es Christus filius Dei vivi.*[5] *Respondens autem Jesus dixit ei: Beatus es, Simon bar Jona: quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in coelis est.*

e) Post resurrectionem se Messiam exhibuit discipulis castellum nomine Emmaus petentibus, aperiens eis prophetias quae de se ipso erant[6]: *O stulti*, inquit, *et tardi corde*

---

[1] Luc., II, 49.
[2] Marc., I, 16-17; Cf. Luc., V, 2; Matth., IV, 18; X, 1-7.
[3] Matth., XI, 5; Cf. Is., XXXV, 5.
[4] Matth., XVI, 15-17; Cf. Marc., VIII, 27; Joann., VI, 69-70.
[5] *Graece*: ὁ Χριστὸς, ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ ζῶντος.
[6] Luc., XXIV, 13-27.

ad credendum in omnibus quae locuti sunt prophetae? Nonne haec oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam? Et incipiens a Moyse et omnibus Prophetis interpretabatur illis in omnibus Scripturas quae de se ipso erant.

441) Quae apud Synoptica evangelia legimus Jesum Christum de se ipso protulisse coram discipulis testimonia, videmus et a Joanne relata.

Et sane a) Christus se a Patre missum affirmat[1]: *Sicut misit me Pater et ego mitto vos.*

b) Messiam se profitetur discipulorum fidem confirmando. Haec enim legimus apud Joannem[2]: *Vidit Jesus Nathanael venientem ad se et dicit de eo: Ecce vere Israelita in quo dolus non est. Dicit ei Nathanael: Unde me nosti? Respondit Jesus et dixit ei: Priusquam te Philippus vocaret cum esses sub ficu vidi te. Respondit ei Nathanael et ait:* RABBI TU ES FILIUS DEI, TU ES REX ISRAEL *Respondit Jesus et dixit ei: Quia dixi tibi: Vidi te sub ficu, credis: majus his videbis. Et dicit ei: Amen, amen dico vobis, videbitis coelum apertum et Angelos Dei ascendentes et descendentes supra* FILIUM HOMINIS.

c) Christus Nicodemum alloquens, qui eum propter miracula ab ipso patrata Deum profitetur ait[3]: *Nemo ascendit in coelum, nisi qui* DESCENDIT DE COELO, FILIUS HOMINIS QUI EST IN COELO, *et sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet* FILIUM HOMINIS, *ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam aeternam. Sic enim Deus dilexit mundum,* UT FILIUM SUUM UNIGENITUM *daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam aeternam. Non enim* MISIT DEUS FILIUM SUUM IN MUNDUM *ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum. Qui credit in eum non judicatur; qui autem non credit, jam judicatus est, quia non credit in nomine* UNIGENITI FILII DEI.

d) Item ad mulierem Samaritanam loquens, quae ei di-

[1] JOANN., XX, 21,
[2] I, 43-51.
[3] JOANN., III, 11-18.

xerat[1]: *Scio quia Messias venit qui dicitur Christus; cum ergo venerit ille nobis annuntiabit omnia*; dixit ei: EGO SUM, *qui loquor tecum.*

Ex hisce omnibus locis deducimus Christum Jesum se Prophetam, immo Prophetis excellentiorem et verum Messiam exhibuisse coram discipulis suis.

442) B) CORAM POPULO. — Eandem suae legationis professionem protulit sive implicite, sive explicite coram populo.

Implicite quidem quando praedicat turbis ut poenitentiam agant, quia in proximo est regnum Dei; et quando se templo majorem et sabbati dominum affirmat.[2]

Explicite vero multoties se Messiam exhibuit.

a) Dicit in se impleta esse quae Isaias de Messia praedixerat. Quum venisset Nazareth et intrasset secundum consuetudinem suam die sabbati in Synagogam et surrexisset legere, et traditus esset illi liber Isaiae Prophetae, et revoluto libro invenisset locum ubi scriptum erat: *Spiritus Domini super me, propter quod unxit me evangelizare pauperibus, misit me sanare contritos corde, praedicare captivis remissionem et caecis visum, dimittere confractos in remissionem, praedicare annum Domini acceptum et diem retributionis, coepit dicere ad illos: Quia hodie impleta est haec Scriptura, in auribus vestris.*[3]

b) Christus licet semper humilitatem dilexit et Pharisaeorum redarguit superbiam, nihilominus se Messiam clare exhibet, quum Joannem plus quam Jonas et quam Salomon profitetur, praecise quia est sui praecursor[4]: *Ecce plus quam Jonas hic.... et ecce plus quam Salomon hic.*

---

[1] JOANN., IV, 25-26. In textu graeco legimus: Οἶδα ὅτι Μεσσίας ἔρχεται (ὁ λεγόμενος Χριστός).

[2] MARC., I, 15; MATTH., IV, 17; XII, 6-8; MARC., II, 28; LUC., VI, 5.

[3] LUC., IV, 18-21; Cf. MATTH., XIII, 54; MARC., VI, 1; JOANN., IV, 45.

[4] MATTH., XII, 41-42; Cf. LUC., XI, 31, 32.

c) Postquam confirmavit Petri confessionem ita alloquitur turbas[1]: *Si quis vult me sequi deneget semetipsum et tollat crucem suam et sequatur me. Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam. Qui autem perdiderit animam suam propter me et evangelium salvam faciet eam. Qui enim me confusus fuerit et verba mea in generatione ista adultera et peccatrice, et filius hominis confundetur eum cum venerit in gloria Patris sui cum Angelis Sanctis.*

d) Sibi facultatem vindicat dimittendi peccata[2]: *Quid est facilius dicere: Dimittuntur tibi peccata, an dicere: Surge et ambula: Ut autem sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata* etc.

e) Omnia asserit sibi a Patre tradita esse, et ea nosse quae Pater novit[3]; *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo: et nemo novit filium nisi Pater: neque Patrem quis novit, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare.*

443) Easdem de sua legatione divina a Christo confessiones prolatas refert S. Joannes.

a) Se Filium Dei appellat quando ementes et vendentes ejicit de templo[4]: *Et his qui columbas vendebant, dixit: Auferte ista hinc, et nolite facere domum Patris mei domum negotiationis.*

b) Sibi vindicat omnia jura quae Messiae competebant et potestatem omnia faciendi quae Pater ipse operatur, eamque in suam missionem exoptabat fidem, ut sine ipsa salus obtineri nequeat[5]: *Jesus autem respondit eis: Pater meus usque modo operatur, et ego operor... Amen, amen dico vobis; Non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem haec facientem: quaecumque enim ille fecerit, haec et Filius similiter facit, Pater enim diligit Filium, et omnia demonstrat ei, quae ipse facit.... Sicut enim Pater suscitat*

[1] Marc., VIII, 34-38; Cf. Matth., X, 38; XVI, 24-28; Luc., IX, 23; XIV, 27; XVII, 33.

[2] Luc., V, 23 sq.; Cf. Matt., IX, 1-8; Marc., II, 1-12.

[3] Matth., XI, 27.

[4] Joann., II, 16 sq.

[5] Joann., V, 16-24, 30, 36, 38, 43, 46.

mortuos, et vivificat; sic et Filius, quos vult, vivificat, neque enim Pater judicat quemquam: sed omne judicium dedit Filio... Amen, amen dico vobis, quia qui verbum meum audit et credit ei QUI MISIT ME, *habet vitam aeternam.... non quaero voluntatem meam, sed ejus qui misit me... Opera enim, quae dedit mihi Pater, ut perficiam ea, ipsa opera quae ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me. Et qui misit me Pater, ipse testimonium perhibuit de me.... Scrutamini scripturas.... ego veni in nomine Patris mei, et non accipitis me.... Si enim credidistis Moysi, crederetis forsitan et mihi, de me enim ille scripsit.*[1]

c) Item Judaeis in templo mediante die festo congregatis dixit se doctrinam docere sibi a Patre traditam[2]: *Mea doctrina*, ait Jesus, *non est mea, sed ejus,* QUI MISIT ME.... *Et me scitis, et unde sim, scitis et* A MEIPSO NON VENI, *sed est verus,* QUI MISIT ME, *quem vos nescitis. Ego scio eum, quia ab ipso sum, et ipse* ME MISIT.

d) Magis explicite vero se a Deo missum declarat coram Pharisaeis et Scribis[3]: *Ego sum,* inquit, *qui testimonium perhibeo de meipso, et testimonium perhibet de me,* QUI MISIT ME, PATER.... *Ego enim* EX DEO PROCESSI, *et veni; neque enim a meipso veni: sed ille me misit.*

e) Similiter Judaeis interrogantibus eum ut diceret utrum esset Christus respondit[4]: *Loquor vobis, et non creditis; opera quae ego facio in nomine Patris mei, haec testimonium perhibent de me ... Ego et Pater unum sumus. — Multa bona opera ostendi vobis ex Patre meo; propter quod eorum opus me lapidatis? Nonne scriptum est in lege vestra, quia ego dixi: Dii estis? Si illos dixit Deus, ad quos sermo Dei factus est, et non potest solvi Scriptura; quem Pater santificavit et* MISIT IN MUNDUM, *vos dicitis: Quia blasphemas: quia dixi: Filius Dei sum.* Haec aliaque plura Joannis verba, quae brevitatis gratiâ omittimus, satis superque ostendunt

---

[1] Cf. GEN., III, 15; XXII, 18; XLIX, 10; *Deut.*, XVIII, 15.
[2] JOANN., VII, fere per totum.
[3] JOANN., VIII, fere per totum.
[4] JOANN., X, 18-42.

Christum Jesum suam divinam missionem professum esse, non solum privatim coram amicis et discipulis sed in publico quoque coram turbis et inimicis.

444) C) CORAM MAGISTRATIBUS. — In judicium Jesus vocatus, quum Princeps Sacerdotum dixisset: *Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis, si tu es Christus Filius Dei*[1], respondit[2]: *Tu dixisti, verumtamen dico vobis: amodo videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, et venientem in nubibus coeli.*

Rursum summus sacerdos interrogabat eum, et dixit ei: Tu es Christus Filius Dei benedicti? Jesus autem dixit illi: Ego sum; et videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, et venientem in nubibus coeli.[3]

Dixerunt autem omnes: Tu ergo es Filius Dei? Qui ait: Vos dicitis quia ego sum.[4]

Pilato vero, qui nullam mortis causam in Jesu invenerat, succlamant Judaei: *Nos legem habemus, et secundum legem debet mori, quia Filium Dei se fecit.*[5]

Ex hisce locis deducimus Christum se divinum legatum professum esse non solum coram amicis, sed etiam coram populo et coram ipsis magistratibus praecise quando eum morti tradere quaerebant inimici ejus, hac de causa quod homo cum esset se Filium Dei fecerat.

445) Neque valet in contrarium quod supponit MARTINEAU,[6] nempe declarationes hujusmodi non esse genuina Christi verba, sed Evangelistarum inventa; quia, uti scite notat TANQUEREY,[7] *ita cum aliis factis connectuntur, tam saepe repetuntur ut, his sublatis, tota Evangelii tela periret.*

---

[1] Graece: εἰ σὺ εἶ ὁ Χριστός, ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ. Hisce verbis Christum se Messiam declarasse evidens est, quia verba *Christus* et *Filius Dei* in singulari numero posita, nullam aliam significationem praeseferunt; tum etiam quia integer contextus id expostulat.

[2] MATTH., XXVI, 59-66.

[3] MARC., XIV, 61-62.

[4] LUC., XXII, 70.

[5] JOANN., XIX, 7.

[6] *Seat of Autority in Religion*, pp. 577-585.

[7] Op. cit., vol. 5, p. 178 in nota.

Qui igitur Evangeliorum auctoritatem admittunt, sine aperta contradictione, testimonium Christi de divina legatione rejicere nequeunt. Quod aliunde recentes Rationalistae non pauci aperte fatentur.... Jesum nempe voluisse hoc nomen MESSIAE *sibi vindicare.*[1]

446) *Testimonium Jesu Christi fidem meretur.* Ex dictis patet Christum Jesum se divinum legatum professum esse. Ut autem cognoscatur utrum testimonium quod ipse de sua legatione protulit sit fide dignum an non, videndum nobis est quo sensu se messiam dixerit, quaeque fuerit ejus conscientia.

In hac secunda parte theseos proinde quaerimus de sensu quem obtinebant haec effata: *Filius hominis, Filius Dei*, tum in mente Christi, tum in audientium communi existimatione. Quare duplex quaestio hic agitatur, una quidem de sensu *obiectivo* horum effatuum; altera vero de sensu *subiectivo*. Haec altera quaestio intime connectitur cum quaestione de conscientiâ messianicâ.

447) α) *Significatio obiectiva effatuum* FILIUS DEI, FILIUS HOMINIS. Notandum in primis est vocem FILIUS in linguis semiticis significationem latam, non vero determinatam et ad unum coarctatam induere sicut in linguis occidentalibus invenimus.

Per vocem *filius* apud Orientales omnes relationes intimae designantur sive physicae, sive morales; et ita habemus *filium arcus* [2] (sagittarium), *filium pharetrae*,[3] *filium areae* [4] (triticum), *filium olei* [5] (sacerdotem), *filium mortis*,[6] *filium prophetae* [7] (prophetae discipulum), *filium Belial.*[8]

[1] Cf. H. HOLTZMANN, *Handkommentar*, I, 231; A. HARNACK, *Outlines of the History of dogma*; WELHAUSEN, *Geschichte*, p. 315 apud *Dublin Review*, apr. 1895, p. 327.

[2] JOB., XLI, 19.

[3] JER., *Thren.*, III, 13.

[4] IS., V, 10.

[5] ZACH., IV, 14.

[6] *I Reg.*, XX, 31; *II Sam.*, XII, 5; *Ps.*, LXXIX, 11; CII, 21.

[7] *I Reg.*, XX, 35; *II Reg.*, II, 3, 5, 7; IV, 38 etc. Cf. *Exod.*, II, 10; *Prov.*, I, 10.

[8] *Deut.*, XIII, 13; *Jud.*, XIX, 22; *I Sam.*, II, 12 etc. Cf. *Eph.*, II, 3; II PET., II, 14; JOANN., XVII, 12; *II Thes.*, II, 3; MATH.,

Hinc est quod diversimode in Sacris Litteris Veteris Testamenti accipiuntur verba « *Filius Dei* »: haec enim verba designant eum qui cum Deo specialibus eisque intimis sive originis, sive dependentiae, sive amoris vinculis conjungitur. Qua de re Angeli aliquando *Filii Dei* dicuntur:[1] pariter *Filii Dei* appellantur homines justi:[2] itemque *Israëlitae* hoc nomine donantur:[3] reges et judices, praecipue vero reges Israëlis *Filii Dei* nominantur, quatenus ipsorum auctoritas est a Deo, et vices Dei in terris retinent.[4]

Verba igitur *Filius Dei* juxta Veteris Testamenti testimonia nihil aliud significabant quam cum Deo quandam relationem et divinitatis participationem.[5]

448. Hujusmodi autem titulus speciali modo, quin tamen naturam divinam designaret, Messiae venturo a populo Judaico tribuebatur, quatenus Messias futurus erat rex Israël per excellentiam, electus,[6] Dei vices gerens,

---

XXIII, 15; JOANN., VIII, 44; *Act.*, XIII, 10; I JOANN., III, 10; MARC., X, 24; *Gal.*, IV, 19 etc. etc.

[1] JOB., I, 6; II, 1; XXXVIII, 7; *Ps.*, LXXXIX, 7.

[2] *Eccli.*, V, 10; *Sap.*, II, 13; Cf. *Ps.*, LXXIII, 15; *Prov.*, XIV, 26.

[3] *Deut.*, XIV, 1, 2; Is., XLIII, 6; *Sap.*, IX, 7; XII, 19, 21; XVIII, 4. Cf. Is., I, 2; XXX, 1-9; JEREM., III, 14-19; OSC., II, 1; *Exod.*, IV, 22, 23; *Ps.*, LXXX, 16, 18.

[4] *Ps.*, LXXXII, 6; LXXXIX, 28; II SAM., VII, 14; *Ps.* II, 7, 11.

[5] Cf. LEPIN, op. cit., p. 36-39. Ad rem scribit P. ROSE (*Études sur les Évangiles*, p. 188, cui consonat LEPIN: *Il ressort de ces textes que la paternité de Dieu n'implique qu'une providence spécialement attentive et bienveillante pour le peuple divin, et pour son roi. Israël est Fils de Dieu, parce qu'il doit à Jahvé son origine nationale et politique et sa constitution religieuse. Ce titre n'est et ne peut être qu'une métaphore. C'est par métaphore aussi que le chef de la nation est appelé Fils de Jahvé. Par l'onction sainte, il est engendré Fils de Dieu et consacré à lui; le jour de son couronnement est un jour de naissance. Jahvé le prend en protection particulière; il lui dévolue ses droits sur toute la terre et lui assure une descendance qui ne sera pas éteinte.*

[6] Hujusmodi titulus invenitur apud *Librum* ENOCH (XLV, 3, 4; XLIX, 2; LI, 3-5; LII, 6-9; LIII, 6; LV, 4; LXI, 8; LXII, 1; Cf. Luc. XXIII, 35) Messiae tributus.

Filius Dei per excellentiam. Quo factum est ut apud Judaeorum traditiones tantum pateret extensio tituli hujusmodi, quantum patebat nomen *Messias*.

In lingua autem graeca haec phrasis veram et propriam a Deo filiationem significat.

449) Titulus *Filius hominis* vel in se consideratur, vel relate ad aliud. Si consideretur in se, et loco pronominis personalis adhibitus, nihil aliud significat, praesertim in lingua aramaica, quam *homo* iste quem vos videtis,[1] *homo* qui vobis loquitur, *homo* in quem omnes intendunt.[2]

Juxta graecam linguam phrasis ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου significat *hominem ex homine natum*.

Si vero hic titulus consideretur veluti relationem dicens ad verba Danielis[3] significat illum *hominem* per excellentiam qui ab Altissimo regiam accipiens potestatem erit regni messianici caput et fundator.

Phrasis autem *Filius hominis* cum verbis MICHAEAE[4] comparata alteram phrasim, *Filius Dei*, determinat ad sensum exclusive messianicum, et naturae divinae in futuro Messia coexistentiam cum natura humana insinuat.[5]

---

[1] Cf. LEPIN, op. cit., p. 37-38; ROSE, op. cit., p. 196-197. *Le titre de Fils de Dieu*, ipse scribit, *est donc restreint et conditionné par celui de Messie.... La mesure du divin qui lui était faite, la qualité de fils qu'on lui reconnaissait, étaient nécessairement déterminées et réglées par les conceptions populaires, et par les commentaires des prophéties messianiques qu'élaboraient les pharisiens et les scribes. Jésus était le fils de Dieu, parce qu'il était le Messie, et autant qu'un homme pouvait participer à la divinité.*

[2] Cf. NUM., XXIII, 19; JOB., XVI, 22; XXV, 22; XXV, 6; *Ps.*, VIII, 5; CXLIII, 3; Is., LI, 12; LVI, 2; *Ecclis.*, XVII, 29.

[3] DANIEL, VII, 13, 44, 27.

[4] V, 1.

[5] Ex hucusque disputatis exurgit quod obiective, sed solum relate ad Christum, phrasis *Filius Dei* acquirit sensum praecisum et determinatum ita ut Christus sensu proprio et reali *Filius Dei* dici debeat. Ad rem scribit LEPIN (op. cit. p. 60-61): *Le titre de* Fils de Dieu, *a par lui-même, dans la langue hébraïque, un sens assez large, et peut s'entendre de toute relation spéciale de dépendance, d'union ou d'affection avec Dieu. Appliqué au Sauveur, en particulier, il pourrait simplement marquer que Jésus est l'Élu privilégée de Dieu, le futur Roi d'Israël, le Messie. Ici cependant, l'appellation reçoit un sens plus précis et plus fondé sur la réalité.*

450) 3) *Significatio subiectiva effatuum* Filius Dei, Filius hominis. Haec subiectiva significatio vel apud Judaeos, vel apud ipsum Christum considerari potest.

451) 1°) Apud Judaeos phrasis *Filius Dei* qua designabatur venturus Messias nihil aliud quam specialem Dei legatum et mundi reparatorem significabat, qui regnum Israelis firmaturus erat.[1] Hinc est quod ipsi per hanc loquendi formulam creaturam designarent intime Deo conjunctam et privilegiis ornatam quae non realem filiationem a Deo, sed tantum metaphoricam obtineret; quamvis Michaeas,[2] Isaias[3] et ipse *Sapientiae* auctor[4] hypostasis divinae cum hominibus conversantis notitiam inducerent. Neque Judaei, attenta eorum monostheismi exclusiva apprehensione, poterant admittere obiter plures personas divinas in eadem natura aequaliter subsistentes.

Quare Jesus, ab illis Hebraeis qui eum *Filium Dei* dicunt, eatenus dicitur *Filius Dei*, quatenus Messias creditur.

452) Phrasis autem *Filius hominis* nihil apud Judaeos fere omnes significabat, quamvis ipsis perspecta essent Danielis verba; quia Jesus non eas praeseferebat notas, quibus ipsi putabant Messiam distinguendum fore.[5]

Jésus n'est seulement Fils de Dieu par élection et par un choix extrinsèque en quelque sorte, il l'est de par sa naissance virginale, et dans sa nature même.... C'est donc comme homme d'abord que Jésus est Fils de Dieu, en tant que son humanité a été engendrée directement de Dieu. Rien n'indique toutefois qu'il faille restreindre là sa filiation divine, et qu'il ne soit pas Fils de Dieu en dehors même de sa nature humaine, comme participant de quelque façon, par une partie supérieure de son être, à la nature de Dieu.

[1] Cf. Lepin, op. cit., p. 38.

[2] V, 1.

[3] VII, 14; VIII, 10; IX, 5.

[4] *Sap.*, VII, 25-26; IX, 4; Cf. Rose, op. cit., p. 188, sqq.

[5] Ad rem Lepin (op. cit., p. 34 in nota) scribit: *Ce nom de* Fils de l'homme, *ne paraît pas avoir été une des appellations ordinaires du Messie; l'humilité du titre avait dû le faire laisser dans l'ombre, hors de l'usage courant; et c'est bien ce que montre l'accueil fait à l'emploi de ce titre par le Sauveur. Néanmoins, rien n'empêche d'admettre que, dès avant l'ère chrétienne, l'expression ait déjà été pour quelques esprits, en particulier pour l'auteur du* Livre d'Hénoch, *une appellation messianique. L'at-*

453) 2°) Christus vero sibi hos titulos sensu determinato ad naturam divinam et messianicam legationem significandam applicuit.

Hinc est quod quando se *Filium Dei* appellat sibi naturam Patri consubstantialem attribuit, et eatenus se Messiam demonstrat quatenus est Filius Dei, non autem vicissim. Notandum tamen est quod Jesus quando de sua filiatione divina loquitur non aperte dicit: *Ego sum Filius Dei,* quia noverat id repugnare Judaeorum de unicitate Dei persuasioni, personarum pluritatem excludenti. Nihilominus manifeste ostendit nonnisi unum sensu proprio et reali haberi Dei filium, et se esse talem;[1] affirmans inter ipsum et Patrem intimam intercedere naturae identitatem et communitatem,[2] quia omnia sibi tradita sunt a patre suo, et *nemo novit Filium, nisi Pater: neque Patrem quis novit nisi Filius.* Et merito quidem, quia si esse naturae intellectualis est intelligere, et si intelligere sicut Deus, posse sicut Deus, est esse Deus; Jesus ipse, eo quod intelligit sicut Deus, potest sicut Deus, naturam habet divinam.[3]

454) Exinde patet quid sentiendum sit de eorum opinione qui vel cum Socinianis et Unitariis docent titulum « Filius Dei » hominem denotare, qui potestatem habet a Deo sublimem et deitatis aliqua ratione participem, non vero naturam possidet divinam;[4] vel cum Lipsio[5] tradunt Jesum esse purum hominem, sed Filium Dei vocari ob singularem dilectionem, qua Deus eum elegit, ita

---

tention portée sur le livre de Daniel aux approches de l'ère chrétienne, et le caractère messianique que la tradition apercevait dans la scène du chap. VII, avaient dû comme naturellement mettre le titre de Fils de l'Homme *en rapport avec le nom du Roi-Messie.*

[1] Cf. Matth. XIII, 32; XXII, 2; XVII, 25; Marc., XII, 1-12.

[2] Cf. Matth., XI, 27; Luc., X, 22; Joann., III, 12; I, 18; V, 46; VII, 28, 29; VIII, 19; X, 15.

[3] Cf. Rose, op. cit., p. 206.

[4] Cf. Wilmers, op. cit., p. 408.

[5] Lipsius, *Lehrb. der evang. prot. t. Dogm.* §§ 553, 554.

tamen ut hoc nomen non obtineatur sensu pleno nisi postquam Jesus, in coelum assumptus, divinae potestatis factus sit particeps; vel cum Beyschlag [1] putant Jesum, qui ut ceteri homines justi, est filius adoptivus, singulari modo vocari Filium Dei, quia ipse majoris perfectionis moralis est particeps et quidem inde a nativitate; vel cum Wendt [2] et Ritschl [3] filiationem divinam in relatione amoris et obedientiae inter Jesum et Deum intercedente, vel cum Harnack [4] et Weiss [5] in Dei cognitione reponunt.

His accensendus est Loisy qui affirmat Jesum Christum se eatenus Filium Dei dixisse, quatenus est Messias, et omnem hujus tituli vim reponendam esse in Messiae qualitate et ambitu.[6]

455) Uti patet haec omnia opinamenta in medium prolata ad hoc unum reducuntur ut probent Jesum sensu improprio et metaphorico se *Filium Dei* appellasse. Verum quantum a veritate aberret haec conclusio ex dicendis patebit.

Certum est, et hoc fere omnes concedunt, qui praejudiciis amotis quaestiones pertractant, divinitatem Christi non adeo explicite exurgere ex tribus evangeliis synopticis, sicuti exurgit ab Evangelio S. Joannis et ex epistolis Paulinis; et hoc tribuendum est non facto quod doctrina de Christi divinitate ulterius evoluta sit a traditione Chri-

---

[1] *Das Leben Jesu*, I, p. 179.

[2] *Die Lehre Jesu*, I, p. 433.

[3] *Unterricht in der christ. Relig.*

[4] *Das Wesen des Christentums*, p. 81.

[5] *Lehrbuch der bibl. Théol. des neuen* Testaments, p. 58.

[6] *L'*Evangile et l'Eglise. *L'on trouverait sans peine dans les Evangiles*, scribit Loisy, *plus d'un passage d'où il résulte que le titre de Fils de Dieu était.... pour le Sauveur lui-même, l'équivalent de Messie* (pag. 42). *En tant que le titre de Fils de Dieu appartient exclusivement au Sauveur, il équivaut à celui de Messie, et il se fonde sur la qualité de Messie.... Jésus se dit Fils unique de Dieu dans la mesure où il s'avoue* Messie (p. 57). *Le titre de Fils de Dieu appartient à Jésus, non à raison de ses dispositions intimes et de ses expériences religieuses, mais à raison de sa fonction providentielle, et comme à l'unique agent du royaume céleste.... Celui-là est le Fils par excellence parce qu'il est l'unique vicaire de Dieu pour le royaume des cieux* (ibid).

stiana; sed facto quod Synopticorum auctoribus, tempore quo scribebant, persuasum erat Christum esse Deum, idque, uti de facto eveniebat, ab omnibus Ecclesiis indubitanter admitti. Quo factum est ut ipsi contenti essent referre quomodo Jesus Nazarenus, qui Dei filius erat, vixerit et mortuus sit ut homines redimeret, et quomodo in fine mundi venturus sit ad redemptionem consummandam.

Nihilominus quando dicimus in Synopticis desiderari aliquando formulas explicitas quibus Dei divinitas adstruatur,[1] redundantiam tantum negamus harum formularum, non vero absolutum defectum affirmamus; siquidem in Synopticis non secus ac in Evangelio Joannis et in Pauli epistolis eas invenimus expressiones, quae, nisi explicentur de verâ naturali propriâque Christi a Deo filiatione, nullum sensum praeseferunt.

His addimus quod nonnullae expressiones quae apud Synoptica evangelia invenimus, intime connectuntur cum Pauli doctrinâ et ab ipsa significationem accipiunt et lucem.[2]

Exploratum tamen est abundantiores numero et magis explicitas expressiones ad Christi divinitatem vindicandam inveniri in Epistolis Paulinis[3] et in Evangelio Joannis, quam in Evangeliis Synopticis.

456) Hisce positis affirmamus Christum se Filium Dei dixisse sensu proprio et absoluto, non autem metaphorico, quatenus est Messias, vel speciali modo a Deo diligitur, vel melius quam ceteri homines Deum cognoscit etc. etc. Quin immo concludimus qualitatem Messiae fundari in

---

[1] Nonnulli ex recentioribus, quos inter est LOISY, acriter contendunt nullimode ex Synopticis deduci Christi divinitatem. Hanc conclusionem absolute rejicimus utpote erroneam.

[2] Cf. MATTH., XXII, 41-46; MARC., XII, 35-37; LUC., XX, 41; *Epist. ad Rom.*, I, 3, 4.

[3] Notandum est quod Pauli attestationes circa Christi divinitatem, quum praecedant tempore ipsa evangelia, maximi ponderis sunt, ad respuendam eorum sententiam qui putant doctrinam de Christi divinitate paulatim evolutam et perfectam esse.

divinitate Christi, quatenus naturalis filiatio Christi a Deo logice et causaliter antecedit missionem suam.

Et sane ille vere et naturaliter dici debet Dei Filius qui cum Patre ab aeterno praeexistit, est Patri aequalis, eandem ac Pater possidet potentiam et scientiam, qui denique diserte ostendit se non esse filium adoptivum. Atqui haec omnia de se affirmavit Christus. Ergo etc.

457) 1°) Christus sibi attribuit *existentiam incarnationi praeviam*, et quidem *existentiam ab aeterno*, quae praecessit creaturarum existentiam, nempe existentiam solius Dei propriam, quando respondet Nicodemo: *Amen, amen dico tibi, quia quod scimus loquimur, et quod vidimus, testamur. Nemo ascendit* (ἀναβέβηκεν) *in coelum, nisi qui descendit* (καταβάς) *de coelo, Filius hominis, qui est* (ὁ ὢν) *in coelo.*[1] Ex quibus verbis deducitur quod Christus scire et videre potuit et potest omnia, quia in coelo fuit, e coelo descendit et in coelo est. Ad rem scribit WILMERS:[2] *Quaeritur quo sensu in coelo fuerit, vel e coelo descenderit, vel in coelo sit. In primis non sensu metaphorico, quasi ejus scientia in coelum sive ad coelestia pertingat. Nam hoc sensu in coelo fuerunt prophetae omnes, qui coelestia sive supernaturalia Deo revelante cognoverunt; hos autem omnes Jesus excludit dicendo, neminem in coelum ascendisse. Neque sola visione beatifica, cujus particeps erat ejus anima, in coelo fuit aut est. Nam hac ratione etiam Angeli in coelo sunt; et praeterea si in coelo esse idem esset ac visione beatifica frui, sequeretur, e coelo descendere idem esse ac visione beatifica privari. Sensus igitur est: Jesus in coelo erat, antequam homo fieret, sicut et postquam homo factus est, in coelo adhuc est. Utrumque autem propterea ei competit, qui Deus est.*

Pariter Jesus dicit se missum esse a Deo, sed ita ut antequam mitteretur, jam fuerit apud Deum;[3] immo affirmat hanc existentiam, quae ipsius in mundo ortum praecessit, non incepisse sed rerum creatarum origine

---

[1] JOANN., III, 11-13.
[2] Op. cit., p. 411.
[3] JOANN., VI, 63; VIII, 42; XVI, 28.

priorem fuisse: *Amen, amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum.*[1] *Cur*, inquit S. CHRYSOSTOMUS,[2] *non dixit: priusquam Abraham fieret, ego* ERAM; *sed: ego* SUM? *Sicut ipsius Pater illa usus est voce* SUM, *sic et ille. Haec quippe vox significat, ipsum perpetuo esse, ab omni liberum tempore. Ideoque ipsis* (Judaeis) *blasphema vox esse videbatur.*

458) 2°) Jesus se dicit Patri *aequalem*, quia habet eandem ac Pater potestatem. Porro aequalitas potestatis supponit aequalitatem naturae quatenus potestas vel e naturâ profluit, vel unum idemque est cum naturâ ipsa. Id deducimus ex verbis JOANNIS [3] superius citatis.[4] Si integrum locum Joannis perlegamus haec notabimus quod a) Jesus, spectata vi verborum, Deum vocat Patrem suum sensu proprio, ut illum, cui aequalis est potestate. Et praecise quia aequalis est, ut Pater sabbato operatur mundum conservando et regendo, ita et ipse sabbato operari potest, miracula patrando; ut Pater, ita et Filius sabbato major est, immo alter sine altero operari non potest.[5] Notat CHRYSOSTOMUS:[6] *Quando discipulos defendere oportebat, Davidem illorum conservum, in medium afferebat* (MATTH., XII, 3); *quando autem pro se ipso loquitur, ad Patrem confugit utrimque se Patri aequalem significans, et cum Patrem nominat sensu proprio* (ἰδιαζόντως) *et quum se eadem, quae Pater, operari ostendit.*

b) Judaei sensu hoc obvio nempe de aequalitate cum Patre sermonem Jesu accipiunt. Unde S. AUGUSTINUS: [7] *Non hinc irascebantur*, ait, *quia Patrem suum dicebat Deum; sed quod longe alio modo quam homines. Ecce intelligunt Judaei, quod non intelligunt Ariani*, et nos addimus quod non intelligunt hodierni Rationalistae et Critici.

---

[1] JOANN., VIII, 56-59.
[2] *In Joann. hom.* 55 (al. 54) n. 2.
[3] JOANN., V, 16-26.
[4] Cf. N. 443.
[5] Cf. vers. 19.
[6] *Hom. 38 in Joann.*, n. 2.
[7] *In Ioann.*, Tract. 17, n. 16.

c) Christus non dicit Judaeos male intellexisse quae docuit, sed rectâ intelligentiâ suppositâ, affirmat duo: scil. se habere cum Patre eandem potestatem, et se potestatem illam accepisse a Patre; praecise quia est Dei filius proprius et naturalis. *Illud*: PATER MEUS OPERATUR ET EGO OPEROR, animadvertit CHRYSOSTOMUS,[1] *idipsum est ac si se Deo aequalem faceret. Nullam enim perhibet in his verbis differentiam. Neque enim dixit: ille operatur, et ego subministro; sed: sicut ille operatur, ita et ego, magnamque ostendit aequalitatem. Quod si id non ille demonstrare voluisset, sed id Judaei frustra suspicati essent, non sivisset illos haec falso existimare, sed emendavisset. Neque hoc Evangelista siluisset, verum palam dixisset, sic Judaeos suspicatos fuisse, sed ipsum non se Deo aequalem fecisse; ut alibi fecit, cum vidit rem alia mente dictam, alio sensu accipi, ut cum Christus dicit: Solvite templum hoc etc. etc.*

Ulterius notamus quod hanc sibi Jesus cum Patre vindicat aequalitatem, quando dicit: *Ego et Pater unum sumus*[2]; quo in loco utique de unitate naturae, non vero de unitate morali loquitur, uti nonnulli contendunt innixi iis JOANNIS verbis:[3] *Omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint.... ut sint unum, sicut et nos unum sumus.* Et de unitate naturae a Judaeis intellecta fuisse patet ex facto quod eum lapidare volebant. Quare notat S. AUGUSTINUS:[4] *Hucusque Judaei tolerare potuerunt; audierunt et non potuerunt.... Ecce Judaei intellexerunt, quod non intelligunt Ariani. Ideo enim irati sunt, quoniam senserunt non posse dici: Ego et Pater unum sumus, nisi ubi aequalitas est Patris et Filii.*

Ad difficultatem vero solvendam quae ex citatis capitis XVII verbis eruitur, animadvertimus quod *unum esse* intelligendum est pro ratione subiecti, scilicet Christus unitatis, quam vult inter Apostolos existere, exemplum

---

[1] Loc. cit., n. 3.
[2] JOANN., X, 30.
[3] XVII, 21-22.
[4] *In Joann., Tract.*, 48, n. 8.

constituit in unitate quae est inter Patrem et Filium. Sicut enim Pater et Filius naturâ sunt unum, ita quoque unum sunt voluntatis consensu; unde etiam discipuli, qui unitate specifica sunt unum quatenus eandem naturam habent humanam, ita moraliter quoque, idest voluntatis consensu et affectu, unum sint oportet. Valet igitur de unitate, idem quod de perfectione: *Perfecti estote, sicut et Pater vester perfectus est.*[1] Nemo certo dicet, hominem eo sensu, quo Deus, perfectum esse posse.

459) 3°) Jesus affirmat se habere eandem scientiam ac Deus Pater, sibique eam cum Patre potentiam habere, ut hominibus possit tum Patris, tum sui ipsius impertiri cognitionem quando dicit sibi *omnia tradita esse a Patre, et neminem nosse Filium nisi Pater, neque Patrem nosse nisi Filius et cui voluerit Filius revelare.*[2] Quod Christus hic loquatur de cognitione ampliore quam ea quae puro homini inesse possit, ita probat S. Chrysostomus:[3] *Quia dixerat*: Omnia mihi tradita sunt a Patre Meo, *subjungit: Ecquid mirum, si omnium sim Dominus, cum aliud majus habeam, quod Patrem cognoscam et ejusdem cum eo substantiae sim. Etenim hoc occultius significat ex eo, quod solus ipsum cognoscat. Cum porro dicit*: Neque Patrem quis novit, nisi Filius, *non indicat illum omnes ignorare; sed neminem* illam *habere, quam ipse haberet notitiam; quod etiam de Filio dicendum.*

Neque dicendum est quod Christus, sibi soli tribuens Patris cognitionem, loquatur de cognitione finita, quia etiam aliis in locis cognitionem suam ex eo repetit quod sit *Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris,*[4] cui proinde competit scientia infinita, quae involvit ipsius naturae divinae participationem.

460) 4°) Esse Filium Dei adoptivum Jesus excludit quando Petri approbat confessionem.[5] Petrus enim duo

[1] Matth., V, 48.
[2] Matth., XI, 27; Cf. Luc., X, 21-22.
[3] *Hom.*, 38 (al. 39) in Matth., n. 2.
[4] Joann., I, 18; Cf. VII, 29.
[5] Matth., XVI, 13, 18.

confitetur, scilicet: a) Jesum esse Christum sive Messiam, b) eundemque esse Filium Dei vivi. Porro Jesum hoc ultimum praecipue exquisiisse patet tum ex ipsa qua utitur appellatione *Filius hominis*, cui opponitur altera *Filius Dei*, et ex eo quod Jesus, quasi vicem reddens Petro, qui eum dixerat, *Filium Dei*, ipsum *filium Jona* appellat. *Quia*, inquit S. Chrysostomus,[1] *Patrem meum praedicasti, ego illum nomino, qui te genuit; ac si diceret: Sicut tu Filius Jona, sic ego Patris mei Filius. Nam supervacaneum fuisset dicere: Tu es Filius Jona.*

Insuper notandum est quod Jesus Petri confessionem laudat ut eximiam et a Deo revelante acceptam. Jamvero haec laus inanis esset si Petrus dixisset Jesum esse Filium Dei adoptione, eo sensu quo justi omnes sunt Filii Dei, vel ob mutuum amorem, vel aliam ob causam extrinsecam. Vera ratio cur Jesus Petrum laudat est ex eo repetenda quod Petrus dixit Jesum filium Dei naturalem. Hanc esse rationem ita probat citatus S. Chrysostomus:[2] *Atqui*, ait, *nisi Petrus sic ipsum vere confessus fuisset, ut ab ipso Patre genitum, non fuisset hoc revelationis opus. Si unum ex multis illum esse putasset, non erat illud beatitudine dignum. Etenim jam ante dicebant ii qui in navigio erant, post tempestatem: Vere Filius Dei est hic* (Matth., XIV, 23), *nec tamen beati dicti sunt, etsi vere dixerint. Non enim sic Filium, ut Petrus, confessi sunt, sed unum ex multis vere Filium esse putabant, eximium quidem inter multos, nec tamen ex ipsa Patris substantia. Nathanael quoque dicebat: Rabbi, tu es Filius Dei, tu es rex Israël* (Joann., I, 49). *Neque solum non beatus dicitur, verum etiam quasi multo inferiora quam oportebat dixisset, ab illo redarguitur. Cur igitur Petrus beatus dicitur? Quia illum proprie Filium confessus est....*

Instat postea S. Chrysostomus[3] animadvertens quod Jesus non solum laudat Petri confessionem, sed eam du-

---

[1] In *Matth.*, 55, n. 2.

[2] Ibid.

[3] Ibid., n. 2.

plici firmat promissione quam facere non posset nisi esset verus Filius Dei: *Quia ille dixit Filium Dei,* inquit, *ut ostenderet, se esse Filium Dei, ut ille erat Filius Jona,* EJUSDEM CUM PATRE SUBSTANTIAE, *propterea illud addidit: Et ego dico tibi* etc. etc. *Quemadmodum Pater tibi dedit, ut me cognosceres, sic et ego tibi dabo. Neque dixit: Rogabo Patrem, sed: Ego dabo tibi.. . Vide quomodo ad sublimiorem de se opinionem Petrum erigat, et seipsum revelet, ac per hasce duas promissiones se Filium Dei esse demonstret! Nam quae uni Deo sunt propria nempe peccata solvere, Ecclesiam in tanto fluctuum concursu immotam reddere hominemque piscatorem toto impugnante orbe petram firmiorem reddere, haec se illi daturum pollicetur.*

461) Hisce omnibus argumentis quibus conati sumus ostendere Jesum eatenus se dixisse Messiam, quatenus est Filius Dei naturalis, addere possumus quae ipse Jesus sibi tribuit ex psalmo CIX deprompta: haec enim, ipsis Pharisaeis fatentibus, Messiae tribuenda sunt. Porro illo in psalmo, Messiae praeter ortum humanum alius etiam ortus tribuitur, vi cujus eadem cum Deo Patre gaudet *dignitate et potestate.*

Congregatis Pharisaeis, interrogavit eos Jesus dicens: Quid vobis videtur de Christo? Cujus filius est? Dicunt ei: David. Ait illis: Quomodo ergo David in spiritu vocat Dominum, dicens: Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum? Si ergo David vocat eum Dominum, quomodo filius ejus est? Et nemo poterat ei respondere verbum.[1]

Ut contextus docet, utar verbis WILMERS,[2] *Christus Pharisaeos eo adigere cupit, ut per Scripturas edocti fateantur Messiam, sicuti spectatâ naturâ humanâ est filius Davidis, ita spectatâ naturâ divinâ esse Dei Filium, quem Jesus se esse profitebatur. Pharisaei enim in Messia regiam dignitatem potius attendebant quam divinam naturam, licet etiam haec in V. Testamento eidem tribueretur. Unde* S. AUGUSTINUS:

---

[1] MATTH., XXII, 41-46; Cf. MARC., XII, 35-37; LUC., XX, 14.
[2] Op. cit., p. 419, n. 403.

Responderunt, inquit, secundum opinationem suam: David. Sic enim legerant, et hoc solum tenebant; quia divinitatem ejus legebant, sed non intelligebant.[1]

462) Keim[2] et Wondt,[3] putant Christum hisce verbis voluisse tantum affirmare dignitatem Messianicam esse potiorem dignitate regia Davidis; sed immerito, quia rationem cur Jesus potiorem prae David obtinet dignitatem desumi ex Societate potestatis divinae integer psalmus ostendit. *Sedere ad dexteram Patris*, animadvertit S. Thomas[4], *nihil aliud est, quam simul cum Patre habere gloriam divinitatis et beatitudinem et judiciariam potestatem, et hoc immutabiliter et regaliter. Hoc autem convenit Filio secundum quod est Deus. Unde manifestum est, quod Christus, secundum quod Deus, sedet ad dexteram Patris; ita tamen quod haec propositio* ad, *quae transitiva est, solam distinctionem personalem importet, et originis ordinem, non autem gradum naturae vel dignitatis, qui nullus est in divinis personis.*

463) Strauss[5] putat Jesum hisce verbis negare voluisse Messiae a Davide originem. At haec interpretatio cadit si prae oculis habeantur verba S. Marci[6], qui ait: *Quomodo dicunt Scribae, Christum Filium esse David?* Jesus non movet dubium circa Messiae davidicam filiationem, sed tantum affirmat David non posse esse patrem unicum illius qui tantam obtineat dignitatem ut sedeat a dextris Dei.[7] Messias igitur, juxta Christi verba, est Filius David quia est homo; est autem etiam Filius Dei, ex Deo natus, quia est Deus.

Hujus testimonii vim ipse Holtzmann[8] recognoscens putavit synopticorum evangeliorum redactionem a verbis

---

[1] *In Joann., Tract.* 48, n. 3.

[2] *Geschichte Jesu von Nazarah*, III, 159.

[3] *Die Lehre Jesu*, p. 437.

[4] *Summa Theol*, III, q. LVIII, art. 2.

[5] Op. cit.

[6] XVI, 35-37.

[7] Cf. Rose, op. cit., p. 210 in nota, ubi haec scribit: *Le sens complet de l'interrogation du Sauveur est celui-ci: comment David peut-il être le père de celui qu'il voit à la droite de Dieu? Et cependant il en est le père.*

[8] *Handcommentar*, p. 248.

Pauli depromptam fuisse, quia Paulus in epistola ad Romanos[1] duplicem Christi ortum describit, affirmans quod Christus secundum carnem est Filius David, sicut secundum spiritum est Filius Dei: *De filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem; qui praedestinatus est Filius Dei in virtute secundum spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum, Jesu Christi Domini nostri.*

Ceterum etsi detur verum esse quod Holtzmann asserit, remanet indubium quod Jesus Christus se aliquando Filium Dei professus est et Messiam, eo tamen sensu ut sit filius Dei naturalis, non vero adoptivus, et ut haec filiatio naturalis a Deo, sit fundamentum suae legationis messianicae; aliis verbis *eatenus Christus se Messiam professus est, quatenus est Filius Dei.*

464) Jesus non solum se Filium Dei professus est, sed etiam et quidem magis explicite, se *Filium hominis* saepius appellavit. Rose[2] quaestionem hanc pertractans ad tres classes reducit Jesu effata quibus se *Filium hominis* dicit; et nos ultro hanc sequimur distinctionem.

a) Ad primam classem ea omnia referenda sunt effata quae Jesu humanam vitam et apostolatum respiciunt;[3] b) ad alteram illa effata quae Redemptoris dolores et passionem praeannuntiant[4]; c) ad tertiam illa effata quae Salvatoris *parousiam* et novissimum praedicunt triumphum.[5]

465) Hisce effatis Jesus non tantum hoc intendebat ut naturam humanam, quam divinae naturae hypostatice unitam habebat et suae conversationis cum hominibus humilitatem designaret, sed praecipue eo tendebat ut salvationis consilium et specialem, quae ipsi commissa erat, missionem denotaret. Hinc est quod Jesus inde ab initio sui apostolatus hunc sibi attribuit titulum, et quotiescumque

---

[1] I, 4. Περὶ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ, (τοῦ γενομένου ἐκ σπέρματος Δαβὶδ κατὰ σάρκα, τοῦ ὁρισθέντος υἱοῦ θεοῦ ἐν δυνάμει κατὰ πνεῦμα ἁγιωσύνης, ἐξ ἀναστάσεως νεκρῶν), Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ Κυρίου ἡμῶν.

[2] Op. cit., p. 158-182.

[3] Cf. Matth. VIII, 20; Marc.; II, 10, 28; Luc., XIX, 20.

[4] Cf. Marc., VIII, 31; IX, 31; XIV, 21.

[5] Cf. Matth., XXIV, 30; XXV, 31.

aliquem potestatis specialis actum exercet ; quo fit ut excludat ab hoc titulo debilitatis significationem quam induit vox aramaica *barnasha*, et unice illum adhibeat juxta Danielis prophetiam, ad indicandum nempe eum qui missionem habet regnum Dei inter homines statuendi eique praesidendi.[1]

Quare in conscientia Jesu titulus *Filii hominis* idem valet ac titulus Messiae. Hanc autem esse Jesus conscientiam arguimus ex eo quod saepissime Jesus ad Danielis visionem se refert[2], eique novam, diversam, a materiali Judaeorum propriâ, praebet interpretationem, ostendens adventum Filii hominis in nubibus coeli non esse unicum actum Messiae, multoque minus actum a quo initium capiet regnum coelorum.

Porro ipse revelat Filium hominis tria vitae stadia subiturum, scilicet apparebit humilis et sine clamore et ortus splendore; doloribus et morti obnoxius erit; denique cum gloria veniet ad consummandum redemptionis opus, *quia oportet Filium hominis multa pati et reprobari a senioribus, et principibus Sacerdotum et Scribis, et occidi, et tertia die resurgere.*[3]

Igitur Jesus se Filium hominis appellans, se verum Dei legatum et Messiam existimavit et uti talem se professus est, quamvis qui eum audiebant non intelligerent ejus mentem; ipsi enim erronee vaticinium Danielis interpretati, eas extraordinarias in Messia qualitates et dotes exquirebant, quae nullimode in Jesu persona apparebant.

466) Quaeri tamen potest: Cur igitur Jesus usus est titulo qui in ejus intentione et scopo messianicus erat, ejusque proprio, qui nihilominus non comprehendebatur ab auditoribus?

Quaestio haec, diutius agitata et nostris hisce diebus renovata per WREDE[4], haud difficulter solvitur si considére-

[1] Cf. ROSE, op. cit., p. 170-171.

[2] MATTH., XXIV, 30; XXIX, 64; LUC., XXII, 67-70.

[3] LUC. IX, 22. Cf. MATTH., XVII, 21; MARC., VIII, 31; IX, 30.

[4] *Das Messiasgeheimnis in den Evangelien.*

tur quod Jesus nunquam aperte se Messiam dixit, quia vox Messias, ob nationalem Judaeorum spem exaggeratam corruptamque, sensum politicum induebat, a quo Jesus abhorrebat, cupiens populum Judaicum ad veram spem messianicam reducere.

Hinc est quod se Filium hominis dixit, tum ut ex una parte velaret suam dignitatem, tum etiam ut nihilominus non excluderet a se hanc dignitatem, quod praecipue fecit in Synedrio coram judicibus, ostendens sese eum hominis Filium quem Daniel vaticinatus est, nempe principem regni Messianici.[1]

Hac ipsa de causâ saepe saepius Jesus vel discipulis, vel iis qui ejus miraculorum testes fuerunt, quique de ejus speciali legatione aliquid suspicati erant, jussionem fecit ne id cuiquam dicerent, quia uti affirmat KNABENBAUER,[2] *vitabat et declinabat majorem populi commotionem, ne ullo pacto falsam eorum expectationem messianam foveret.*

Ratio hujus silentii etiam in eo reponi potest ne, uti MALDONATUS opinatur, populus Judaicus post tot gloriae, et potentiae manifestationes, scandalum pateretur videns Messiae humiliationem et mortem.

Vel denique Jesus id egit prudentiâ motus ne fama prodigiorum, quae ipse patrabat, magis in seipsum invidiam et odium Pharisaeorum et Seniorum populi concitaret. Quod haec agendi ratio ab hac prudentiae norma moderaretur patet ex facto, quod nunquam Jesus tam aperte de sua legatione messiana locutus sit, sicuti locutus est coram Synedrio.

467) Adducta argumenta satis superque suadent quod nonnisi immerito LIETZMANN[3] putat titulum *filius hominis*, qui nunquam (id ipse affirmat) apud Apostolorum et Patrum Apostolicorum scripta invenitur, fuisse ipsis ignotum,

---

[1] Cf. ROSE, op. cit., loc. cit.; W. SANDAY, *The injunctions of silence in the Gospels*, in *The Journal of Theological Studies*, April 1904; LEPIN, op. cit., pp. 80, 90, 236.

[2] *Comm. in Matt.*, vol. II, p. 40.

[3] *Der Menschensohn*, 1896.

et solum serius ab ecclesia hellenica loco pronominis *ego* introductum ad Danielis prophetiam roborandam.

Haec hypothesis nequit sustineri si consideretur quod tam Apostoli, quam Patres probe scientes, quod Jesus per hunc titulum naturae humanae assumptionem et humilitatem ostendere cupiebat, rati sunt non posse hunc titulum amplius conciliari cum gloria resurrectionis, ac proinde eo usi non sunt.

Insuper notandum est hujusmodi titulum in versione graeca literali idem sonare ac si dicatur: *homo ex homine natus*, scilicet *homo, cui homo pater est*, et consequenter plurimis aequivocationibus locum praebere. Quare hujusmodi titulus cum ipso Jesu apparuit, et ipso in coelum redeunte in desuetudinem abiit.

468) Quaestio tamen de sensu quem Jesus tribuit huic titulo etiam nunc haud pacifica est inter criticae peritos. De hoc titulo quamplurimum disseruerunt CARPENTER, HILGENFELD, HOLSTEN, KEIM, MEYER, SANDAY, SCHMIEDAL, WELLHAUSEN. Hisce omnibus accensendus est DRUMMOND[1] qui omnibus in rem perpensis sententiis concludit Jesum hoc titulo usum esse sensu vario et lato juxta diversa temporum adjuncta, ut designaret vel Dei legatos, vel populum electum, vel seipsum veluti populi electi ducem in quo vaticinia implementum habebant. Dubitat tamen DRUMMOND utrum Jesus tanquam Messias se coaequarit cum eo qui venturus erat ut Filius hominis victor, an potius interpretatus sit prophetae vaticinium veluti poeticam descriptionem victoriae spiritualis supra mundum per humanitatem a Deo delegatam et per Filii hominis personam perficiendam.

Verum quidquid sentiendum sit de hac hypothesi, quae profecto satis cavillosa et arbitraria videtur, certum tamen est hanc quaestionem valde implexam esse et quamplurimis scatere difficultatibus.[2]

---

[1] Cf. *Ephem., Journal of Theological Studies.* (April. et Jul. 1901).

[2] Cf. *Eph.* « *Studi Religiosi* », ann. 1902, p. 85.

469) *De ambitu tituli messianici qui Christo competit.* Postquam locuti sumus de sensu obiectivo et subiectivo effatuum *Filius Dei*, et *Filius hominis*, quaerimus de ambitu tituli messianici, scilicet utrum titulus Messiae competat Jesu sensu proprio et absoluto.

Weis[1] et Wrede[2] putant hunc titulum Christo Jesu solum post resurrectionem competere, Loisy[3] affirmat titulum Messiae essentialiter designare principem novi regni messianici, quod solum in novissimis diebus constituendum erit proinde hunc titulum *eschatologicum* esse et Christo competiturum sensu proprio et absoluto solum post adventum regni futuri. Ad hanc opinionem confirmandam Loisy confugit ad traditionem Ecclesiae primitivae, quae, putat ipse, expectabat novissimum adventum, non autem reditum Jesu, qui solum post resurrectionem suam factus est *Christus* et *Dominus*.

Ad id probandum innititur, non secus ac Wrede, Actorum verbis[4] ubi dicitur: *Sciat ergo omnis domus Israel, quia et Dominum eum, et Christum fecit Deus, hunc Jesum, quem vos crucifixistis.*

470) Hae recentissimae opiniones, quae non secus ac opiniones, quae omni tempore vulgatae sunt, eo tendunt ut minuant et infirment Jesu messianicam missionem.

Nos e contra dicimus titulum Messiae competere Jesu sensu proprio et absoluto inde ab initio sui ortus. Et sane, quamvis in fine saeculorum certe titulus Messiae applicandus Christo erit ratione omnino speciali, eâdem nempe ratione qua Ecclesia regnum coelorum dicenda erit, propter perfectiorem eumque universalem et aeternum Jesu principatum; nihilominus non est expectanda saeculorum consummatio ut Christo possit jure et sensu proprio absolutoque Messiae tribui titulus; quia Christus princeps est regni coelorum quod jam nunc existit, quodque solum glo-

---

[1] *Die Predigt Jesu vom Reiche Gottes.*
[2] *Das Messiasgeheimnis in den Evangelien.*
[3] *L'Évangile et l'Église*, p. 53 et sq.
[4] *Act.*, II, 36.

riosum et omnino perfectum fiet in novissimis diebus. Ut posset sustineri Loisy et aliorum criticorum opinio probandum esset 1°) titulum Messiae essentialiter adeo connecti cum suprema et perfecta regni messianici realizatione, ut nunc nequeat Christo convenire uti principi regno coelorum incohative existentis. 2°) Praeparationem regni finalis quod Jesus statuit non esse et ipsam functionem messianicam, nullimode proinde posse Christo Messiae titulum competere.

Neutram sustineri posse conclusionem deducimus ex distinctione ponenda inter duplicem *phasim* quam regnum coelorum habebit, nempe inter *phasim terrestrem* (quae est praesentis temporis Ecclesia) et *phasim caelestem* regni Dei.

Hac admissa distinctione, quam jam superius vindicavimus,[1] ex ipsis Christi effatis[2] et ex traditione Ecclesiae primitivae[3] constat Jesu competere titulum Messiae sensu absoluto, quia regnum messianicum incoepit inde a Jesu ipsius apparitione in terris. Quod factum cum evidentissime constet, nobis concludere licet regnum messianicum incoepisse ante supremam ejus perfectionem, vel saltem non haberi essentialem connexionem inter realitatem qualitatis messianicae et inaugurationem proprie dictam regni messianici.

471) Quod autem sacrae litterae loquantur de futuri filii hominis adventu, non autem de reditu ejus, nil officit nostrae conclusioni, quia Ecclesia, quae floruit tempore apostolico, loquens de secundo Christi adventu, sollicita quidem est ut personam Christi in se ipsâ consideret, sed praecipue eo tendit ut signanter notet peculiarem reditus ejus caracterem, qui erit judex supremus et caput gloriosum regni coelestis.[4]

---

[1] Vide p. 230 not. sub n. 3 et p. 241 not. 1.

[2] Cf. Matth., I, 24; II, 14; VIII, 20; XI, 3; XVI, 13-16; XXVI, 63; XXVII, 11; Luc., III, 11-16; IV, 34, 41; VII, 19-21; IX, 18-20; XXII, 67-70; XXIII, 3; Marc., I, 24; V, 7 etc. etc.

[3] *Act.*, I, 11; II, 20; V, 31; X, 36, 42; XI, 20; I *Cor.*, I, 8; IV, 5; XI, 26 etc. etc. Cf. Lepin, op. cit., p. 225 sq.

[4] *Act.*, II, 20; I *Thess.*, I, 10; V, 2; II Petr., III, 10; *Apoc.*, II, 18. Cf. Matth., III, 7; Luc., III, 7; Lepin, op. cit., p. 229.

Exinde non sequitur Christum ante id temporis non posse dici Messiam sensu proprio, quia in diebus illis ipse apparebit veluti Messias gloriosus, ad regnum caelorum definitive statuendum, sicut prius apparuit uti Messias doloribus subiectus ad regnum coelorum constituendum.

472) Neque nostra conclusio infirmatur per verba quae in Actis[1] leguntur, quia 1°) hisce verbis opponi possunt quae in eodem libro Actorum (cap. X, ver. 38) leguntur; 2°) quia si integer contextus legatur, apparebit hanc fuisse Petri mentem ut ostenderet praecise Jesum Nazarenum esse Messiam et Christum Dominum a Prophetis praedictum, et suae missionis loculentissimum testimonium deduci ex gloriosa ejus a mortuis resurrectione; 3°) denique ad summum si quid probet in adversariorum hypothesi hic textus, hoc unum probat Christum fuisse agnitum veluti Messiam post resurrectionem, non vero resurrectionem eum messiam constituisse. Igitur titulus Messiae Christo conpenit sensu proprio ed absoluto.

473) Altera quaestio quae moveri potest est de tempore quo Christus uti Messias habitus est.

Certe discipuli et fideles habuerunt Christum uti Messiam saltem post resurrectionem suam, quamvis inde a vocatione discipulorum ad Apostolatum et ad Jesu sequelam, de qualitate ejus messianica certiores quodammodo facti essent.

Hanc quaestionem excipit quaestio de tempore quo Christus se Messiam credidit. Wendt[2] et Harnack[3] putant Jesum inde a puero didicisse a Sacra Scriptura Deum esse patrem omnium, et hinc seipsum ejus filium cognovisse et hanc notitiam confirmatam habuisse per revelationem in baptismo acceptam.

Strauss[4] existimat Jesum, qui, utpote homo piissimus,

---

[1] II, 36.

[2] *Die Lehre Jesu*, vol. II.

[3] Op. cit.

[4] *Leben Jesu*, § 62. Cf. etiam Pfleiderer, op. cit., p. 191 sq.

intimae familiaritatis cum Deo sibi erat conscius, eo demum pervenisse, ut familiaritatem et cum Deo conversationem praesentem imaginando commutaverit in praeteritam, atque ita revera crediderit se quondam cum Deo in caelo fuisse et ab ipso Patre ad mundum redimendum missum fuisse.

Ex neo-criticis Loisy[1] renovans güntherianam de relativa Christi ignorantiâ opinionem, putat Christum ignorasse suam *destinationem* et suae missionis *scopum* et *exitum*. Nullum enim, ipse ait, adest documentum quo historice probetur Christi scientia.

474) Quod autem Christus Jesus inde ab initio sui ortus cognoverit suam destinationem, ac proinde testimonium quod tribuit de sua divina missione sit fide dignum, patet ex eo quod Christus non fuit deceptus, neque deceptor.

Certe Christum non fuisse mente captum ostendit excellentissima ejus doctrina religiosa et moralis, ita ut, fatentibus adversariis ipsis, sit inter sapientissimos adnumerandus.

Neque dici potest Christum *enthusiasmo* impellente se divinum legatum professum esse, quia haec affirmatio contradicit iis verbis quibus rationalistae ipsi extollunt magnum Christi ingenium, ardentem ejus zelum ad genus humanum sublevandum; eumque praebent veluti hominem plane admirabilem et prae omnibus insignem.

Insuper, animadvertimus cum Tanquerey,[1] quod Christus non semel se divinum legatum declaravit, sed frequenter et distincte, et quidem id proposuit tanquam fundamentum suae religionis. Porro enthusiasmus qui non semel, sed frequenter ita mentem turbaret ut falsum pro vero existimaretur, dementiae limites attingeret.

Aliunde Christus mira animi tranquillitate, etiam quando ab inimicis incitatus fuit, omnia peregit, ita ut nihil in eo unquam reprehendi potuerit; quod certe enthusiasmum excludit. Ergo Christus non fuit deceptus.[2]

---

[1] Op. cit., p. 179.

[2] Channing, *Character of Christ*, p. 305-306.

475) Neque deceptor fuit; quia se praebuit omnium virtutum perfectissimum exemplar, fuitque, ipsis ejus adversariis fatentibus, sanctissimus homo, ita ut nemo potuerit unquam arguere eum de peccato. In ipso enim maxime elucet *pietas et religio erga Deum* ad cujus gloriam unice intendebat.[1] Pariter omnes homines diligebat caritate universali, operativa, efficaci, invicta.[2]

Perfectam vero sui ipsius *abnegationem* coluit, voluptates, divitias, honoresque contemnendo, sincerum et humilem in omnibus se exhibendo.[3]

Quae cum ita sint quisnam majore fide dignus est?

An Jesus Christus, qui dicit se legatum divinum, an ejus calumniatores, qui, licet pulcherrimis verbis utantur, eum declarant deceptorem fuisse?

Cum igitur negari non possit vita Christi, quae tota est maximum ordinis moralis miraculum, quaeque per se solam sufficit ad conciliandam fidem professioni, quam ipse de se fecit, concludimus Christum vere esse Dei legatum, maximamque proinde ejus testimonio fidem adhibendam esse.

476) Argumenta vero ab adversariis adducta nullum habent solidum fundamentum cui innitantur, siquidem contradicunt et Evangelicae historiae, et testimonio eorum qui tempore Christi vixerunt, vel qui proxime post ipsum floruerunt, quibus omnino persuasum erat Christum vere esse Dei legatum et Messiam.

Relate vero ad opinionem a Loisy prolatam animadvertimus falsum esse quod doctrina, quae a Christo excludit ignorantiam, neque historicis documentis neque Patrum traditioni innitatur.

Et sane. Loisy et cum eo *Neo-Critici* tribus Evangeliis Synopticis aliqualem tantum et relativum valorem histo-

---

[1] Joann., VIII, 46.

[2] Cf. Luc., II, 49; XIII, 34; Matth., XVII, 24-27; XXIII, 37; Joann., VIII, 29, 49-50; XVII, 4; *Ad Philipp.*, II, 8.

[3] Matth., XI, 28; XIX, 14; XXIII, 37; XXVI, 50; Luc., V, 32; VII, 37-49; IX, 55; XV, 4; XXIII, 34; XXIV, 25; Joann., VI, 67; XIII, 1; XV, 13 etc. etc.

ricum circa Christi vitam tribuunt, et historicitatem atque originem apostolicam quarti Evangelii denegant, illud habentes tanquam opus interpretationis theologicae et mysticae Evangelii.[1]

Verum quantum haec conclusio contradicat fidei Catholicae et universali Ecclesiae traditioni nemo est qui non videat.

Quin pervadamus quaestionem de valore historico quarti Evangelii, contenti sumus affirmare quod etiam in Evangeliis Synopticis de Christi hominis scientiâ talia enarrantur, quae omnino contraria sunt Loisy sententiae, qua Christi non modo omniscientiam relativam, sed et conscientiam sui et suae destinationis cognitionem denegat.

Profecto ex Synopticis scimus Christum suae scientiae miranda documenta exhibuisse: *Et veniens in patriam suam, docebat eos in synagogis eorum, ita ut mirarentur et dicerent: Unde huic sapientia haec, et virtutes? Nonne hic est fabri filius?.... Unde ergo huic omnia ista? Et scandalizabantur in eo.*[2]

Christo pariter cognitae erant intimae hominum cogitationes,[3] quin etiam praenunciavit se esse in manus hostium tradendum,[4] multaque alia quae ventura erant praedixit, ut ecce subversionem templi, destructionem Jerusalem, dispersionem populi Judaici, persecutiones discipulorum etc. etc.

477) Evangeliorum testimonia excipit Patrum traditio qui post exortum Agnoitarum de scientia Christi errorem scripserunt, quique quamlibet ignorantiam a Christo excludunt.

Quod si nonnulli Patres verum progressum in humana Christi scientia admittunt, nemo tamen illorum in dubium unquam vertere ausus est Christum conscientiam sui non habuisse, et sui destinationem non cognovisse.

---

[1] Cf. Loisy, *Autour d'un petit livre*, p. 85-86.

[2] Matth., XIII, 54-57; cf. Marc., VI, 2-3; Luc. II, 47.

[3] Marc., II, 6-8; Matth., IX, 4; Luc., VIII, 45-48.

[4] Marc., IX, 8-9-30; Matth., XVI, 12-21; Luc., IX, 22.

ARTICULUS III.

DE MIRACULIS CHRISTI. [1]

478) Divina Christi missio, quam ipse a Patre accepisse diserte affirmavit, probatur non solum ex Christi ipsius effatis superius relatis, sed praecipue ex ejus miraculis.

Miracula enim, in quorum genere sunt etiam vaticinia, cum *signa* sint, eam invicte demonstrant rem, in cujus confirmationem edita sunt.

Porro cum nobis agendum sit de veritate religionis christianae et de ejus auctore, patet maximi ponderis esse hanc quaestionem, quia ex una parte miracula sunt divinitatis signa, ut erui potest ex ipsa notione miraculi superius tradita (n. 146 sq.), et ex altera parte plures sunt religiones quae originem jactant divinam.

479) Nihilominus non omnes intendimus ad trutinam vocare religiones earumque, quae jactant, miracula; quia ad ferendum de omnibus judicium satis est inquirere in miracula religionis christianae et quidem ea tantum, quae a Novo Testamento referuntur. Et merito; nam si vera

---

[1] S. Thom., *S. Th.*, III, q. XLIII, XLIV; Suarez, *In tert. part. S. Th., disp.* XXXI; Perrone, n. 243 sq.; De La Luzerne, *Dissert. sur la Religion, diss.* II, p. 2ª; Frayssinous, *Défense du Christianisme, Les miracles évangéliques*; Lacordaire, *38ª Conf.*; Monsabré, *Introd. Conf.* 28-29; Brugère, n. 75 sq.; Mazzella, n. 274 sq.; Crosta, n. 143 sq.; Lambrecht, p. 384 sq.; David, n. 175 sq.; Hurter, n. 56 sq.; Tanquerey, n. 173 sq.; Pesch, n. 180 sq.; Wilmers, op. cit., p. 354 sq.; Newman, *Essays on miracles*, p. 70 sq.; Schanz, *A Christian Apology*, vol. II, c. 18, p. 560 sq.; G. Campbell, *A dissertation on miracle*, p. II; A. Row, *Evidence of Christianity, lect.* II; M. Ilvaine, *The Evidences of Christianity, lect.* V-VI; Picard, *Chrétien ou Agnostique*, p. 2, c. I; G. B. Bruce, *The miraculous element in the Gospels*, p. 79 sq.; Becker, *Die Weissagungen als Kriterien d. Offenb.*, p. 9 sq.; De Bonniot, *Les miracles et ses contrefaçons*; Courbet, *Jésus-Christ est Dieu*, p. 40 sq.; Vallet, *Les Miracles de l'Évangile*; etc. etc.

sint, cum Deum habeant auctorem, statim probant religionis christianae divinitatem et veritatem. Cum autem vera religio una esse debeat, ultro fluet conclusio nempe quod religio christiana unice jactare potest et de facto jactat miracula.

480) Miracula a Christo patrata in suae legationis confirmationem ad tres classes reducimus; ad ea quae respiciunt ordinem *physicum*, ad ea quae respiciunt ordinem *intellectualem* nempe vaticinia, et ea quae sunt *mixta* quae utrumque respiciunt ordinem.

Ad hanc ultimam classem pertinet praecipuum miraculum a Christo patratum, scilicet gloriosa ipsius resurrectio, ante eventum certe praedicta, quaeque est maximum argumentum ad probandam Christi divinam legationem et originem.

Haec omnia tribus distinctis paragraphis pertractabimus.

§ I — MIRACULA IN ORDINE PHYSICO.

481) PROPOSITIO XIV. — *Christus Jesus ad probandam legationem suam divinam ad signa provocavit quae ipse patravit, quaeque vera miracula erant.*

482) STATUS QUAESTIONIS. — Deus ad probandam divinam filii sui missionem plurima in ejus gratiam miracula patravit. Ad haec miracula pertinent facta quae acciderunt tempore nativitatis Christi,[1] ut ecce Angelorum apparitio pastoribus, stellae magis apparitio.

Pariter huc pertinent apparitiones factae post baptismum Christi ab omnibus Evangelistis enarratae,[2] et ea quae acciderunt tum in transfiguratione,[3] tum in morte Christi;[4] quae omnia a B. Petro recoluntur cum scribit:[5] *Non enim doctas fabulas secuti notam fecimus vobis Domini nostri Jesu Christi virtutem et praesentiam, sed speculatores*

---

[1] MATTH., I, II, 2; III, 17; LUC., I, 11.
[2] MATTH., III, 16 sq.; MARC., I, 10; LUC., III, 21, 22; JOAN., I, 32.
[3] MATTH., XVII, 1 sq., MARC., IX, 1 sq.; LUC., IX, 28 sq.
[4] MATTH., XXVII, 51-54; LUC., XXIII, 44-47.
[5] *2 Petr.*, I, 16 sq.

facti illius magnitudinis. Accipiens enim a Deo Patre honorem et gloriam, voce delapsa ad eum hujuscemodi a magnifica gloria: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite. Et hanc vocem nos audivimus de coelo allatam, cum essemus cum ipso in monte sancto.

Praeter haec miracula quae certe nequeunt explicari per brutas naturae vires, neque per daemonum virtutem, quaeque unice Deo referenda sunt, Christus ipse plurima signa fecit ad divinitatem suae missionis confirmandam.

Haec autem signa in omnibus creaturarum generibus patrata sunt ut ostenderetur omnem creaturam Christo subiectam esse. Hinc est quod Christus potentiam suam ostendit circa *spirituales substantias* daemones expellendo;[1] circa *corpora coelestia*;[2] circa *homines*, eos ad vitam revocando,[3] vel a morbis cujusque generis curando;[4] circa *creaturas irrationales* quando Canae in Galilaea aquam in vinum mutavit, tempestatem subito sedavit solo vocis imperio, super aquas ambulavit, Petrum super aquas ambulantem ne mergeretur erexit, paucos panes et pisces ita multiplicavit ut ex ipsis ingens hominum multitudo nutriretur.[5]

483) Haec sunt praecipua miracula quae Christus patravit, quaeque *collective* recensuimus.

Modo quaerimus in quem finem haec signa patrata sunt, et qualis sit ipsorum valor.

Ad primam quaestionem respondentes ostendemus haec signa patrata esse ad probandam Christi legationem messianicam, quin inquiramus utrum potestas, qua ipse pollebat, miracula faciendi fuerit principalis nempe ex vir-

---

[1] MATTH., VIII, 16-28-35; IX, 32, 33; XII, 22-45; XV, 21-28; XVII, 14-20; MARC., I, 23-27; LUC., VI, 17-18; XIII, 11-13; XXII, 43.

[2] MATTH., II, 2; LUC., XXIII, 44.

[3] MATTH., IX, 18-26; LUC., VII, 11-17; JOANN., 1-45.

[4] MATTH., IV, 23; VIII, 1-16; IX, 1-7, 20-22, 27-31; XX, 29-34; MARC., VII, 32-37; VIII, 22-26; LUC., XIV, 2-6; XVII, 12-19; VI, 17-18; JOANN., V, 1-15, IX, 1 sq.

[5] MATTH., VIII, 23-27; XIV, 15 sq., 26-31; XV, 32; JOANN., II, 1 sq.; VI, 19-21.

tute ipsi Christo inhaerente, vel fuerit moralis tantum et instrumentalis. Pro nostro enim scopo sufficit ostendere Christum miracula patrasse.

In altera vero parte quaestionis quaerimus de valore miraculorum Christi, nempe utrum 1°) *historice certa sint*; 2°) utrum vere *supernaturalia et divina sint.*

484) Hic supponimus in tuto positam tum Evangeliorum historicam auctoritatem, tum possibilitatem miraculorum superius vindicatam.

Quare tota quaestio eo reducitur ut ostendatur non solum miracula evenisse, sed praecipue ea non esse naturae viribus, vel magicis Christi artibus, sed virtuti supernaturali tribuenda.

485) Veritatem miraculorum negarunt Rationalistae et ex his praesertim STRAUSS [1] et RENAN [2] qui evangelica prodigia tanquam *mythos* et *legendas traducunt.* His novissime HARNACK est accensendus.[3]

Alii vero, fidem miraculorum magis subdole evertere cupientes, narrationes quidem uti historice veras suscipiunt, ipsa tamen facta tanquam eventus naturales explicare conantur. Ex his principem locum tenet PAULUS *Professor Heidelbergensis* in suo *Manuali exegetico super tria priora Evangelia.*

486) Errores hi omnes a Pontefice Pio IX in Syllabo (prop. 7) damnati sunt. Pariter Concilium Vaticanum definivit: [4] *Si quis dixerit miracula nulla fieri posse, proindeque omnes de iis narrationes, etiam in Sacra Scriptura contentas, inter fabulas vel mythos ablegandas esse; aut miracula certo cognosci nunquam posse, nec iis divinam religionis christianae originem rite probari posse, A. S.*

487) PROBATUR PRIMA PARS. *Christus Jesus ad probandam legationem suam divinam ad signa provocavit quae ipse patravit.*

---

[1] *Leben Jesu.*

[2] *Vie de Jésus, Les Apôtres.*

[3] Cf. HARNACK, *Ess. du Christianisme.*

[4] *Conc. Vat*, Sess. 3, Can. 4, c. 3.

Haec conclusio ex multis Evangelii locis eruitur.

Christus enim ut ostenderet se fuisse a Deo missum tam discipulos quam plebem docebat ut signa inspicerent quae patrabat. Ita apud Matthaeum [1] haec legimus Christum respondisse iis qui ab ipso quaerebant utrum Messias esset an non: *Euntes renuntiate Joanni, quae audistis et vidistis. Caeci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt.* Quibus verbis Jesus affirmat se esse Messiam a prophetis praedictum et miracula a se patrata certissimam esse divinae legationis suae notam.

Pariter coram Judaeis Christus ad miracula sua provocat ut in se, tanquam Messiam, fidem conciliet: [2] *Opera*, inquit, *quae dedit mihi Pater, ut perficiam ea, ipsa opera, quae ego facio testimonium perhibent de me, quia Pater misit me.... Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio, etsi mihi non vultis credere, operibus credite....*[3] *Pater in me manens ipse facit opera. Non creditis, quia ego in Patre, et Pater in me est? Alioquin propter opera ipsa credite....*[4] *Si non venissem et locutus fuissem iis, peccatum non haberent; nunc autem excusationem non habent de peccato suo.... Si opera non fecissem in iis, quae nemo alius fecit, peccatum non haberent; nunc autem et viderunt et oderunt me et Patrem meum.*[5]

Item Lazarum resuscitaturus Jesus elevatis in coelum oculis: *Pater,* inquit, *gratias ago tibi, quoniam audisti me. Ego autem sciebam, quia semper me audis; sed propter populum qui circumstat, dixi,* UT CREDANT QUIA TU ME MISISTI.[6]

Et merito quidem Christus ad miracula provocavit, quia cum miracula a solo Deo fieri possint, ille qui in confirmationem missionis et doctrinae suae ut revelatae postulat

---

[1] MATTH., XI, 3-5. Cf. LUC., VII, 21.
[2] JOANN., V, 36.
[3] JOANN., X, 37-38.
[4] JOANN., XIV, 10 sq.
[5] JOANN., XV, 22 sq.
[6] JOANN., XI, 41-42. Cf. KLEUTGEN, *Theol. d. Vorzeit*, IV, n. 176 sq.

a Deo miraculum, Deum testem invocat veritatis. *Deus igitur,* utar verbis Pesch,[1] *si in his condicionibus miraculum patrat, testatur doctrinam esse divinitus revelatam et veram. Hunc enim et nullum alium sensum habet signum, quod Deus efficit, provocatus ad hoc ab homine in testimonium divinae suae legationis.*

488) De facto miracula a Christo patrata, erant ratio ob quam homines ei crederent. Nicodemus enim, miraculis ejus visis, agnoscens Christi legationem: *Scimus,* inquit, *quia a Deo venisti magister: nemo enim potest haec signa facere, quae tu facis, nisi fuerit Deus cum eo.*[2] Pariter *multi crediderunt in nomine ejus, videntes signa ejus, quae faciebat....*[3] *Et dicebant: Christus cum venerit, numquid plura signa faciet, quam quae hic facit?*[4]

Hinc Joannes scribit:[5] *Multa quidem et alia signa fecit Jesus in conspectu discipulorum suorum, quae non sunt scripta in libro hoc. Haec autem scripta sunt, ut credatis, quia Jesus est Christus, Filius Dei, et ut credentes vitam habeatis in nomine ejus.*

489) Probatur II pars. — *Miracula Christi historice vera sunt.* Haec conclusio ab iis omnibus admittitur quibus persuasum est Evangelia historicam praeseferre auctoritatem, ipsi enim inconcusse tenent scriptores sacros optime cognovisse ea quae narrant, eaque veraciter retulisse. Et sane, si abstrahatur ab inspiratione Evangeliorum, et res quae narrantur ab Evangelistis critice expendantur, constat Evangelistas eas omnes qualitates possedisse quae necessario in viro historiam conscribente requiruntur. Joannes et Matthaeus testes sunt oculares omnium quae acciderunt et per Jesum operata sunt, et haec solum ipsi referunt, ut erui potest ex hisce Joannis verbis:[6] *Quod vidimus ocu-*

---

[1] Op. cit., n. 184.
[2] Joann., III, 2.
[3] Joann., II, 23.
[4] Joann., VII, 31.
[5] Joann., XX, 30, 31.
[6] Cf. Joann., Epist. I, c. I, v. 2.

lis nostris, quod perspeximus et manus nostrae contrectaverunt.... testamur et annunciamus.

S. Marcus et S. Lucas diutius cum iis conversati sunt qui fuerunt testes oculares omnium quae Jesus operatus est; Marcus enim fuit *interpres Petri* et ea tantum scripsit quae a Petro relata accepit, idque adeo fideliter executus est, ut ipse RENAN haec de Marco scribere coactus sit:[1] *Marc est plein d'observations minutieuses venant sans doute d'un témoin oculaire, qui, évidemment, avait suivi Jésus, qui l'avait aimé, et regardé de très près, qui en avait conservé une vive image.*

S. Lucas vero ita incipit suum Evangelium ad omnem sibi fidem conciliandam:[2] *Quoniam quidem multi conati sunt ordinare narrationem, quae in nobis completae sunt rerum: sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt et ministri fuerunt sermonis: visum est et mihi, assecuto omnia a principio diligenter, ex ordine tibi scribere, optime Theophile, ut cognoscas eorum verborum, de quibus eruditus es, veritatem.*

Plenam igitur merentur fidem auctores sacri, quia fideliter de Christo enarrant omnia sicut viderunt, et sicut tradiderunt ipsis qui ab initio viderunt.

Miracula autem illi referunt aequa et simplici scribendi ratione, non secus ac reliqua facta ordinis naturalis, licet ostendant se firmam miraculis praebere fidem: affirmant enim se non posse quae viderunt et audierunt non loqui.[3]

490) Neque dicatur Apostolos nimis credulos fuisse circa Christi miracula: scimus enim saepe saepius fuisse a Christo de incredulitate redargutos: *Adhuc et vos sine intellectu estis? O stulti et tardi corde ad credendum.*[4]

491) Hujusmodi Apostolorum veracitatem in miraculis Christi referendis et ipsi Ecclesiae nascentis hostes ad-

---

[1] *Vie de Jésus*, p. 39.
[2] I, 1-5.
[3] *Act.*, IV, 20.
[4] MATTH., XV, 16; LUC., XXIV, 15.

miserunt uti testantur prae ceteris Origenes,[1] Cyrillus Alexandrinus, Eusebius,[2] et Tertullianus[3] qui ita alloquitur adversarios: *Haec operatum esse Christum nec vos diffitemini.*

492) Hisce non obstantibus Rationalistae et Neocritici, ex quibus etiam Harnack est memorandus,[4] quamvis plurima facta evangelica admittant et Evangeliorum veracitatem, miracula tamen Christi rejiciunt. Hinc necessitas historicam miraculorum Christi veritatem vindicandi.

493) Quam inepte a Rationalistis reiiciatur veritas miraculorum Christi nemo non videt. Ridiculum enim est admittere veracitatem Evangelistarum dum alia facta narrant, et hanc fidem ipsis abnuere dum miracula referunt, quia facta miraculosa cum tota narratione evangelica adeo connexa sunt, ut nequeant negari, quin simul tota Christi negetur historia.

Quare Evangelistae vel fidem merentur dum alia facta narrant, vel non. Atqui, ipsis Rationalistis ultro concedentibus, fidem merentur dum alia facta narrant. Ergo etiam fide digni sunt dum narrant Christi miracula. Ad rem scribit S. Chrysostomus: *Idem ipsi qui narrarunt crucifixum et colaphis caesum, illi etiam miracula dixerunt. Cur ergo fide dignos in illis putas, in his vero reprehendis quasi gesta non sint? Atqui si ad Magistri gratiam haec scripserunt ac temere frustraque jactitarunt, ea tacuissent, quae tristia ignominiosaque apud multos habebantur.*

494) Vis argumenti crescit si consideretur quod Apostoli et Evangelistae de miraculis Christi loquebantur publice et coram ipsis Christi inimicis, qui et ipsi testes fuerunt signorum quae fecerat Christus,[5] quique haud raro

---

[1] *Adv. Celsum*, I, 6, 36, 68.

[2] *De praeparat. Evangel.*, VI, 10.

[3] *Adv. Jud.*, IX.

[4] Cf. *Ess. du Christ.*

[5] Cf. Matth., VIII, 5-13; Marc., V, 22-43; Joann., III, 1-2; *Act.*, II, 22.

circa Jesu miracula *juridicam* instituerant inquisitionem, uti scimus evenisse de curatione caeci nati.[1]

Quod si dicatur Apostolos fuisse homines rudes qui facillime omnia facta extraordinaria esse miracula putabant, respondemus hanc difficultatem respicere naturam signorum, non vero realitatem factorum Jesu: haec enim ii omnes testificare poterant qui sanos possidebant sensus, et sana ratione utebantur. Proinde ad denegandam historicam veritatem miraculorum Christi, probandum in primis esset Christum miracula operatum esse secreto et coram discipulis et Apostolis tantum, et hos fuisse mente captos.

Atqui neutrum probari potest: scimus enim Apostolos nunquam dementia laborasse, quod et adversarii concedunt, quodve evidentissime ex ipsorum Scriptis et operibus desumitur. Constat insuper Christum miracula patrasse in civitatibus et plateis, coram maxima populi multitudine, immo haud raro coram inimicis, coram Scribis et Pharisaeis, qui nihil intentatum reliquerunt ad eorum existentiam denegandam; quique scientia et auctoritate apud Judaeos pollebant.

Quin etiam ipsis adeo evidens erat veritas miraculorum Christi ut anxii quaererent quid ipsis agendum esset ne multitudo Christo fidem praeberet eumque sequeretur propter signa quae ipse patrabat: *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? Si dimitimus eum sic, omnes credent in eum.*[2]

495) Probatur III pars. — *Miracula Christi vere supernaturalia et divina sunt.*

Cum praecipuae Rationalistarum difficultates non moveantur contra realitatem signorum quae operatus est Christus, sed contra ipsorum naturam, eaque conentur explicare per recursum ad causas naturales, cogimur inquirere in eorum supernaturalitatem.

---

[1] Cf. Joann., V, 10-16; IX, 1, 34. Vigouroux, *Les Livres Saints et la Critique Rationaliste*, Vol. I, p. 82 sq.; Vallet, op. cit., p. 11 sq.

[2] Joann., XI, 45-48.

Quaerimus proinde 1°) utrum signa quae Christus operatus est sint vere supernaturalia, scilicet utrum facta sint, quae, ipsorum attenta natura, formaliter ordinem totius naturae creatae excedant an non: et 2°) utrum sint *divina.*

496) *a*) Miracula Christi sunt vere supernaturalia quia totius naturae creatae ordinem excedunt.

Jam superius de miraculis in genere disserentes (n. 157) vidimus rationem formalem miraculorum in eo reponendam esse quod effectus, attentis vel *natura* operis, vel *modo* quo producitur, vel *circumstantiis*, sit extra ordinem generalem totius naturae creatae, ita ut vel supponat *operationem independentem a subiecta materia,* vel sit contra *dispositionem materiae* et *vim creatricem supponat*, vel sit contra *consuetas naturae leges*, vel *instantaneo modo productus.*

Porro hae omnes conditiones verificantur in miraculis Christi, ut exempli gratiâ in mutatione aquae in vinum, in Lazari resuscitatione, in sanatione filiae Centurionis et caeci nati, in ingressu in coenaculum clausis januis etc. etc. Ergo opera quae Christus gessit sunt vere supernaturalia et ordinem generalem totius naturae creatae excedunt.

497) Quod autem Christus vera miracula patraverit ex eo deducimus quod ipse inopinate, sine ulla praeparatione, absque ullo naturali remedio, aliquando etiam in distans, saepe solo nutu, aut verbo, aut tactu morbos incurabiles, vel saltem qui nonnisi post longum tempus curari poterant, instantanee curavit.[1]

Insuper Christus miracula patravit *palam* in locis et viis publicis prout opportunitas ferebat, omnibus inquirendi praebens occasionem; signorum autem ingens erat *multitudo* et *varietas* ita ut omnis tolleretur suspicandi locus.

---

[1] Cf. Marc., I, 41, 42; Luc., IV, 38, 39; Matth., IX, 6, 7; Marc., VIII, 23; Joann., IX, 6-7; Marc., VII, 33; Joann., IV, 50; Matth., VIII, 13; XV, 28; Joann., XI, 33, 38; etc. etc.

498) Neque dicatur opera Christi habita fuisse ut miracula quia id ferebant conditiones temporis quibus Christus floruit: homines enim tunc temporis adeo superstitiosi erant ut facile tanquam miracula haberent omnia facta quae quandam praeternaturalitatis speciem praeseferrent; quia quamvis tempore Christi homines proni essent ad miracula ultro admittenda, nihilominus scimus nullum non fuisse motum lapidem ad infirmanda Christi opera, eorumque supernaturalem naturam excludendam, uti desumi potest ex triplici investigatione quae de sanatione caeci nati instituta est.

499) Hisce animadversionibus subnectere juvat specialem notam quoad praecipuas recentiorum Rationalistarum explanationes, quibus conantur a miraculis Christi supernaturalem caracterem removere.

Paulus, cui et Renan [1] et Hase [2] accedunt, nonnulla Christi miracula naturaliter explicare conantur. Ita, ex. gratia, multiplicationem panis negant fieri potuisse, et proinde id tantum significare hoc miraculum, vel quod solum inter esurientes sit panis distributus, vel quod solum Christus exemplo suo, eos qui panes habebant induxit ut non habentibus darent.

Similiter negant Christum super mare ambulasse, sed affirmant ipsum ambulasse supra ripam quae mari superior est.

Caecum vero a nativitate affirmant curatum fuisse collyrii ope luto admixti; et ita de ceteris.

Verum hae omnes explicationes miraculorum Christi non solum gratuitae sunt, nullo enim critico nituntur historiarum coaevorum documento et testimonio, quod Evangelicam infirmet narrationem; sed etiam ridiculae sunt, et uti tales ab ipsis adversariis, ex quibus et Strauss recolimus, rejectae.

Ceterum quum sermo sit de panis multiplicatione, quaerimus si vera esset Pauli interpretatio, cur non expli-

---

[1] Op. cit., c. 16.
[2] Op. cit., § 70.

catur quomodo factum quod ipse affirmat neque Apostoli, neque turbae animadverterint?

Similiter si ope collyrii et luti possit caecitas curari, cur haec tam prodigiosa curandi ratio hodie, in tanto artis medicae progressu, non adhibetur?

Denique cur PAULUS ejusque asseclae reticent quod Petrus super aquas ambulans jam mergi coeperat?

500) Quare, missis hisce interpretationibus miraculorum Christi, quae nullimode officiunt caracteri supernaturali signorum quae ipse fecit, videamus quid sentiendum sit de opinione illorum qui contendunt facta miraculosa Christi esse vel *suggestioni* vel *hypnotismo* tribuenda.[1]

Jam superius (n. 220 et sq.) disserentes de miraculis in genere vidimus quantum differant hypnotica prodigia a veris miraculis, 1°) sive *quoad ambitum* quia miracula ad *omnia* curationum *genera* se extendunt, phoenomena vero hypnotica ad quaedam tantum, scilicet ad morbos, qui a nervorum perturbatione oriuntur, coarctantur. Porro Christus illos etiam morbos curavit qui certe non oriebantur a nervorum perturbatione, ut ecce caecitas, lepra etc. etc.

2°) Quoad operandi *modum*; quia per magnetismum et hypnotismum morbi sanantur non subito et repente sed necessariis adhibitis mediis; Christus autem morbos curavit, aliquando etiam in *distans*, ut in casu filiae Centurionis, ***instantanee***, sine *adminiculis*, solo nutu aut tactu.

501) Neque dicatur fidem semper ab ipso postulatam fuisse, quia hoc falsum est, constat enim Christum ali-

---

[1] CARPENTER (*Review, Jan.*, 1876) miracula tribuit suggestioni et id conatur probare per factum quod semper Jesus actum fidei requirit. Huic accensendi sunt SKEPTO (*L'hypnotisme et les religions*, C. III), BINET et FERRET (*Le magnetisme animal*). Ad horum confutationem confer: C. A. ROW, *Christian Evidences*, p. 410 sq.; DE BONNIOT, *Le miracle et ses contrefaçons; Le miracle et les sciences médicales;* LELONG, *La vérité sur l'Hypnotisme*; MERIC, *Le merveilleux et la Science*; COURBET, op. cit., p. 48. Vide etiam auctores superius recensitos p. 167 in nota, et ea quae a nobis circa hanc quaestionem disputata sunt, sub nn. 220-249.

quando nullam exegisse fiduciam, aliquando autem hanc fiduciam exegisse non ab ipsis infirmis, sed ab iis qui eorum postulabant curationem, idque exegit ad finem miraculorum obtinendum, nempe ad probandam suam missionem divinam.[1]

Ceterum quidquid jactent fautores hypnotismi et suggestionis, nunquam certe hypnotismo tribuere poterunt mortuorum resuscitationes a Jesu peractas, et omnia miracula a Christo super naturam physicam productas, ut ecce mutatio aquae in vinum, sedatio tempestatis solo vocis imperio obtenta, etc. etc.; haec enim facta nullam neque remotam ad suggestionem et hypnotismum relationem habent.

Concludimus igitur miracula Christi esse vere supernaturalia. Quod si adversarii *miracula facta esse non credunt,* utar verbis S. Augustini,[2] *hoc unum nobis grande miraculum sufficit, quod terrarum orbis sine ullis miraculis crediderit.*

502) Probatur III pars. — *Miracula Christi sunt divina, non diabolica.*

Haec pars theseos est quaestionum praecedentium corollarium: si enim probatum sit miracula esse vere supernaturalia, nempe formaliter excedere vel quoad naturam, vel quoad operandi modum omnes vires naturae creatae, patet ea Deum habere auctorem, et proinde esse divina.

Ad uberiorem tamen theseos demonstrationem dicimus miracula Christi non esse diabolica, sed divina, idque probamus:

1° Ex *persona* et *doctrina* Christi; quia virtutes personales Christi et doctrinae, quam proposuit, excellentia sive in se, sive in suis effectibus, excludunt quodlibet diaboli ministerium; quod si contrarium verificaretur Dei sapientiae et providentiae id repugnaret; quia quidquid boni et honesti est a malo principio oriretur.

---

[1] Cf. Matth., VIII, 5-13; XV, 22-28.

[2] *De civitate Dei,* XXII, 5. Cf. S. Th., *Contra Gentes,* I, 6.

2° Insuper Christus quosdam effectus produxit qui, ipsorum attenta *natura*, solum a Deo patrari possunt, ut sunt mortuorum resurrectiones.

Quod si attendamus potestatem quam Christus exercuit supra daemones eos a corporibus ejicendo, quisnam haec facta diabolo tribuat, nisi velit admittere eum contra seipsum pugnare? Hoc idem argumentum Jesus ipse proposuit Pharisaeis qui ejus miracula virtuti diabolicae adscribebant:[1] *Si autem et Satanas*, inquit, *in seipsum divisus est, quomodo stabit regnum ejus?... Porro si in digito Dei ejicio daemonia, filii vestri in quo ejiciunt?*

3°) Denique si attendantur *circumstantiae* in quibus Christus miracula operatus est, nihil Deo indignum in ipsis invenitur, et miraculorum *fructus* optimi fuere, scilicet discipulorum perfectio, Judaeorum et Gentilium conversio, vitiorum emendatio, perfectioris vitae studium. Ergo miracula Christi non solum reapse ab ipso patrata sunt, sed insuper sunt vere supernaturalia et divina, et ejus legationem messianicam confirmant.

§ II. — De vaticiniis Christi.

503) Sicut miracula Christi in ordine physico patrata luculentissime divinitatem missionis ejus ostendunt, ita pariter miracula in ordine intellectuali, scilicet vaticinia ab ipso edita eandem confirmant veritatem.

Jam superius (n. 258-259) notionem prophetiae tradentes vidimus ad vaticinium habendum requiri cognitionem certam futuri eventus liberi, non vero conjecturalem, vel quae naturaliter praevideri possit.

Proinde ad probandum vaticiniorum Christi apologeticum valorem haec duo demonstranda sunt: 1°) Christum clare et distincte multa futura libera praevidisse, quae naturaliter ab hominibus non poterant cognosci; 2°) has praevisiones adamussim verificatas esse; quia tunc solum,

---

[1] Luc., XI, 17-20.

ut notat Angelicus,[1] *signum certum divinae revelationis habetur, ubicumque cum certitudine praedicuntur res complexae, tempore remotae, cum adjunctis, quae hic et nunc in causis nondum sunt determinatae, sed undequaque a libera voluntate hominum vel Dei pendent.*

504) PROPOSITIO XV. — *Christus clare et minute praedixit multa futura contingentia, quae adamussim impleta sunt, quaeque argumentum sunt divinae legationis suae.*

505) PRAENOTANDA. — In prima parte hujus propositionis exponimus parallele verba vaticiniorum Christi quae prolata sunt ab ipso circa seipsum, discipulos suos, Ecclesiam, et Judaeos, et verba vel testimonia quae vaticiniorum referunt adimpletionem. In altera vero parte sermo fiet de vi probativa horum vaticiniorum.

Aliis verbis quaerimus ex una parte de veritate historica et philosophica vaticiniorum Christi, ex altera de valore relativo ipsorum.

506) PROBATUR I PARS. — *Christus clare et minute praedixit multa futura contingentia circa seipsum, discipulos, Ecclesiam, et Judaeos quae adamussim adimpleta sunt.*[2]

A) *Vaticinia Christi circa seipsum.*

VATICINIUM.	IMPLEMENTUM.
Filius hominis tradetur principibus Sacerdotum, et scribis et senioribus, et damnabunt eum morte, et tradent eum Gentibus, et illudent ei, et conspuent eum, et flagellabunt eum, et interficient eum: et tertia die resurget. (MARC. X, 33).	*Tenentes Jesum duxerunt eum ad Caipham principem sacerdotum ubi scribae et seniores convenerant... qui omnes condemnaverunt eum esse reum mortis... vinctum adduxerunt eum, et tradiderunt Pontio Pilato praesidi... Jesum flagellatum tradidit eis, ut crucifigerent.... et expuentes in eum, acceperunt arundinem et percutiebant caput ejus.* (MATTH., XXVI, 57; MARC., XIV, 64; MATTH., XXVII, 2, 26, 30).
Apud MATTHAEUM (XX, 17) idem invenitur vaticinium, hisce adjectis verbis: *Et tradent eum Gentibus ad illudendum, et flagellandum et crucifigendum.*	

[1] S. THOM., *S. Theol.*, II-II, q. CLXXII, art. 1; et CLXXI art. 6 ad 2.

[2] Hanc procedendi methodum a Tanquerey quasi verbatim deprompsimus.

B) *Circa discipulos.*

a) Discipulorum fuga. — *Omnes vos scandalum patiemini in ipsâ nocte: scriptum est enim: percutiam pastorem et dispergentur oves.* (Matth., XXVI, 31).

Tunc discipuli omnes, relicto eo, fugerunt. (Matth., l. c. 56).

b) Petri negatio. — *Amen dico tibi, quia in hac nocte, antequam gallus cantet, ter me negabis.* (Matth., XXVI, 34).

Ille autem coepit anathematizare et jurare, quia nescio hominem istum, quem dicitis. Et statim gallus iterum cantavit. (Marc., XIV, 66-72).

c) Judae proditio. — *Amen dico vobis, quia unus vestrum me traditurus est.* (Loc. cit. 21).

Adhuc eo loquente, ecce Judas unus de duodecim venit, et cum eo turba multa cum gladiis et fustibus... (Matth., loc. cit., 47-49).

d) Apostolorum persecutiones. — *Tradent vos in conciliis et in synagogis suis flagellabunt vos; et ad praesides et ad reges ducemini propter me in testimonium illis et gentibus.* (Matth., X, 17 sq.).

Et injecerunt in eos manus, et posuerunt eos in custodiam in crastinum... Et convocantes Apostolos, caesis denuntiaverunt ne omnino loquerentur in nomine Jesu. (*Act.*, IV, 1-18; V, 17-41).

e) Petri mors et crucifixio. — *Cum esses junior, cingebas te et ambulabas ubi volebas; cum autem senueris, extendes manus tuas, et alius te cinget et ducet quo tu non vis.* (Joann, XVI, 18).

Petrus revera Romae martyrium subiit, ibique crucifixus est. *Igitur Nero,* refert Eusebius (*H. Eccl.*, II, 25) *...ipsorum prius Apostolorum expetit neces. Et Paulum quidem capite in ipsa Urbe Româ, Petrum vero crucis patibulo condemnat.* (Cf. S. Clemens, Ep. I, c. 5; Irenaeus, *Adv. Haeres.*, III, 1).

C) *Circa Ecclesiam.*

a) Effusio Spiritus Sancti. *Sed accipietis virtutem Spiritus Sancti in vos, et eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judaeâ et Samariâ et usque ad ultimum terrae* (*Act.*, I, 8).

Et repleti sunt omnes Spiritu Sancto, et coeperunt loqui variis linguis, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis. (*Act.*, II. 4).

De facto Apostoli dispersi sunt per Judaeam, Samariam et per reliquas orbis terrae partes praedicantes verbum Dei.

b) ECCLESIAE PROPAGATIO IN UNIVERSAM TERRAM EJUSQUE PERMANENS DURATIO. — *Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam... Euntes ergo docete omnes gentes... et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem saeculi.* (MATTH., XVI, 18; XXVIII, 19-20).

Reapse praedicatio Evangelii per universum orbem facta est et maxima fuit religionis Christianae propagatio; neque Ecclesia, non obstantibus multorum impugnationibus, unquam defecit, sed adhuc stat invicta.

D) *Circa Judaeos, idest excidium Jerusalem.*

Consurget gens in gentem, et regnum in regnum, et erunt pestilentiae et fames, et terraemotus per loca... Et multi pseudoprophetae surgent et seducent multos.... Cum ergo videritis abominationem desolationis.... tunc qui in Judaea sunt fugiant ad montes. (MATTH., XXIV, 7-11, 15-16).

Cum autem videritis circumdari ab exercitu Jerusalem, tunc scitote quia appropinquavit desolatio ejus... Et cadent in ore gladii, et captivi ducentur in omnes gentes; et Jerusalem calcabitur a Gentibus, donec impleantur tempora nationum. (LUC., XXI, 20-24). *Quia venient dies in te, et circumdabunt te inimici tui vallo, et circumdabunt te et coangustabunt te undique. Et ad terram prosternent te, et filios qui in te sunt, et non relinquent in te lapidem, eo quod non cognoveris tempus visitationis tuae.* (LUC., XIX, 33-44).

Amen dico vobis, quia non praeteribit generatio haec, donec omnia fiant. (MATTH., XXIV, 34).

Haec omnia circa annum 70 accidisse etiam profani scriptores testantur et referunt. Mortuo enim Nerone, in variis provinciis rebelliones exarserunt; fames et pestis multos occiderunt (SVETON., *Claudius*, 18; TACIT., *Annal.*, XIV, 13); terraemotus fuerunt multis in locis (TACIT., *Annal.*, XIV, 27; XV, 22; SENECA, *Epist.* 91). In Judaea multi pseudoprophetae surrexerunt, TEUDAS, SIMON MAGUS, JUDAS GAULONITIDES (JOSEPH., *Antiquit.*, XX, 5, 1-2; *Bellum Judaicum*, II, 13, 5).

Judaei, his instigatoribus, insurrexerunt contra Romanos. Vespasianus, cum ingenti exercitu, in Galilaeam irrupit, multosque Judaeorum occidit; imperator deinde salutatus, Tito filio suo curam bellum conficiendi demandavit. Christiani autem, memores vaticinii Salvatoris, ex urbe migrarunt et in oppidum Pellam sese receperunt.

Titus castra in monte Oliveti collocavit, urbem circumdedit vallo, et tandem vi expugnavit; injecto a milite igne templum incendit, totaque civitas ita destructa fuit ut solo aequaretur. Innumeri

Judaei caesi sunt, alii in captivitatem ducti, et per totum orbem dispersi. Quod totum factum est triginta septem circiter annis post mortem Christi, antequam praeteriret generatio (Cf. JOSEPH., *Bellum Judaicum* passim et speciatim L. IV, V).[1]

507) PROBATUR II PARS. — *Vaticinia argumentum sunt divinae Christi legationis.*

Vaticinia a Christo edita esse et adamussim fuisse impleta factum adeo evidens est ut Rationalistae, rei veritate commoti, conentur ostendere Evangelia nonnisi post Jerusalem excidium scripta fuisse. Hoc Rationalistarum effugium argumentum est validissimum pro supernaturali vaticiniorum caractere vindicando.

Et sane vaticinia superius exposita vere divina esse ex eo colligimus quod praeannuncient clare et certe, non vero conjecturaliter, facta determinata cum minutis adjunctis; quaeque, utpote contingentia, a libera hominum voluntate pendebant, ac proinde soli Deo nota esse poterant.

Quod si quis contendat casu impleta esse haec omnia, respondemus id fieri posse de uno tantum vaticinio: sed non de pluribus uti superius (n. 429) ostendimus.

Cum igitur vaticinia a Christo edita, sint divina, patet ipsum esse legatum divinum, quia ipse apparet quodam habituali dono prophetico insignitus; quod donum certe nunquam Deus falsis prophetis concessit; secus Deus fraudis et mendacii patronus esset dicendus, multo magis quod vaticinia a Christo edita intimam habebant cum doctrina, quam praedicabat, connexionem.[2]

---

[1] Cf. EUSEB., *Hist. Eccles.*, l. III, c. 5 sq.; SCHMID, *Christus als Prophet, nach den Evang. dargestellt*; HOLTZMANN, *Handkommentar*, I, p. 231, 232, 255, 256; WELHAUSEN, *Israelitichen Jüdische geschictes*, 1894, p. 309; *Dublin Review*, apr. 1895, p. 332; LOISY, *L'Apocalypse synoptique*, apud *Revue Biblique*, april. 1896, p. 173-199.

Cf. DENZINGER, n. 1639.

§ III. — Resurrectio Christi.[1]

508) Remanet ut de praecipuo eoque insigniore Christi miraculo loquamur, nempe de gloriosa ejus a mortuis resurrectione, quod est fidei nostrae fundamentum, ut Apostolus Paulus testatur[2]: *Si autem Christus non resurrexit inanis est praedicatio nostra, inanis est fides nostra.* In hoc miraculo fundatur et ipsa Apostolorum praedicatio[3] et legatio: namque ut sint testes resurrectionis Christi,[4] miracula patrandi potestatem habeut.[5]

Cum autem hoc miraculum quam maxime impugnetur a Religionis Christianae osoribus, necessarium nobis est

---

[1] S. Thomas, *S. Th.*, III pars, q. LIII; Bossuet, *Panégyrique de St. André*; Valsecchi, *De fundamentis Religionis*, l. II, c. 15; Frayssinous, *Conférences, Résurrection de Jesus Christ.*; Hettinger, *Apologie*, vol. II, c. 15; Perrone, n. 249; Wallon, *De la croyance due à l'Évangile*; *l'Autorité de l'Évangile*; Brugère, n. 72; Mazzella, n. 283 sq.; Lambrecht, p. 401 sq.; Hurter, n. 63; Tepe, n. 103 sq.; Crosta, n. 152; Pesch, n. 196 sq.; Tanquerey, op. cit., p. 201 sq.; Wilmers, op. cit., p. 357-379; Schanz, *A Christian Apology*, vol. II, c. 16; Paley, *Evidences of Christianity*, p. I, c. 8; Scherlock, *The Trial of the Witnesset of the Resurrection of Jesus*; Bruge, *Apologetics*, l. III, c. IV, p. 383, sq.; Row, op. cit, lect. VII; Picard, op. cit., p. II, c. 4; Griesbach, *Inquiritur in fontes Evangelii de resurrectione Domini*; Doedes, *De Jesu in vitam reditu*; Andrews, *Life of our Lord*; Danko, *Historia revelationis divinae N. T.*; Wiseman, *Discours sur les rapports entre la science et la religion révélée*; Lescoeur, *La science et les faites surnaturels contemporains*; Renan, *Vie de Jésus*; *Les Apôtres*; Réville, *Jésus de Nazareth*, t. II; Stapfer, *La mort et la Résurrection de J-C*; Rohrbach, *Die Berichte über die Auferstehung Jesu Christi*; Steenkiste, *Commentarius in S. Matth.*, t. IV; Sabatier, *L'Apôtre Paul*; Goix, *Le miracle*; Porret, *Jésus Christ est-il resuscité?*; Olliviер, *Les amitiés de Jésus*; Godet, *Commentaire sur S. Luc.*, t. II; *Commentaire sur S. Jean.*, t. III; Fouard, *V. de J-C*; Le Camus; Lesêtre; Didon; Fretté; Courbet, op. cit., p. 51; Harnack, *L'essence du Christianisme*, p. 16 4sq.; Loisy, *L'Évangile etc.* p. 68 sq.; Palmieri, *Osservazioni etc.*, p. 36 sq.; Rose, *Études sur les Évangiles*, p. 271-324; Chauvin, *Jésus-Christ est-il ressuscité?*.. etc. etc.

[2] I, *Cor.*, XV, 14.

[3] *Act.*, II, 24-32.

[4] *Act.*, I, 22.

[5] *Act.*, III, 15; IV, 10, 33.

in ipsum inquirere ut omnino ejus veritas in tuto collo-
c hinc ad ipsum probandum tria nobis inquirenda sunt: 1°) utrum de facto Christus praedixerit resurrectionem suam; 2°) utrum Christus vere mortuus sit; 3°) utrum vere resurrexerit.

509) Errores. — Diversâ viâ Rationalistae et Increduli conantur excludere miraculum resurrectionis Christi, diversaque systemata invecta sunt ad hoc factum naturaliter explicandum; hinc est quod nonnulli denegant Christum suam praedixisse resurrectionem, alii negant Christum mortuum fuisse; alii denique affirmant numquam resurrexisse. Singulas opiniones summatim referemus.

510) A) *Opinio illorum qui negant a Christo praedictam fuisse resurrectionem.*

a) K. Hase[4] putat Christum praedixisse doctrinae suae triumphum et spirituale cum discipulis post mortem commercium : ex quo factum est ut spiritualis haec resurrectio a discipulis et Ecclesiâ primitivâ conversa sit in resurrectionem corporalem a Christo praedictam.

b) Alii putant Jesum conjunxisse causam regni messianici cum fide apud Judaeos communi, resurrectionis aliquando futurae, idque sub resurrectionis suae imagine exhibuisse.[2]

c) Alii cum Wendt[3] putant Jesum significasse se mox in coelum receptum iri, et in coelis constitutum discipulorum fore ducem.

511) B) *Errores contra realem Christi mortem.*

Rationalistae ut negent Christi resurrectionem affirmant Christum non fuisse mortuum.

a) Goix[4] et cum eo Weber[5] et Townshend[6] existi-

---

[1] *Die Jahrhunderte ahnungsreich überblickend,* § 81.

[2] Cf. Keim, II, 561 sq.; Hausrath, *Neutestam. Zeitgeschichte,* I, 184; Pfleïderer, *Religionsphilosophie,* II, 195.

[3] *Die Lehre Jesu,* 544.

[4] *Le miracle,* p. 64.

[5] *Berichte über die Verhandlungen der Sachsischen Gesetlschaft der Wissenschaften,* p. 29.

[6] Cheyne, *The english malady, or a Treatise of nervous Diseases,* p. 307.

mat Christum mortem simulasse. Probe noscens pulsationes cardiacas intime connecti cum motibus respirationis, unde fit ut homo possit indirecte agere supra proprium cor et per conatum respirationis energicum et ininterruptum motus cordis adeo remissiores et tardiores fieri ut possint denique aliquantulum suspendi, docet Christum, cui haec nota erant, hac arte usum esse ut se mortuum simularet et ita posset postea se redivivum Apostolis ostendere.

b) Paulus Heidelbergensis,[1] Salvador, Hase, Ammon, Theile, Schleiermacher, Bunsen, Herder[2] putant Christum *syncope* correptum fuisse et membris ita obriguisse ut vere mortuus videretur. Censent eum ad se reversum se se discipulis ostendisse et tandem ignoto quondam loco obiisse.

c) Alii denique censent Christum in cruce somno cataleptyco correptum fuisse non secus ac somno hujusmodi Fackiri corripiuntur, qui hoc in statu videntur mortui, sed reapse vivunt et se se vivos ostendunt statim ac conditiones verificantur quae somnum hunc morbosum removent.

512) C) *Errores contra realitatem resurrectionis.*

a) Ad negandam Christi Domini resurrectionem nonnulli, duce Reimaro,[3] qui renovavit theoriam a sacerdotibus Judaeis invectam et a Deistis saeculi XVIII recoctam, affirmant Apostolos *deceptores* fuisse vel simpliciter *mentiendo* asserentes Christum surrexisse, dum revera ipsis notum erat eum numquam fuisse redivivum; vel *furando* corpus Christi.

b) Alii retinent Apostolos imaginatione *deceptos* fuisse, et hisce explicant hypothesibus deceptionem:

1°) Réville[4] notat disparitionem corporis Jesu tantam vim habuisse ut mentem turbaret discipulorum. Hinc, animadvertit Stapfer,[5] cum tunc temporis Judaei maxime superstitiosi essent, videntes sepulcrum vacuum, coeperunt

---

[1] *Leben Jesu.*

[2] Cf. Keim, op. cit., III, p. 574.

[3] Reimarus, *Wolfenbütteler Fragmente,* n. 5.

[4] Réville, *Jésus de Nazareth,* tom. II, p. 463.

[5] Stapfer, *La mort et la résurrection de J. C.,* p. 290 sq.

dubitare utrum Christus resurrexisset an non. Paulatim ob eorum mentis excitationem dubium ipsis in certitudinem conversum est, et coeperunt vulgare Christum resurrexisse.

2°) Strauss,[1] Pfleiderer,[2] Hausrath,[3] Holsten, Renan,[4] Sabatier, aliique plurimi dicunt Christum resurrexisse in mente discipulorum. Hac fide discipuli animati, praesertim Petrus et Maria Magdalene, qui priores hallucinati sunt, putabant Jesum, cujus imago mentem illorum plane occupabat, oculis suis videre, dum reapse nihil videbant. Hinc ex ipsis haec allucinatio transiit in alios et sic habita est *hallucinatio collectiva*, quo factum est ut omnes crederent se Jesum redivivum videre.[5]

3°) Alii ad explicandam fidem in resurrectionem Christi recursum habuerunt ad *apparitiones pneumaticas*. Secundum hanc theoriam, quae nacta est acerrimos fautores apud Weisse,[6] Keim,[7] Ewald, Schenkel,[8] Schweizer, Lotze, Weizsoecker, Stapfer,[9] Ménégoz, Jesus vere Apostolis apparuit, non quidem *corporaliter*, sed *spiritualiter* per interiorem visionem qua Apostolos docebat et confortabat veluti *telegraphice* e coelis cum ipsis communicans. Hanc hypothesim praefati auctores conantur defendere innixi verbis *Actorum* (IX, 1-21; XXVI, 9-20) et epistolae *ad Galatas* (I, 14-15) et I *ad Corinthios* (XV, 1-8).

4°) Alii cum Weizsäcker[10] et Martineau[11] asserunt Apostolos non praedicasse Christi resurrectionem, sed solum modo generali dixisse se Jesum *vidisse*, quia ipsis

---

[1] Op. cit., p. 684 sqq.

[2] Op. cit. II, p. 195 sqq.

[3] Op. cit., I, p. 184 sq.

[4] Renan, *Vie de Jésus*, p. 434; *Les Apôtres*, p. 12-13.

[5] Cf. Maury, *Magie et astrologie*, p. 449.

[6] *Evangelische Geschichte*, II, p. 426 sq.

[7] *Der Geschichtliche Christus*, p. 138-139; *Jesu von Nazara*, vol. III, p. 600.

[8] *Charakterbild Jesu*, p. 231 sq.

[9] *La mort et la résurrection de J. C.*

[10] *Das Apostolische Zeitalter*, p. 5.

[11] *The Seat of authority*, p. 363 sq.

persuasum erat magnos viros non mori, et Magistrum vivere vitâ perfectiore ac antea. Exinde factum est ut discipuli verba Apostolorum amplificantes paulatim crediderint Christum vere surrexisse et Apostolis corporaliter apparuisse.

5°) Dupuis affirmat Christi resurrectionem nihil aliud esse quam solis reditum in arietem, quum verno tempore sol venit ad aequatorem.

6°) Alii recentissime conantur ostendere Christi resurrectionem fuisse *telepathiae* effectum, vel etiam *teleplastiae*, vi cujus Christi spiritus formam materialem indueret (*materializzazione dello spirito*). Haec opinio novis inductis terminis refert Origenis commentum, qui putabat Christum post resurrectionem habuisse corpus *spirituale* et *sphericum*.

513) Nostris diebus Harnack, in opere *L'Essence du Christianisme*,[1] loquens de Christi resurrectione distinctionem ponit inter *nuncium paschale* quod refert factum miraculosum et *fidem paschalem* affirmans factum resurrectionis confictum esse ut insinuetur fides in victoriam supra mortem et in vitam aeternam; quae fides a sepulcro Christi originem ducit.

Loisy[2] vero quamvis affirmet fide tenendam esse Christi resurrectionem, negat tamen factum resurrectionis posse *directe et formaliter constatari*, quia sepulcrum vacuum, est argumentum indirectum et minime decisivum cum aliunde possit explicari cadaveris disparitio. Affirmat autem apparitiones Christi esse argumentum directum, sed nihilominus incertum in sua significatione, quia, utar ejus verbis, *des impressions sensibles ne sont pas le témoignage adéquat d'une réalité purement surnaturelle.*

Alii denique negant veritatem resurrectionis, quia narrationes Evangelicae sibi contradicentes apparent.

514) Doctrina Catholica. — Resurrectio Christi est miraculum quod realiter evenit, sicut desumi potest ex multiplicibus Ecclesiae definitionibus. Ita in professione

---

[1] Op. cit., p. 170 et sq.

[2] *L'Évangile et l'Église*, p. 68 sq.

fidei Waldensibus ad Ecclesiam reducibus ab Innocentio III propositâ legimus: *Christus passus vere carnis suae passione, mortuus vera corporis sui morte, resurrexit vera carnis suae resurrectione et vera animae ad corpus resumptione.*[1]

515) PROPOSITIO XVI. — *Christus Jesus multis modis praedixit se tertia die a mortuis surrecturum esse; vere mortuus est, vere pariter tertia die resurrexit, quo fit ut hoc miraculum argumentum certum constituat divinae legationis ejus.*

516) PRAENOTANDA. — Tria praecipue sunt in hac thesi demonstranda, idest 1°) Christum praedixisse resurrectionem suam a mortuis tertio die ab obitu complendam et hanc resurrectionem non esse sensu improprio et metaphorico intelligendam, sed sensu proprio, scilicet de vero in vitam reditu per novam animae cum corpore unionem.

2°) Dicimus Christum vere mortuum esse, excludimus proinde omnia commenta adversariorum quibus conantur denegare Christi mortem, quae per veram animae a corpore separationem evenit.

3°) Denique defendimus Christum, tertiâ ab obitu die, redivivum e sepulcro prodiisse, quin tamen quaeramus qua virtute resurrexerit, an propriâ, vel divinâ, quia hic quaerimus tantummodo de resurrectione Christi in seipsâ spectata.

Evidens tamen est, quando dicimus Christum a Deo vel Patre suscitatum esse, nos non negare eundem esse suscitatum a seipso, quia, ut notat S. THOMAS,[2] *eadem est divina virtus et operatio Patris et Filii; unde haec duo se se consequuntur, quod Christus sit suscitatus divina virtute Patris et sui ipsius.*

Huic triplici quaestioni subnectimus ad instar corollarii conclusionem propositam, scilicet hoc miraculum esse argumentum certum ad divinam Christi legationem vindicandam.

Thesim *directe* probamus tum facta enarrando, tum ea afferendo argumenta quae evidentissime ad nostram ducunt

---

[1] DENZING., n. 369. Cf. nn. 36, 408, 113,, 293, 384, 601.

[2] *S. Th.*, III, q. LIII, art. 4 ad 1.m

conclusionem; *indirecte* vero adversariorum systemata confutando.

517) PROBATUR I PARS. — *Christus Jesus multis modis praedixit se tertia die a mortuis surrecturum esse.*

α) Christum praedixisse *Apostolis* et *Discipulis* suam resurrectionem didicimus ex pluribus Evangeliorum locis. Ita, ex. gratiâ, MATTHAEUS[1] scribit: *Exinde coepit Jesus ostendere discipulis suis, quia oporteret eum ire Jerosolimam, et multa pati a senioribus et scribis et principibus sacerdotum et occidi; et tertia die resurgere.... Filius hominis tradendus est in manus hominum; et occident eum, et tertia die resurget.*[2] Eadem legimus apud MARCUM et LUCAM.[3]

Quod autem Christus hisce verbis intelligat resurrectionem sensu proprio acceptam, hermeneuticae leges ostendunt. Vox enim resurrectio eo sensu intelligenda est quem contextus eidem tribuit, et quem alibi Christus ipse eidem dedit. Atqui contextus exigit ut vox resurrectio sensu proprio interpretetur, quia hanc praedictionem saepe saepius cum aliis conjunxit quae tormenta a se patienda respiciebant, ut ecce praedictio de flagellatione et occisione.

Scimus insuper Christum semper sensu proprio de resurrectione locutum esse, ut ecce quando miracula operans Joanni renunciari jussit: *Mortui resurgunt, pauperes evangelizantur*[4]; et quando Mariae dixit: *Resurget frater tuus*,[5] significans Lazari a mortuis excitationem proxime futuram.

518) Neque dicatur Christum locutum esse de resurrectione quae futura erat tandem aliquando post multa saecula, quia ipse determinavit tempus quo ejus resurrectio complenda erat, nempe post triduum.[6]

Insuper Jesus praeceptum fecit Apostolis ne visionem quibus ipsi adfuerunt, quando in monte transfiguratus est

---

[1] MATTH., XVI, 21. Cf. MATTH., XVII, 9.

[2] MATTH., XVII, 20. Cf. MATTH., XX, 19.

[3] MARC., VIII, 31; IX, 30-31; XIV, 28; LUC., IX, 22.

[4] LUC., VII, 22.

[5] JOANN., XI, 23.

[6] Cf. MATTH., XVI, 21; XVII, 20; XX, 19; XII, 39-40; XVI, 4; LUC., IX, 22; XXIV, 27; MARC., VIII, 31 etc. etc.

aliis nuncient antequam a mortuis resurgat: *Nemini dixeritis visionem hanc, donec filius hominis a mortuis resurgat.*[1] Porro haec verba se se referre ad resurrectionem mox futuram, ii admittunt quibus compertum est Apostolos non esse in aevum victuros.

Itaque contextus passim ostendit Christum egisse de resurrectione proprie dicta, et proinde excludenda esse commenta ab adversariis adducta ad probandum Christum de resurrectione impropria, vel de morali adsistentia jugiter duraturâ sermonem habuisse.

519) Quod si aliquando Apostoli et discipuli dubitarunt utrum verba, quae Christus dixerat, essentne sensu proprio an improprio intelligenda, hoc factum est non quod verba clarissima non essent, sed quia praejudicatae de regno Christi glorioso opiniones, quas ipsi fovebant, videbantur non congruere cum mortis ignominia. Hinc ratio dubitandi de sensu non latebat in ipsis verbis, sed erat in ipsis Apostolis.

Et sane discipuli, Emmaus petentes, haec ad Christum se se ipsis in via comitem additum alloquuntur: *Nos autem sperabamus, quia ipse esset redempturus Israël, et nunc super haec omnia tertia dies est hodie quod haec facta sunt.*[2]

Joannes autem testatur quod *cum Christus surrexisset a mortuis, recordati sunt discipuli ejus, quia dicebat, et crediderunt Scripturae et sermoni quem dixit Jesus.*[3]

520) β) Christus suam resurrectionem praedixit non solum coram discipulis, sed etiam coram *inimicis*, Pharisaeis, Scribis.

Ita Christus, ejectis de templo negotiatoribus, Judaeis quaerentibus signum cur talia faceret: *Solvite templum hoc*, respondit, *et in tribus diebus excitabo illud. Ille autem dicebat de templo corporis sui.*[4]

---

[1] MATTH., XVII, 9.
[2] LUC., XXIV, 21.
[3] JOANN., II, 22.
[4] JOANN., II, 19-21. Cf. *Epist. ad Colos.*, II, 9; I *Cor.*, VI, 19.

Rursus Scribis et Pharisaeis dicentibus: *Magister, volumus a te signum videre*, respondit: *Generatio mala, et adultera signum quaerit: et signum non dabitur ei, nisi signum Jonae prophetae. Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus, sic erit filius hominis in corde terrae tribus diebus et tribus noctibus.*[1]

521) Haec verba dicta esse de resurrectione sensu proprio accepta, intellexerunt Judaei, qui veritatem praedictionis testati sunt, cum *altera die quae est post Parasceven convenerunt ad Pilatum dicentes: Domine, recordati sumus, quia seductor ille dixit adhuc vivens: Post tres dies resurgam. Jube ergo custodiri sepulcrum usque in diem tertium.*[2]

Igitur Christus vere praedixit resurrectionem suam post triduum ab obitu secuturam.

522) Ex dictis patet opiniones illorum qui verba Christi intelligunt dicta esse de triumpho doctrinae suae, vel de spirituali unione Christi in coelo residentis cum discipulis, nullo solido fundamento fulciri, immo evidentissime contradicere genuino et obvio sensui verborum Christi.

523) Nonnulli tamen impugnarunt vaticinium ea moti ratione quod Christus dixerat se mansurum in sepulcro tribus diebus et tribus noctibus, dum reapse duas tantum noctes et unum diem ibi latuit.[3]

Difficultas tamen evanescit, et nullius momenti ab ipso Strauss dicitur, si consideremus hunc incisum *tribus diebus et tribus noctibus* esse modum loquendi, quo significantur non tres integrae dies et noctes, sed solum pars trium dierum et noctium, ipsumque respondere phrasi alibi adhibitae ab Evangelista: *tertia die resurget.*

Porro Christus in sepulcro fuit per integrum sabbatum, et insuper parte feriae sextae et dominicae.

Ad rem scribit S. Hilarius[4]: *Nobis, non sibi loquitur, atque ideo nostris utitur in loquendo modis.*

---

[1] Matth., XII, 39-40; XVI, 4. Cf. Luc., XI, 29-30.
[2] Matth., XXVII, 62-64.
[3] Paulus Gottlob, op. cit.
[4] S. Hilar., *In Ps.*, CXXVI, 6.

Quid ergo, addit S. Augustinus,[1] *cum legimus, obliviscimur quemadmodum loqui soleamus? An Scriptura Dei aliter nobiscum fuerat quam nostro more locutura?*

Ceterum haec difficultas demonstrat vaticinium non esse ab Evangelistis confictum, qui, si mentiri voluissent, procul dubio abstinuissent a creanda sibi difficultate tam obviâ.

524) Probatur II pars. — *Christus vere mortuus est.*

Haec conclusio duplici via probari potest, *directe* quidem et *directe*. Directe per argumenta *materialia*, seu *physiologica* comprobantia mortem Christi, et per argumenta *moralia*, quae fundantur in Evangelistarum auctoritate et testimoniorum impressionibus.

Indirecte vero per adversarorium confutationem systematum.

525) A) *Argumenta directa.*

1°) *Argumenta physiologica.*

Si absque praejudiciis narrationem evangelicam de Christi passione consideremus, hoc nobis persuasum erit Christum talia sustinuisse tormenta quae necessario mortem ejus causatura erant.

Et sane in primis certum est Jesum in horto talem sustinuisse agoniam ut haec per se solam posset mortem producere. Hanc agoniam, quae non fuit *moralis* tantum, sed et physica, subsecuta est adeo ingens *hemathydrosis* ut, testante Luca,[2] sudor Christi factus sit *sicut guttae sanguinis decurrentis in terram.*

Durissimam in horto agoniam exceperunt tormenta et injuriae quas Jesus per totam noctem pertulerat,[3] flagellatio, quae crudelissima fuit, quaeque per se solam mortem

---

[1] S. Aug., *Contra Faust.*, XXXIII, 7.

[2] Luc., XXII, 43-44. Nonnulli artis criticae nomine et praetextu in dubium ponunt horum versiculorum authentiam, quam nihilominus eruditissimi nostrae aetatis critici acriter defendunt ad nihilum redigentes adversariorum difficultates. Cf. Baraban, *Dict. de la Théolog. cath.*, tom. I, col. 621-624.

[3] Marc., XIV, 65; Luc., XXII, 63.

afferre poterat,[1] cum numerus verberum supra modum usitatum sit superatus.

Huic durissimae poenae milites addiderunt spineam coronam,[2] quae tormentorum vim augebat. Insuper Jesus coactus fuit, crucem suam suis humeris efferre ab *Antonia* ad Calvarium, donec milites (ne citius moreretur) Simoni Cyrenaeo illam imponebant.[3]

Denique cruci, more romanorum, clavis affixus est.[4]

Hujusmodi supplicium quod, ut refert TULLIUS,[5] *crudelissimum teterrimumque* erat, omnia renovavit tormenta jam antea a Christo tolerata, ita ut mors necessario sequi debuisset.[6]

Per tres horas Jesus in cruce pependit, deinde *inclinato capite tradidit spiritum.*

Neque aliter evenire poterat, quia omnia tormenta quibus Jesus suppositus fuit, nequibant ab ipso tolerari, jam nimium debilitato. Et quamvis generatim loquendo per duodecim horarum spatium possit crucis supplicium durare, nihilominus haud raro fiebat ut homo crucifixus ante id temporis spiritum emitteret, quia saepe, post unam vel alteram horam a crucifixione, evenit ut aliquod vas *cerebrale* vel *cardiacum* rumpatur et ita patiens a tormentis liberetur. Id evenisse etiam de Christo omnes physiologi moderni admittunt, quibus RENAN et RÉVILLE subscribere non dubitant.[7]

His adde quod quum venerunt milites, ut viderunt Jesum jam mortuum, unus militum ut tentaret utrum Chri-

---

[1] Cf. CICER., *In Verrem*, V, 54; JOSEPH. FLAV., *De Bello Judaico*, l. VI, c. V, n. 3.

[2] MATTH., XXVII, 29.

[3] MATTH., XXVII, 32.

[4] JOANN., XX, 25 sq. Cf. LUC., XXIV, 39-40.

[5] Cf. CICER., *In Verrem*, V, 64.

[6] Cf. LE CAMUS, *Vie de N. S. J. C.*, t. I, p. 549, in nota: WISEMAN, *Discours sur les rapports entre la science et la religion révélée*, 5ª Disp., pp. 191 sq.

[7] Cf. RENAN, *V. de Jésus*, p. 425; RÉVILLE, *Jésus de Nazareth*, t. II, p. 412-427.

stus jam mortuus esset, aut eum occideret si nondum esset mortuus, lancea latus ejus aperuit (λόγχῃ αὐτοῦ τὴν πλευρὰν ἔνυξε) *et continuo exivit sanguis et aqua.*[1]

Notandum est quod haec circumstantia quae ab Evangelista refertur, nempe quod aqua cum sanguine exivit, ostendit hastam Christi *pericardium* perforasse. Quia, utar verbis Friedlieb,[2] *il y a dans le péricarde une substance qui se résout en eau dès que cette enveloppe est percée, ou en général dès que la température du corps s'abaisse. Habituellement cette substance existe en très petite quantité, mais les tortures que le Christ avait subies préalablement jointes à la chaleur de fièvre qui le consummait, suffisaient, de l'aveu des médicins, à accumuler une telle quantité de cette humeur dans le* cavum thoracis, *que son écoulement fut visible aux yeux des témoins de cette lugubre scène.*

In omni tamen casu, certum est hujusmodi vulnus de se sufficere ad mortem immediate causandam.[3]

Denique Christus aromatibus et unguentis conditus fuit et in caverna petrae sepultus, cujus ostium ingens saxum claudebat, ibique mansit a vespere feriae sextae usque ad auroram post Sabbatum.

Haec omnia satis superque ostendunt Christum mortuum fuisse, neque contrarium admitti posse, nisi absurda admitti velint.

526) Quod si aliquando factum est ut crucifixus, mature a cruce depositus a morte sit liberatus,[4] hoc solum evenit diligentissimâ adhibitâ curâ,[5] quae certe Jesu adhibita non fuit.

---

[1] Cf. Joann., XIX, 32 sq. Nonnulli opponunt verbum ἔνυξε (aperuit) significare leve vulnus. Sed perperam quia verbum νύσσειν saepe profundam perforationem designat, ut desumi potest ex pluribus exemplis a Bretschneider in suo lexico (h. v.) adductis. Insuper difficultas cadit si consideremus formam quam hasta romanorum habebat (cf. Friedlieb, *Archéologie de la Passion*, p. 208.

[2] Op. cit., p. 209-210.

[3] Cf. Goix, *Le miracle*, p. 69.

[4] Cf. Herod., VII, 194.

[5] Cf. Flav. Joseph, *Vita*, 175.

527) 2°) *Argumenta moralia.*

Quod Jesus non sit mortuus neque milites, etiam illi qui ad custodiam sepulcri positi fuerant, neque *Synedritae*, neque Apostoli, neque piae feminae dubitarunt.

Mortem Jesu apertissime testantur Evangelistae[1]; pariter qui vidit testimonium perhibuit, ita Apostoli, ita milites cum Centurione qui hujus rei rationem reddere debebant[2]: *Pilatus autem mirabatur si jam obiisset. Et accersito Centurione, interrogavit eum si jam mortuus esset. Et cum* COGNOVISSET *a Centurione, donavit corpus Joseph.*

Ita Principes Sacerdotum et Pharisaei, qui certe non acquievissent si vel minimum de morte Jesu dubium habuissent[3]; quique postulant *custodiri sepulcrum usque in diem tertium: ne forte veniant discipuli ejus, et furentur eum, et dicant plebi: Surrexit a mortuis.* Qui denique, custodiâ obtentâ, *abeuntes, munierunt sepulcrum, signantes lapidem, cum custodibus.*

Mortem Jesu pariter testantur JOSEPH AB ARIMATHAEA et NICODEMUS qui venerant ad Jesum nocte primum ferentes mixtum myrrhae et aloes, quasi libras centum; quique acceperunt corpus Jesu, et ligaverunt illud linteis cum aromatibus, sicut mos est Judaeis sepelire.[4]

His adde quae secum invicem discipuli Emmaus petentes dicebant[5]: *Nos autem sperabamus quia Jesus esset redempturus Israel: et nunc super haec omnia, tertia dies est hodie, qnod haec facta sunt.*

Denique cura quam Pharisaei et Sacerdotes habent, statim ab accepto de Christi resurrectione nuncio, ut dicatur Jesum fuisse a discipulis furatum dum milites dormirent, ostendit Christum reapse fuisse mortuum[6]: *Ecce quidam de custodibus venerunt in civitatem et nuntiaverunt*

---

[1] Cf. MATTH., XXVII, 50; MARC., XV, 37; LUC., XXIII, 46; JOANN., XIX., 30.

[2] Cf. MARC., XV, 39, 44-45.

[3] Cf. MATTH., XXVII, 63.

[4] Cf. MATTH., XXVII, 57-61; MARC., XV, 42-47; LUC., XXIII, 50-56; JOANN., XIX, 38-42.

[5] LUC., XXIV, 20-21.

[6] MATTH., XXVIII, 11-15.

principibus sacerdotum omnia, quae facta fuerant. Et congregati cum senioribus consilio accepto, PECUNIAM COPIOSAM *dederunt militibus, dicentes: Dicite quia discipuli ejus nocte venerunt, et furati sunt eum, nobis dormientibus. At illi accepta pecunia, fecerunt sicut erant edocti. Et divulgatum est verbum istud apud Judaeos.*

Itaque, cum PESCH[1] concludimus: *etsi hi testes nihil aliud dicerent nisi Jesum a Romanis fuisse morte affectum, secundum regulas scientiae historicae iis credendum esset: nam est testimonium de re, quam scire poterant et quam scire eorum plurimum intererat, et est testimonium unanime. Unde si huic testimonio fidem negare liceret, non jam ullum factum historicum in tuto locatum esset.*

528) Haec satis esse possent ad probandum quod de facto Christus mortuus est.

Placet tamen addere, quae legimus, testimonia quorundam veterum scriptorum profanorum.

Extat in primis FLAVII JOSEPHI[2] testimonium. *Eo etiam tempore,* ipse scribit, *fuit Jesus, vir sapiens, si tamen virum eum appellare fas est. Fuit enim mirabilium operum effector, magister hominum, qui verum cum voluptate accipiunt, multosque Judaeos, multos item Gentiles ad se pellexit. Hic erat Christus, quem Pilatus, ab hominum nostrorum primis delatum, crucis supplicio addixisset, eum tamen amare non desierunt, qui primum amaverant. Apparuit enim in tertio die redivivus, divinis vatibus et haec et mille alia de eo miranda effatis; atque ab eo denominata Christianorum natio durat usque ad hunc diem.*[3]

Eandem veritatem testantur TACITUS[4] et PLINIUS.[5]

---

[1] Op. cit., p. 117, n. 199.

[2] *Antiquit.*, l. XVIII, a. III, n. 3.

[3] Hoc testimonium ab aliis spurium, ab aliis interpolatum dicitur. Immerito tamen, quia in omnibus manuscriptis invenitur, et veteres Scriptores ut ecce EUSEBIUS (*H. E.*, l. I, c. 11), S. AMBROSIUS, et alii plurimi illud referunt. Cf. *Literatr. Rundschau*, 1890, p. 362; *Zeitschr. für Kath. Theol.*, 1890, p. 512.

[4] *Annal.*, XV, 44.

[5] Lib. X, epist. 96.

529) B) *Argumenta indirecta.*

α) Ad solvendam difficultatem a Goix, Weber et Towshend propositam qui putant Christum mortem simulasse per momentaneam eamque voluntariam motuum cardiacorum suspensionem, respondemus hanc suspensionem non posse ad dimidium horae produci sine certo mortis periculo, uti didicimus ex experientia a Towshend facta, qui cum ultra pauca minuta protraxisset motuum praefatorum suspensionem, miserrime obiit.

Porro Christus ab emisso extremo spiritu usque ad depositionem in sepulcro, mansit in cruce plus quam dimidium horae. Hinc si ipse mortem simulasset per respirationis suspensionem, certe obiisset eo quod debuisset ad tempus nimium longum hanc suspensionem protrahere.

530) β) Neque potest sustineri hypothesis illorum qui duce Paulo Gottlob autumant Christum apparenter obiisse sed solum deliquio vel syncope correptum fuisse, a qua tandem vi juvenilis vigoris et virtute unguentorum ac sepulcri tepore excitatum fuisse, quia *historice* constat quod Pilatus tunc solum permisit Jesum sepeliri quum de ejus morte certior factus est non a discipulis, sed ab ipso Centurione, qui jam viderat Jesum mortuum et lanceâ in latere perforatum. Insuper adversariorum hypothesis est *physice* impossibilis attentis cruciatibus quibus Jesus ante crucifixionem suppositus fuerat, et praesertim si prae oculis habeatur quod vulnus a lancea infixum immediate mortem producere debuisset.

His addatur quod *syncopes* ipsa quae tot subsequitur tormenta est de se causa mortis, uti communi consensu physiologi admittunt. Aromata vero et calor sepulcri potius quam a syncope, excitare debuissent Christum, si jam mortuus non esset, suffocare ob nimiam ipsorum quantitatem ei impensam. Sibi proinde Christiani nominis osores contradicunt, cum alii dicant Christum fuisse a vigore aromatum excitatum, alii vero affirment fuisse ab aromatibus occisum.

Hanc hypothesim Réville[1] excludit, quia, sunt ejus

[1] *Jésus de Nazareth*, t. II, p. 455.

verba, *n'est qu'un tissu d'invraisemblances matérielles et morales.*

531) Et re quidem vera, haec theoria, non solum *materialiter* repugnat, sed et *moraliter* absurda est; quia supponeremus Christum deceptorem fuisse exhibendo se vere a mortuis suscitatum, dum revera mortuus non erat. Insuper nemo posset explicare quomodo Apostoli et discipuli, qui ante suppositam resurrectionem timidi erant et tardi ad credendum, statim facti sint fortes et strenui; quod certe non evenisset si Christus vires et vitam recuperasset non repente, sed paulatim et post diligentem curationem, quae certe necessaria fuisset si vera esset Pauli et ejus asseclarum opinio.

Ad rem notat Strauss[1]: *Impossibile est hominem semimortuum a sepulcro egressum, debilem ex infirma valetudine, medico, vittis, medicinis, curâ egentem et dolore corruentem, dedisse discipulis animi persuasionem se esse mortis sepulcrique dominatorem, vitae Principem; quae tamen persuasio in eis apostolicum ministerium gerentibus altas radices egisse apparet. Hujusmodi resurrectio animi persuasionem ex ejus vita et morte conceptam, in eis debilitasset, aut saltem elegiacam reddidisset; sed eorum tristitiam in enthusiasmum neque eorum reverentiam in cultum minime convertisset.*

Tandem non explicatur quomodo Jesus semimortuus lapidem sepulcri revolverit, cur custodes eum non apprehenderint, cur Judaei et Romani eum impune abire passi sint. Quare merito haec hypothesis ab omnibus criticis hodie relicta est, et risu excipitur.

532) γ) Eâdem fere ratione rejicitur hypothesis de somno cataleptyco; quia non potest admitti paritas inter mortem Christi et somnun Fackirorum, cum inhumatio Fackirorum sit experientia quae difficulter praeparatur, difficilius exequitur, difficillime obtinetur; exigit enim complexum multiplicium conditionum, quae pro Jesu nullimode existebant.

---

[1] *Leben Jesu*, vol. I, 398.

Corpus Fackirorum nullum praeserfet vulnus vel corruptionis signum; e contra nulla erat in corpore Christi sanitas.

Fackiri nequeunt se per se ipsos a somno excitare, et ut possint denuo vitae functiones sumere exquirunt quamplurimas easque exquisitissimás curas. Haec omnia in Jesu non sunt verificata.

Tandem Fackiri in sepulcrum adhuc viventes descendunt; dum e contra Jesus fuit in sepulcro depositus praeseferens omnia mortis indicia.

Ergo etiam haec hypothesis nullius roboris est ad denegandam mortem Christi.

533) PROBATUR III PARS.. — *Christus vere resurrexit.*

A) *Argumenta directa.*

1° Jesum a mortuis surrexisse in primis testantur Apostoli et Evangelistae, referentes apparitiones Christi factas non uni vel alteri discipulo, sed omnibus et quidem pluribus in locis; ita ut saltem undecim apparitiones numerari possint.

Referunt enim Christum apparuisse Mariae Magdalenae;[1] mulieribus a sepulcro redeuntibus;[2] Simoni Petro;[3] duobus discipulis euntibus in Emmaus;[4] Apostolis omnibus, excepto Thoma, in coenaculo congregatis;[5] eisdem denuo una cum Thoma ibidem coadunatis et quinque Apostolis et duobus discipulis ad mare Tiberiadis;[6] undecim Apostolis qui abierant in Galilaeam;[7] quingentis fratribus simul congregatis;[8] Jacobo, fratri Domini;[9] undecim Apostolis in Jerusalem, quos in Bethaniam una cum discipulis

---

[1] MARC., XVI, 9; JOANN., XX, 11-18.
[2] MATTH., XXVIII, 9-10.
[3] LUC., XXIV, 34; *I Cor.*, XV, 5.
[4] LUC., XXIV, 15-35.
[5] LUC., XXIV, 36-43; MARC., XVI, 14; JOANN., XX, 19-23; *I Cor.*, XV, 5.
[6] JOANN., XXI, 1-24.
[7] MATTH., XXVIII, 16 sq.
[8] *I Cor.*, XV, 6.
[9] *I Cor.* XV, 7.

eduxit, et videntibus illis, ascendit in coelum;[1] tandem apparuit Paulo prope Damascum,[2] eumque convertit.

534) Hujusmodi autem apparitiones tales erant ut omne dubium excluderent quod moveri posset circa realitatem resurrectionis, quia Jesus apparens Apostolis cum ipsis conversatus est, manducavit, ut ipsae Sacrae Literae testantur:[3] *Quibus et praebuit seipsum vivum post passionem suam in multis argumentis, per quadraginta dies apparens eis et loquens de regno Dei.*

535) Modo quaerimus de valore historico harum narrationum, utrum ipsae fide dignae sint an non.

Primum testimonium et hoc praecipuum quod adduci potest pro veritate historica eorum quae de Christi resurrectione narrant Evangelistae, invenimus apud Paulum. Ipse in *Epistola ad Corinthios*[4] haec habet: *Notum autem vobis facio evangelium, quod praedicavi vobis.... tradidi enim vobis in primis, quod et accepi: quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris secundum scripturas. Et quia sepultus est, et quia resurrexit tertia die secundum scripturas: et quia visus est Cephae, et post hoc undecim: deinde visus est plus quam quingentis fratribus simul: ex quibus multi manent usque adhuc, quidam autem dormierunt: deinde visus est Jacobo, deinde Apostolis omnibus. Novissime autem omnium tanquam abortivo visus est et mihi.*

Igitur S. Paulus affirmat se per traditionem accepisse quod Jesus resurrexit, et hanc traditionem aliis communicat veluti traditionis depositarius.

Quandonam S. Paulus haec scripsit? Certe post fundationem Ecclesiae Corinthiorum quae, juxta Harnack,[5] fundata est anno 48 p. C. N. Porro Paulus ad fidem conversus, ut ipse Harnack opinatur, anno qui Christi mortem

---

[1] Marc., XV, 19; Luc., XXIV, 50-52; *Act.*, I, 1-15.

[2] *Act.*, IX, 3, sq.; *I Cor.*, XV, 8.

[3] *Act.*, I, 3.

[4] XV, 1-8.

[5] *Geschichte der Altichrist Literatur*, II, I; *Chronologie des Paulus*, 232-239.

proxime subsecutus est, statim sibi persuasit Christum resurrexisse a mortuis.

Quomodo autem hanc persuasionem suam efformaverit, nempe per diligentem inquisitionem circa traditionem quam acceperat, ita refert: *Post annos tres*, inquit, *veni Jerosolimam videre Petrum, et mansi apud eum diebus quindecim....*[1] *deinde post annos quatuordecim iterum ascendi Jerosolimam cum Barnaba..... ascendi autem secundum revelationem: et contuli cum illis Evangelium, quod praedico in gentibus, seorsum autem iis, qui videbantur aliquid esse; ne forte in vacuum currerem, aut cucurissem.*[2]

Ex hisce Pauli verbis didicimus traditionem circa Christi resurrectionem Jerosolimis inde a primis Christianismi annis viguisse, ipsamque in imperium Romanum translatam fuisse.

536) Id clarius determinatur per verba quae leguntur in epistola prima S. Pauli *ad Corinthios*[3] ubi legimus non in dubium vocari Christi resurrectionem; sed tantum dubium esse apud ipsos circa futuram hominum resurrectionem. Quare Apostolus ut hoc dubium removeat ostendit intimam esse connexionem inter Christi et futuram hominum resurrectionem, pariterque ad statum certitudinis elevat fidem in Christi resurrectionem.

537) Quaeri tamen potest quomodo S. Paulus certo scive erit Christum a mortuis surrexisse. Nonnulli critici opinati sunt prophetias fuisse fundamentum cui Paulus innixus ad fidem in resurrectionem devenit, ita ut haec fides nihil aliud esset quam consequentia logica ex Sacrae Scripturae exegesi deducta. Verum haec hypothesis est absoluta rejicienda, quia S. Paulus loquens de Christo, postquam haec affirmavit, scilicet 1°) Christum mortuum esse pro peccatis nostris secundum Scripturas; 2°) sepultum esse; 3°) surrexisse tertia die secundum Scripturas; 4°) apparuisse Cephae

---

[1] *Epist. ad Galatas*, I, 28.
[2] Ibid., II, 1-2.
[3] XV, 12 sq.

et postea undecim; sollicitus est ut ostendat hoc nuncium a *traditione* accepisse seque hanc *traditionem* fideliter ad alios transmittere.

Alii autem dicunt determinationem temporis in quo resurrectio evenit esse postulatum theologiae messianicae desumptum ex verbis Oseae,[1] et proinde excludendam esse a traditione cujus Paulus est testis.

Verum quamvis non negemus Apostolos sollicitos fuisse ut ostenderent Christi actiones et opera cum Veteris Testamenti effatis et vaticiniis relationem habuisse, nihilominus erronee neo-critici contendunt determinationem temporis ad tertium diem fuisse ab Osea mutuatam, tum quia haec relatio cum verbis Oseae prorsus Patribus ignota erat, vel saltem ab ipsis non fuit unquam in suis scriptis memorata,[2] tum etiam quia, ut notat Rose[3]: *S. Paul a trouvé cette date déjà investie de sa preuve scripturaire.* Et hujus affirmationis Rose hanc addit rationem: *Il nous répugne de croire qu'il l'ait créé de toutes pièces d'après un* a priori *incertains. La foi au resuscité du troisième jour est établie sur un fait, et n'est pas le résultat d'une théorie. Il l'a trouvé dans la tradition comme les autres faits dont il parle.*[4]

Proinde est factum historicum Christum non-solum surrexisse, sed etiam surrexisse tertia die, non vero conclusio theologica. Utrumque factum Paulus a traditione accepit cum suum recepit evangelium, suamque praedicationem cum Petri doctrina comparavit.

538) Alia exurgit difficultas circa Pauli testimonium. Quaeritur enim utrum Paulus dicat Christum tertia die surrexisse et apparuisse Petro, vel affirmet apparitiones fuisse tempore posteriores ipsi resurrectioni?

Quin solliciti simus utrum Paulus referat traditionem Judaicam vel Galilaicam, respondemus Paulum affirmare

---

[1] VI, 2. Cf. IV *Regum*, XX, 5.

[2] Cf, Looft, *Die Auferstehungsberichte und hir Wert.* Leipzig, 1898, p. 11.

[3] Op. cit., p. 287.

[4] Cf. Rohrbach, *Die Bericte über die Auferstehung Jesu Crist.*, p. 4.

Christi resurrectionem, et ad hoc probandum, Christi recolere apparitiones. Quod si Paulus non omnes refert Christi apparitiones, certe ejus silentium circa nonnullas non est interpretandum veluti facti negationem, quia ipse refert apparitiones juxta ordinem chronologicum, et eas tantum memorat quibus donati sunt testes officiales resurrectionis Christi a Deo electi, et Apostoli quibus tantum hujusmodi titulus competebat juxta verba Actorum[1]: Christum *Deus suscitavit tertia die et dedit eum manifestum fieri non omni populo, sed testibus praeordinatis a Deo: nobis qui manducavimus et bibimus cum illo postquam resurrexit a mortuis.*

Hinc est quod Paulus silentio praeterit apparitionem quam Emmaus discipuli habuerunt, quia ipsi non erant testes praeordinati a Deo. Pariter silet de apparitionibus quibus mulieres donatae fuerunt, ne apud Corinthios miraculi tam insignis minueret valorem.

Proinde Paulus ea tantum refert quae *officialiter* nota erant Jerosolimis, traditionem transmittit quin eam interpretetur vel quomodocumque adulteret corrumpatque. Igitur ea quae narrat non sunt constructionis theologicae consectarium, neque prophetiarum accommodationes, sed omnia derivant ex inquisitione peracta apud eos qui facta probe noverant quique suis ipsi oculis ea conspexerant. *L'idée*, utar verbis Rose,[2] *n'a pas créé le fait, puisque la foi en Jésus Messie n'a pas été anterieure et préexistante à la certitude de la résurrection. Pour lui, comme pour tous les Apôtres, Jésus a été démontré Christ et Fils de Dieu par sa victoire du jour de Pâque.*

539) Quod autem narratio resurrectionis quam Apostoli et Evangelistae perficiunt plenam mereatur fidem, non solum ostenditur ex Pauli testimonio, sed etiam ex eo quod ipsi erant *testes* fide digni, siquidem omnibus praefulgebant dotibus quae ad moralem certitudinem desiderantur; quia erant homines simplices, honesti, Deum timentes, non

[1] X, 40.
[2] Op. cit., p. 293.

creduli neque fraudibus et hallucinationibus obnoxii, ita ut initio mulieribus nunciantibus Christi resurrectionem credere noluerint,[1] et in ipsas Christi apparitiones tunc solum fidem praebuerint postquam eum palparunt eumque secum ipsis comedentem conspexerint.

Ad omne autem dubium removendum opportune se se offert Thomae incredulitas, quae tunc solum remota est, quando ipse ponere potuit digitum in latus Christi perforatum.[2]

540) Neque fraus et decipiendi studium in Apostolis deprehendi potest, tum quia impossibile est supponere eos, qui si Christus non surrexisset decepti fuissent, velle adhuc post deceptionem Christi resurrectionem praedicare, etiam cum ipso vitae discrimine, tum quia etiamsi unus vel alter Apostolorum decipi potuit, vel decipere voluit, certe non potest supponi eandem fuisse omnium conditionem et studium.

Ad rem arguit S. Joannes Chrysostomus[3]: *Si mortuus fuisset Christus neque resurrexisset, qui fieri potuisset, ut qui, dum superstes esset, ob periculum imminens fugerant, eo jam vita functo, propter illum mille periculis seipsos obiicerent? Ac ceteri quidem omnes fugerant, Petrus vero etiam cum juramento ter illum negavit. Et qui ter illum cum juramento negaverat, et vilis ancillae fuerat timore perculsus, posteaquam obierat, nobis rebus ipsis volens fidem faeere, se suscitatum illum a mortuis vidisse, sic repente mutatus est, ut integrum populum aspernaretur, et in medium theatrum prosiliret, atque in coelos ascendisse, neque se mali quidpiam reformidare. Unde igitur factum erat, ut adeo confidens esset? Non aliunde sane, quam ex eo, quod de resurrectione certior factus esset.*

541) Aliud argumentum desumimus *ex adjunctis* quibus Apostolorum firmatur testimonium, nempe ex sepulcro

---

[1] Luc., XXIV, 11.

[2] Joann., XX, 25.

[3] *In principio Actor. hom.*, 4, n. 8.

Christi quod vacuum repertum fuit. Nemini dubium Christum sepultum fuisse; sed tertia die a Christi obitu vacuum repertum fuisse sepulcrum, quare Judaei ad hoc factum explicandum eo confugerant ut dicerent corpus fuisse a discipulis sublatum.[1] Quod effugium veluti ridiculum et inutile hisce verbis reprehendit S Augustinus[2]: *Vere tu ipse obdormisti*, inquit, *qui scrutando talia effecisti. Si dormierunt* (milites) *quid videre potuerunt? Si nihil viderunt, quomodo testes sunt?*

542) Denique validius argumentum ad Christi Domini resurrectionem probandam desumimus ex studio quo, omni aetate, Christiani nominis osores conati sunt explicare hoc miraculum, vel negando Christi mortem, vel supponendo Christi corpus fuisse a sepulcro sublatum, vel Apostolos discipulosque hallucinatos fuisse, vel alia quacumque naturali ratione explicando Christi apparitiones.

Quare cum nullum aliud factum tot pro se habeat attestationes sicut Christi resurrectio, concludimus hisce Wilkmar[3] verbis: *Que nous le comprenions de telle ou telle manière, ou que nous ne le comprenions pas du tout, ou que jamais nous ne puissions le comprendre, le fait que Jésus le crucifié est apparu en gloire à ses disciples, est l'un des plus certains de l'histoire du monde*

543) Quaeri ulterius potest utrum Evangelistae referentes Christi resurrectionem ab unico fonte hujusmodi hauserint notitiam?

Marcus et Matthaeus videntur suas narrationes a fonte Galilaica desumpsisse; juxta ipsos enim Jesus se manifestat redivivum in Galilaea; Joannes et Lucas e contra primas Jesu apparitiones in Judaea evenisse referunt, quo fit ut a fonte Judaica videatur deprompta ipsorum narratio.

Ex hisce tamen apparentibus inter Evangelistas contradictionibus nihil potest argui contra veritatem narratio-

---

[1] Matth., XXVIII, 13-14.

[2] S. Aug., *In psalm.* 62.

[3] *Die Religion Jesu*, p. 76.

nis et resurrectionis historicitatem; quia utramque narrationem secum invicem componere possumus si consideremus MATTHAEUM et MARCUM locutos esse de apparitionibus in Galilaeâ factis ob fines particulares, attentis circumstantiis temporis et loci et fine ad quem sua dirigebant Evangelia.

Re quidem vera MATTHAEUS[1] cum finem ponit suo Evangelio, referens verba Angeli mulieribus nunciantis resurrectionem Christi, id intendit ut nobis proponat Christum veluti Dei legatum missionem suam et quae praedixit adimplentem, tum per mortem, tum per resurrectionem suam.

MARCUS vero cum id intendat ut scilicet Haebraeis persuadeat Christum esse Messiam, ipsosque nimium incredulos et duros corde se ostendere, recolit apparitiones Christi quae in Galilaea evenerunt, quo Christus adeundi jussionem fecit Apostolis, ut ibi, Evangelium a Judaeis repudiatum praedicarent.

Hisce finibus intendentes MARCUS et MATTHAEUS non destruunt veritatem facti a LUCA et JOANNE relati, quod scilicet Christus primitus in Judaea se redivivum conspiciendum obtulit.[2]

544) B) *Argumenta indirecta.*

a) Negamus Apostolos fuisse *deceptos* vel annunciantes Christi resurrectionem, si de facto non evenisset, vel furando ejus corpus, quia id repugnat Apostolis, quos viros simplices et honestos ostendimus fuisse, eisque proinde gratis tanta fraus affingitur. Id pariter repugnat ex eo quod ipsi fuerunt timidi et per mortem Jesu quasi in desperationem adducti: absurde proinde ipsis adscribitur talis audacia, quae ob potestatem et odium inimicorum Christi omnino impossibilis erat.

Neque hac in REIMARI hypothesi unquam explicare licebit vel quomodo Apostoli corpus Christi furari potuerint, quia tales aderant circumstantiae, quae furtum impossi-

---

[1] XXVIII, 16.

[2] Cf. ROSE, op. cit., p. 298 et seq.

bile reddebant; vel quomodo religio in mendacio fundata mundum renovaverit.[1]

Denique animadvertimus cum Droz[2]: vel Apostoli fidem habuerunt in Christi resurrectionem proxime futuram, vel non. Si crêdebant quod Christus resurrecturus esset, inutiliter se exposuissent periculo ad quod occurrebant furando Christi corpus, poterant enim expectare utrum Christus esset post triduum resurrecturus.

Si vero Apostoli credebant resurrectionem impossibilem fore, certe judicassent se deceptos fuisse a Magistro: proinde vel fugere debuissent ab oculis Judaeorum, vel veniam petere ob fraudem, cui praeter culpam, in casu participassent.

In omni autem hypothesi semper cadit suppositio adversariorum, quae merito ab omnibus rejicitur.

545) b) Neque dicere possumus Apostolos hallucinatos fuisse. Et sane qui id affirmant supponunt Apostolos expectasse Christi resurrectionem, quam de facto non expectasse arguere possumus ex iis quae evenere tum ante, tum post mortem Christi. Scimus enim Apostolos et discipulos, paucis exceptis, reliquisse Jesum statim ac fuit captus in horto; post mortem constat ipsos hoc unum curasse ut scilicet corpus Jesu unguentis et aromatibus condirent. Pariter tam mulieres, quam Apostoli, quam alii discipuli postquam viderunt Christum redivivum, putarunt se ab imaginatione deceptos, maximam ostendentes diffidentiam, quae certe non probat enthusiasmum, sed frigidam mentem, quae non credit nisi solida praebeantur argumenta.[3]

---

[1] Cf. Strauss, *Leben Jesu*, II, 685; Greg, *Creeds of Christendum*, vol. II, p. 154; Bruce, op. cit., p. 385; Pesch, op. cit., p. 120; Tanquerey, op. cit., p. 207.

[2] *Pensées sur le Christianisme*, pp. 37-39. Cf. Bourdaloue, *Sermon sur la Résurrection de J. C.*, 1er point.

[3] Cf. Luc., XXIV, 11, 36; Matth., XXVIII, 17; Joann., XX, 24 sq. Cf. etiam Rose, op. cit., p. 288-289; Wilmers, op. cit., p. 376; Chauvin, op. cit., p. 40 sq.

Ex hac diffidentiâ discipulorum arguere licet quid sentiendum sit de opinione Stapfer qui resurrectionis notitiam non realitati eventus, sed Judaeorum tribuit credulitati, quia si qui Christum amabant de veritate resurrectionis ejus dubii erant, multo magis hoc dubium premere debuisset eos qui Christum oderant morteque affecerant. Immo ipsi potius quam credere in Christi resurrectionem, si de facto ipsis non evenisse constasset, videntes Christi sepulcrum vacuum, rigide inquisissent ubinam corpus absconditum lateret, ultionemque sumpsissent de Apostolorum fraude. Hoc autem non evenisse constat, non ob ipsorum credulitatem, sed quia facti veritas id vetabat.

546) Insuper hypothesis hallucinationis cadit, si prae oculis hallucinationis ipsius notio habeatur. Hallucinatio enim nihil aliud est quam *sensatio qua absente obiecto sensus afficiuntur*: obiectum proinde hallucinationis fictitium est, neque potest tangi vel quocumque alio modo materiali sensibus supponi.

Porro si Apostoli, putantes se Christum redivivum videre, hallucinati fuissent, quomodo potuissent eum tangere, vel cum ipso manducare?

Hypothesis adeo inanis est ut superfluum sit diutius in ejus confutatione immorari.

547) Ceterum et alia adsunt adjuncta ob quae hallucinationem excludere cogimur. In primis ex *natura* apparitionum id constat. Agitur enim non de confusa et transitoria apparitione, sed de clara visione, diuturna et saepe repetita diversis locis et temporibus, eâque per minutissimas circumstantias determinata.

His addendum est hallucinationes gradatim evanescere, et cessantibus illusionibus, hallucinatos ad statum normalem redire. E contra Apostoli postquam, transactis diebus quadraginta, viderunt Jesum in coelum ascendentem, majore fide et amore Christum prosequuti sunt, quod evidentissime ostendit ipsos non illusione, vel enthusiasmo deceptos fuisse.

Etiam *numerus* et *qualitas* testium hallucinationem excludit. Christus enim conspicitur non solum a mulieribus,

sed ab Apostolis vel singillatim, vel simul adunatis, a discipulis, a quingentis fratribus pluries et variis in locis.

Cum autem, uti monuimus, hallucinatio minime respondeat *obiectivae* rei veritati, qui hallucinatur, vel sequitur unius sensus judicium, vel etiam falsae apprehensioni sensus conjungitur mentis turbatio.[1]

Certe non possumus dicere Apostolos fuisse amentes, quia hujusmodi suppositio nequit sustineri, attentis ipsorum caractere, loquendi agendique ratione.[2]

Neque possumus dicere hallucinatos fuisse, quia *hallucinatio collectiva* repugnat. *Ce qui est facilement possible pour un*, animadvertit PORRET,[3] *serait difficile pour plusieurs, et devient positivement absurde pour un grand nombre. On fouillerait les annales de la follie, sans rien trouver qui permette d'emettre une telle contagion.*

548) Haec quae diximus satis superque esse confidimus ad refellenda neo-rationalistarum sophysmata quibus conantur explicare Christi resurrectionem per recursum ad hypothesim hallucinationis vel singularis vel collectivae.

Juverit tamen notare has hypotheses haud recentes esse, saeculo enim II easdem proposuit CELSUS cui ORIGENES lepide respondit: *Celsus,* inquit, *vult quosdam somniare vigilantes et inani opinione delusos sibi animo exhibere, quae desiderent. Hoc quidem per somnium fieri, absurdum non est dicere; idem vero vigilantibus accidere, id non fit verisimile, nisi sint extra se et mente capti. Quamvis igitur Celsus vi-*

---

[1] Cf. Ad rem scribit GOIX (op. cit., p. 77): *Il sait que la sensation hallucinatoire ne correspond à aucune réalité objective présente. S'il croit à cette réalité, de deux choses l'une: ou il juge d'après le témoignage d'un seul sens, ou il a des troubles concomitants, et l'hallucination coesiste avec la follie.*

[2] GODET in *Commentario in Lucam* (tom. II, p. 592) recte animadvertit: *Il semble que le calme divin de Jésus domina les Apôtres et les fidèles. On connait les simptômes de surexcitation nerveuse, les cris, les gémissements, les crampes, les évanouissements qui ont si souvent signalé ce que l'on a appelé les réveils. Aucune trace de phénomènes semblables dans les églises de la Pentecôte.*

[3] Cf. PORRET, *Jésus-Christ est-il ressuscité ?*

siones de Jesu cum aliorum somniis, eosque qui Jesum viderunt post ejus resurrectionem, cum iis comparet, quos inania spectra ludificantur; nemo candidus et prudens res, quae ad Jesum pertinent, examinaverit, quin agnoscat, eas esse ceteris longe magis admirabiles.[1]

549) c) Venio nunc ad hypothesim *apparitionum pneumaticarum* quae invecta est ut quodammodo explicari possit *obiectiva* veritas apparitionum, cum non possit sustineri Apostolos hallucinatos esse. Hujus hypothesis fautores, uti superius innuimus, affirmant visiones, quibus Apostoli donati sunt esse ejusdem naturae ac apparitiones quas Paulus habuit, uti desumi potest non solum ex verbis *Actorum* (IX, 1-22; XXII, 1-21; XXVI, 9-20) ex *Epistola ad Galatas* (I, 14-15) sed praecipue ex verbis *Epistolae I ad Corinthios* (XV, 1-8) in qua describens apparitiones quas Apostoli habuerunt, affirmat et ipsi ultimo loco Christum apparuisse.[2]

Porro, dicunt adversarii, Paulus vidit Christum habentem corpus *spirituale* et *coeleste* sine ulla *materialitate*: proinde etiam Apostoli *visione pneumatica* donati sunt.

Sed haec difficultas multis occurrit inconvenientibus et absurdis conclusionibus.

In primis contradicit persuasioni quam Apostoli et ipse Paulus habebat, quae innotescit ex ipsis narrationibus quae prostant in Novo Testamento. Certum enim est omnes Apostolos et Discipulos ne dubium quidem vel minimum habuisse circa realem Christi resurrectionem. Joannes et cum eo alii Evangelistae id testantur in suis Evangeliis,[3] asserentes Jesum a discipulis de ejus resurrectione dubitantibus quaesiisse pisces et panem, et cum ipsis discubuisse et se palpandum praebuisse: *Quid turbati estis:.... Videte manus meas et pedes, quia ego ipse sum; palpate et videte; quia*

---

[1] *Contra Celsum*, l. II, n. 60, 62.

[2] *Novissime autem omnium tanquam abortivo, visus est et mihi.*

[3] JOANN., XXI, 1-24; XX, 27-29; LUC., XXIV, 38-45.

spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere. Et cum haec dixisset, ostendit eis manus et pedes.[1]

Ad Paulum autem quod attinet, notandum est ipsum distinctionem ponere inter diversas quas Christi habuit apparitiones. Nam ipse ait se primitus vidisse Christum ἐν ἐκστάσει; secundo nocte νυκτί; tertio δι' ὁράματος; in itinere vero ad Damascum dicit diversimode vidisse Christum, nempe *corporaliter* et *personaliter*: proinde Paulus qui plurimas habuit apparitiones asserit *una tantum vice vidisse Christum redivivum* novissime post reliquos Apostolos.[2]

550) Insuper adversariorum difficultas sustineri nequit, quia ipsi explicare non valent quomodo Apostoli, si resurrectio non fuisset *realis* et *corporalis*, potuerint loco apparitionum *spiritualium* et mere *internarum* ponere apparitiones *materiales, externas* et *corporales*. Proinde mentiti essent affirmantes se testes fuisse factorum materialium, quae nullimode evenissent. Merito notat Godet in opere citato[3]: *Voilà à quelles conséquences absurdes on aboutit pour envelopper de brouillard un fait patent qu'on ne veut pas voire: le fait de la résurrection* corporelle *de Jésus-Christ. Ce sépulcre vide sur lequel est fondée l'Église ne s'explique que par la libre sortie de Celui qui y avait été couché.*

551) d) Futilis pariter est opinio Weizsäcker et Martineau superius memorata[4], quia insufficiens est ad explicanda facta historice certa, quae Christi mortem subsecuta sunt: si enim Apostolis non apparuit Christus, nequit explicari mutatio quae in ipsis evenit, eos strenuos, impavidos et mortis contemptores efficiens, qui antea pavidi, et spe dejecti erant.

---

[1] Sabatier opponit has affirmationes inveniri tantum apud Lucam et Joannem: proinde retinendum esse quod isti sub *forma materiali* legendam retulerint. Sed difficultas cadit si consideretur has narrationes convenire cum iis quae Matthaeus et Paulus referunt. (Cf. Matth., XXVIII, 9; Paul., I *Cor.*, XV, 8; *Act.*, XXII, 17-21; XXIII, 11).

[2] Cf. etiam *Epist. ad Coloss.*, II, 9.

[3] Op. cit., tom. II, p. 597. Cf. Tanquerey, op.cit., p. 209-210.

[4] Vide paginam 398, n. 4.

Insuper haec opinio supponit Apostolos mendacii et fraudis reos fuisse, quod de Apostolis dici non posse superius ostendimus (n. 540).

552) e) Ratio vero qua Dupuis conatur explicare Christi resurrectionem, ingeniosa quidem est, sed nullo historico nititur fundamento: exploratum enim est Christum et Apostolos reapse extitisse, non vero fuisse coeli costellationes, ut ipse supponit, et ejus hypothesis iisdem refellitur argumentis quibus cadit systema mythicum Strauss et ejus asseclarum.

553) f) Quid vero sentiendum sit de opinione illorum qui dicunt resurrectionem Christi esse effectum *telepathiae* vel *teleplastiae* patet ex notionibus tum *telepathiae*, tum *spiritismi* superius (nn. 225, 270) traditis.

Scimus enim in *telepathiis* id verificari, nempe illum qui se conspiciendum per visionem tradit, numquam posse tangi et palpari, et unice personam cui fit apparitio, posse sensibilem aliquam impressionem pati. Porro Apostoli realiter corpus Christi tangere potuerunt, quod excludit id esse tribuendum *telepathiae* phoenomeno, per quod generatim solus sensus visus afficitur, et rarissime et exceptionaliter alii sensus afficiuntur. Nulla proinde paritas admitti potest inter Christi apparitiones et visiones telepathicas.

Neque Christi resurrectio dici potest *teleplastiae* effectus. Et sane ex notionibus spiritismi didicimus illud phoenomenon, quod vulgo, *materializzazione dello spirito*, appellant, ut actuetur indigere *medio*. Insuper corpus quod apparet est corporis simulacrum, immo est pars corporis, ut ecce *manus*, vel *pes*, vel *caput*, vel *pectus*, nunquam integrum apparet et perfectum.

Quare nequeunt Christi apparitiones identificari cum hisce effectibus teleplasticis; Christus enim semper se ostendit ut integrum habens corpus, seque semper, ad dubia removenda, palpandum praebuit. Neque hae apparitiones quibus Apostoli adfuerunt, quaeque quamplurimae fuerunt, unquam adhibita *medii* interventione peractae sunt.

554) g) Ad Harnack opinionem quod attinet, notamus arbitrariam omnino esse distinctionem ab eo positam inter

nuncium et *fidem paschalem*, quasi haec illi originem dederit. Scimus enim fidem in futuram resurrectionem originem habuisse a sepulcro Christi, nempe a *nuncio paschali*, quod Christum reapse surrexisse referebat, et non vicissim.

Immo, ex iis quae superius disputavimus (n. 539), constat Apostolos nunquam potuisse, neque voluisse hoc nuncium divulgare, nisi reapse res se haberet uti ipsi referebant, quia, in hypotesi contraria, ipsi hoc fateri debuissent se a Christo fuisse deceptos. Ceterum haec opinio HARNACK, licet novis utatur formulis, reliquorum refert Rationalistarum commenta, iisdemque argumentis, ac illa respuenda.

555) h) Argumenta vero quibus LOISY quodammodo in dubium vocare videtur Christi resurrectionem, quam nihilominus ipse *fide* retinet, ex parte vera sunt, si quis quaerat *resurrectionis secutae* argumentum *directum* et *formale*, quia cum agatur de facto supernaturali, nequeunt *directa* et *formalia* argumenta adduci, quia supernaturalis ordo, qua talis, effugit sensuum constatationem.

Verum ut historica veritas resurrectionis probetur, sufficiunt argumenta indirecta, quae desumuntur ex factis quae Christi mortem secuta sunt, et ex qualitatibus moralibus, praesertim ex veridicitate eorum, qui resurrectionem evenisse testantur.

Factum praecipuum sunt ex una parte *apparitiones*, et ex altera *sepulcrum* quod *vacuum* repertum fuit.

LOISY affirmat relate ad apparitiones eas esse impressiones sensibiles, proindeque non esse testimonium adaequatum pro realitate mere supernaturali.

Huic conclusioni subscribere non possumus, quia in omni miraculo, licet ad ordinem supernaturalem pertineat, semper realitatem materialem invenimus, quae per sensus, per *impressiones sensibiles* constatari potest, quaeque nos manuducit ad constatationem ordinis supernaturalis effectus cuius nullam in rerum naturá invenimus causam. Certum nihilominus est hujusmodi *impressiones* sensibiles non esse testimonium adaequatum ordinis supernaturalis; sed nos non requirimus hanc adaequationem, quia non est

necesse quod omnes veritates probentur *directe* et *formaliter*; sufficiunt enim argumenta indirecta.

Haec argumenta indirecta aderant et quidem luculentissima: Christus enim quando se videndum et palpandum obtulit, *erat obiectum* quod naturaliter videri poterat, dummodo conspicientes ipsum sanos possiderent oculos et alios sensus. Neque status gloriae supernaturalis, quo Christus gaudebat, mutavit ejus corporis naturam, quod adhuc passionis referebat signa. Apostoli autem sani corpore et mente erant; recte proinde poterant se, de secuta resurrectione et de realitate corporis Christi quod videbant, certiores reddere; idque non semel, sed iterum iterumque perfecerunt. Pariter non erat in eis voluntas decipiendi, idque superius ostendimus; eorum proinde testimonium circa Christi resurrectionem maximam meretur fidem: ex rerum enim veritate, non vero ab impressionibus sensibilibus et mere subiectivis procedit.

Quod vero sepulcrum vacuum nihil probet falsum omnino est; nihil enim probaret si ostendi posset vel Apostolos, vel Christi adversarios, vel Judaeos furatos esse corpus Christi. Apostolos id non fecisse superius (n. 544) ostendimus; multo minus supponere debemus id fecisse Judaeos et Christi adversarios, quorum maxime intererat ne prophetia de resurrectione futura implementum haberet.

Qua de re concludere licet resurrectionem Christi esse quidem factum supernaturale, si ejus attendatur natura, cum naturaliter ad vitam nemo per vires naturae revocari possit, sed esse factum naturale quoad extrinsecam manifestationem resurrectionis ipsius, et proinde uti tale posse probari et confirmari per eadem argumenta, quibus reliqua facta historica probantur et confirmantur.[1]

556) i) Remanet ut quaedam innuamus de suppositis contradictionibus in quas dicuntur Evangelistae incidisse enarrantes Christi resurrectionem. Dicunt enim Scriptores Sacros haud concordes esse *quoad tempus*, quo ad sepulcrum

[1] Cf. Palmieri, op. cit., 37 sg.; Rose, op. cit. 271-234.

venerunt mulieres[1]; *quoad obiectum* quod mulieres viderunt; nam unius tantum Angeli meminerunt Matthaeus et Marcus, duorum Lucas et Joannes; *quoad modum*, quo discipuli acceperunt nuncium resurrectionis Christi. Secundum Marcum[2] mulieres de monumento exeuntes, timore perterritae *nemini quidquam dixerunt*; secundum Joannem[3] vero Maria Magdalene *cucurrit et venit ad Simonem Petrum et ad alium discipulum quem amabat Jesus* nuncians eis quod *tulerunt Dominum de monumento.*

Verum hae discrepantiae magis *apparentes*, quam *reales* dici possunt, easque diverso modo Exegetae conciliarunt.

Ceterum substantia facti unanimiter refertur ab omnibus Evangelistis, qui, ut superius monuimus, per obiectas antilogias confirmant veritatem suarum narrationum; quia, si fallere voluissent, ex condicto potuissent antilogias vitare.[4]

Hisce igitur omnibus perpensis concludimus Christum vere a mortuis surrexisse, et hoc factum esse praecipuum argumentum quo ejus legatio messianica probari possit.

557) Scholion. — *De miraculis fundatorum aliarum religionum.*

Ad infirmandam vim probativam miraculorum quae Christus patravit nonnulli, praesertim Rationalistae, affirmant etiam ab aliarum religionum fundatoribus miracula patrata esse.

Discrimen tamen est inter miracula quae Christus fecit et ea quae patrarunt aliarum religionum fundatores.

Neminem latet paucas extare religiones quae certe alicui homini originem suam debeant, scilicet, praeter Mosaicam

---

[1] Cf. Matth., XXVIII, 1 sq.; Marc., XVI., 2; Joann., XXI, 1; Luc., XXIV, 4; Joann., XX, 12.

[2] Marcus, XVI, 18.

[3] Joann., XX. 2.

[4] Cf. Mead, *Supernatural religion*, p. 204; Mazzella, op. cit. p. 220; Patrizii, *De Evangeliis*, l. II, diss. 53. Ad pleniorem harum difficultatum solutionem habendam remittimus lectores ad Evangeliorum commentatores.

et Christianam, adsunt *Budhismus, Jainimus, Sikhismus, Mohammedanismus.*

Porro de miraculis patratis ab iis qui recensitas fundarunt religiones, in primis notandum est non habere pro se ea testimonia quae necessario requiruntur ad fidem faciendam, secundo ea esse absurda et indigna.

Et sane, ad *Budhismum* quod attinet, constat libros budhisticos multis saeculis post mortem Budhae conscriptos fuisse, et ipsos fere nulla miracula referre.[1] Sed in posterioribus editionibus horum librorum miracula quamplurima leguntur, quae, judicio criticorum, sunt mythi solares ad BUDHAM applicati.

Insuper haec miracula plane inverosimilia apparent et ridicula; dicitur enim BUDHAM ut cum serpente pugnaret, emisisse fumum e corpore suo et corpus suum in ignem convertisse[2]; vel per totum firmamentum coeli cucurrisse et interim ex uno oculo aquam, ex altero ignem emisisse[3]; et alia hujusmodi.

Porro, si remotis praejudicatis opinionibus, haec quae de Budha enarrantur, cum miraculis Christi comparentur, quis facile dabit ea toto coelo differre.[4]

558) Neque a miraculis BUDHAE multum differunt quae de MAHAVIRA fundatore Jainismi, et de NAÑAK fundatore *Sikhismi* narrantur.

MAHAVIRAE historia, qui vixit eo ipso tempore quo BUDHA floruit, scripta est solum post Christum, ejusque miracula sunt similia miraculis budhisticis.

NANAK natus est anno 1469 post C. N., et ejus historia scripta anno 1600 nugis scatet.

559) MOHAMMEDUS, cui tribuitur *Corân*, quem probabiliter non scripsit, fatetur se non patrasse miracula, affir-

---

[1] Cf. KELLOGG, *The Light of Asia and the Light of the World*, p. 53.

[2] MÜLLER, *Sacred books of the East*. XIII,120.

[3] KEM, *Budhismus*, I, 184.

[4] Cf. DE BONNIOT, *Wunder und Scheinwunder*, p. II, c. 1.

mans miracula inutilia esse, neque his homines adduci ad credendum. Ejus autem vivendi ratio talis fuit, quae certe non potest componi cum sanctitate, quae requiritur in verae religionis fondatore. Scimus enim MOHAMMEDUM novem simul habuisse uxores et plurimas concubinas, et ad tumultum sedandum ab uxore excitatum, eo quod ipse cum concubina quadam rem habuerat, juramento promisisse se id amplius non facturum, a quo tamen juramento recesisse constat, et perjurium excusasse, affirmando se per revelationem didicisse uxorum querelas spernendas esse.

Quamvis MOHAMMEDUS nullum miraculum se patrasse testetur, nihilominus ejus asseclae ei plurima miracula tribuerunt, ex quibus praecipuum est quod a Corano describitur hisce verbis: *Hora prope est, quando luna dividitur in duas partes. Sed videntes signum avertentur et dicent: Magia transcendens.*[1]

Hoc miraculum in hoc consistebat, quod scilicet MOHAMMEDUS divisit lunam in duas partes, eamque coëgit ire per manicam suam et postea iterum conjunxit.

Haec, quae breviter recensuimus de miraculis fundatorum aliarum religionum, satis superque ostendunt falsitatem ipsarum, et mirifice probant veritatem Christianae religionis, quae unice potest vera miracula jactare.

ARTICULUS IV.

APOSTOLORUM LEGATIO.

560) Vidimus hucusque Christum Jesum se Dei legatum ostendisse, eo quod in ipso vaticinia messianica verificata sunt, suamque praedicationem miraculis a se patratis confirmavit.

Huic Christi testimonio, quod de se ipso praebuit, accedit et Apostolorum testificatio: ad id enim ad Apostolatum

---

[1] SURA, LIV, 1.

vocati sunt: *Et eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judaea, et Samaria et usque ad ultimum terrae.*[1]

Tota igitur Apostolorum missio et legatio eo tendebat ut essent testes messianitatis et resurrectionis Christi et ejus doctrinam praedicarent in universo mundo.[2]

Haec autem Apostolorum legatio donis supernaturalibus confirmata est, et hinc loquentes de legatione Apostolorum quaerimus: 1°) de miraculis quae praecesserunt Apostolorum praedicationem, 2°) de testimonio quod Apostoli de Christo protulerunt; 3°) de miraculis quae Apostoli operati sunt in suae doctrinae confirmationem.

§ I. MIRACULA ET DONA SUPERNATURALIA QUAE PRAECESSERUNT APOSTOLORUM PRAEDICATIONEM.

561) PROPOSITIO XVII. — *Facta et charismata quae praecesserunt Apostolorum praedicationem vere supernaturalia erant*

562) PRAENOTANDA. — Miracula quae praecesserunt Apostolorum praedicationem fuerunt *sonus de coelo, dispertitae linguae ignis*; dona vero Apostolis concessa fuerunt *glossolalia* et ea omnia charismata, vi quorum repente Apostoli mutati sunt.

In hac quaestione referemus Actorum narrationem, deinde in factorum naturam inquiremus.

563) PROBATUR I PARS. — *Facta et dona extraordinaria praecesserunt Apostolorum praedicationem.*

Facta hujusmodi hisce verbis ab Auctore Actorum enarrantur[3]: *Cum complerentur dies Pentecostes, erant omnes pariter in eodem loco: et factus est repente* DE COELO SONUS, *tanquam advenientis spiritus vehementis, et replevit totam domum ubi erant sedentes. Et apparuerunt illis* DISPERTITAE LINGUAE TANQUAM IGNIS, *seditque supra singulos eorum: et repleti sunt omnes Spiritu Sancto et coeperunt loqui variis*

---

[1] *Act.*, I, 8.
[2] Ibid., I, 22. Cf. MATTH., XXVIII, 19; MARC., XVI, 16.
[3] *Act.*, II, 1 sq.

linguis prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis..... Facta autem hac voce, convenit multitudo, et mente confusa est, quoniam audiebat unusquisque lingua sua illos loquentes. Stupebant autem omnes et mirabantur, dicentes: Nonne ecce omnes isti qui loquuntur Galilaei sunt? Et quomodo nos audivimus unusquisque linguam nostram, in qua nati sumus?

Praeter hoc linguarum donum, Apostoli id consecuti sunt ut in alios viros immutati sint: hinc factum est ut ipsi, qui Jesu interfecto, propter metum Judaeorum Jerosolimis degebant *januis clausis*,[1] jam se exhibeant indutos *virtute ex alto*,[2] ita ut Petrus non vereatur Judaeos deicidii commissi accusare, dicens: *Hunc* (Jesum) *per manus iniquorum affigentes interemistis*.[3]

564) Eadem facta supernaturalia effecerunt ut Paulus ex Christianorum persecutore fieret Christi Apostolus. Narrant enim Apostolorum *Actus*[4] quod *Paulus adhuc spirans minarum et caedis in discipulos Domini.... cum iter faceret contigit ut appropinquaret Damasco: quod subito circumfulsit eum lux de coelo, et cadens in terram audivit vocem de coelo dicentem sibi: Saule, Saule, quid me persequeris? Qui dixit: Quis es Domine? Et ille: Ego sum Jesus, quem tu persequeris.* Addunt Actus quod Paulus post hanc visionem *fuit cum discipulis, qui erant Damasci, per dies aliquot, et continuo in synagogis praedicabat Jesum, quoniam hic est Filius Dei. Stupebant autem omnes, qui audiebant, et dicebant: Nonne hic est qui expugnabat in Jerusalem eos, qui invocabant nomen istud: et huc ad hoc venit ut vinctos illos duceret ad principes Sacerdotum? Saulus autem multo magis convalescebat et confundebat Judaeos, qui habitabant Damasci, affirmans quoniam hic est Christus.*

565) Probatur II Pars. — *Haec facta sunt vere supernaturalia et miraculosa.*

[1] Joann., XX, 19-26.
[2] Luc., XXIV, 49.
[3] *Act.*, II, 23.
[4] IX, 1, sq.

Recensita facta quae post *Pentecosten* ab auctore Actorum evenisse dicuntur, plenam merentur fidem, quia historice vera sunt.[1]

Remanet proinde ut quaeramus de natura horum eventuum, utrum scilicet sint naturalia, vel potius supernaturalia et vere miraculosa.

566) a) In primis dicimus quod *sonus* qui factus est repente de coelo, qui restringebatur ad domum unam, omnesque stupentes eo advocabat, nequit tribui causae naturali, ut ecce *tempestati* quam fragor et tonitrua comitentur: id enim supponere incongruum est, cum nemo sanae mentis possit admittere limitationem tempestatis obortae ad unam tantum domum; neque sibi rationem reddere possit cur omnes admiratione afficerentur, si res naturalis fuisset.

b) Pariter supernaturales erant *linguae illae dispertitae tanquam ignis, quae sederunt super singulos eorum*, qui erant in Coenaculo congregati; nam linguae illae flammis similes, non erant fulgura, tum quia non in summitate turrium vel tectorum apparebant, sed in cubiculo, et quidem sederunt super solos congregatos in cubiculo.[2]

467) c) Sed praecipuum miraculum, quod a Rationalistis veluti *psychologice* et *logice* impossibile retinetur[3] est *linguarum donum* (glossolalia).[4]

Circa hoc donum plurimae in medio prolatae sut hypotheses. Putant nonnulli Apostolos unam tantum linguam locutos esse, eosque ab omnibus adstantibus, cujuscumque essent originis, auditos esse sua lingua loquentes.

---

[1] Cf. VIGOUROUX, *Manuale Biblico*, CORNELY, *Introd. in SS.*; UBALDI *Introductio in SS.*, SEMERIA, *Venticinque anni di Storia del Cristianesimo nascente*, Lett. I; BEELEN, *Comm. in Act. App.*, p. 3 sq.; LOISY, *Histoire du Canon du N. T.* p. 93 sq.

[2] RENAN in opere cui titulus: *Les apôtres* (c. 4) quem HEINRICHS *(In Act. Apost.)* praecesserat, putat sonitum esse tempestati tribuendum et linguas ignis esse fulgura.

[3] AUG. MEYER, *Handbuch über dis Apostelgesch.* p. 55.

[4] LUC., II, 4-11.

Alii dicunt hoc donum fuisse per modum *illustrationis transeuntis* concessum solis Apostolis.

Recentissime clarissimus SEMERIA,[1] GIFFERT sententiam amplexus, docet *glossolaliam* fuisse donum non Apostolis tantum, sed toti communitati christianae concessum, et hoc donum non solum per diem Pentecostes sed per totum aevum rigorose Apostolicum perseverasse, et fuisse non *praedicationis* sed *precum* donum.

Id autem probat affirmans *praedicationem* non posse fieri ab omnibus simul, et admirationem eorum qui aderant se praecise referre non ad *praedicationem* sed *ad preces* a fidelibus prolatas: *loquentes variis linguis magnalia Dei*. Addit autem *praedicationem* veram et propriam incipere in secundo momento a primo optime distincto, quum Petrus, ad populum adunatum, de Christo vel *aramaice*, vel *graece* locutus est.

Id confirmat per ea quae leguntur in *Actis* (cap. X, 46; XI, 15; XIX, 6), et in Epistola I *ad Corinthios* (cap. XII et XIV). Quidquid autem sit de omnibus hisce hypothesibus hoc unum certum est, nempe *donum* linguarum fuisse supernaturale et miraculosum, per quod implentur JOELIS[2] et Christi[3] vaticinia.

568) Hisce recensitis phoenomenis, quae supernaturalia esse declaravimus, accedit *interior immutatio* Apostolorum, quae certe naturaliter explicari non potest. Ad rem scribit SEMERIA[4]: *Questi fenomeni accessorî non debbono farci perdere di vista il miracolo principale del giorno di Pentecoste — il miracolo del rinnovamento interiore degli Apostoli. Gesù aveva sempre presentato la discesa dello Spirito Santo come quella che avrebbe compiuta la morale educazione di essi. Lo Spirito doveva essere luce di verità alla loro intel-*

---

[1] *Venticinque anni di Storia del Cristianesimo nascente*, p. 52-57; cf. GIFFERT, *History of Christianity in the apostolic age*, p. 51-52.

[2] III, 8.

[3] *Act.* I, 4-8.

[4] Op. cit., p. 57.

ligenza, fiamma di carità al loro cuore; doveva insegnare loro ogni verità, dar loro forza di compiere nel mondo l'ardua missione ad essi affidata. Dio dovea rivelarsi in essi e per essi sotto questa forma dell'amore che intuisce più acutamente il vero, che lo espande più largamente e che ne fa la sua legge di azione. E Iddio si rivelò così: quegli uomini, rozzi per natura e sforniti d'ogni buona ed alta cultura, assursero per la forza dello spirito nuovo ond'erano pieni alle intuizioni più grandi della verità religiosa: incerti fino a quel giorno delle verità che possedevano, e timidi sino alla viltà nel professarle, trovarono in un' invincibile fede un coraggio a tutta prova; il coraggio di sfidare la pubblica opinione e l'autorità religiosa; l'opinione pubblica a cui potevano esser tentati di piegar per debolezza, l'autorità religiosa a cui potevano credere dovere di coscienza l'obbedire.

569) Remanet modo ut circa facta, quae Pauli conversionem praecesserunt et comitata sunt inquiramus.

Jam superius (n. 564) quae evenerunt exposuimus et eorum *implicite* admisimus veritatem. Quum autem haec facta adeo mira sint de se, ut statim veluti miracula sint recognoscenda, dummodo probetur ea reapse locum habuisse, id praecise nunc probandum assumimus.

Realitatem eventus praeter *Actorum* auctorem, qui certe narrationem studio non composuit, sicut Baur[1] opinatur, ipse Paulus testatur praeter quam in *Actis*[2] etiam in Epistolis ad *Galatas*,[3] ad *Philippenses*,[4] ad *Timotheum*,[5] ad *Corinthios*.[6]

570) Neque haec narratio hausta est a traditionibus diversis sibi mutuo oppositis, uti opinantur Hausrath[7] et

---

[1] *Paulus, der Apostel J. C.*, p. 77.
[2] *Actis*, c. IX, 97; XXII, 14; XXVI, 16.
[3] I, 11.
[4] III, 6.
[5] I *ad Timoth.*, I, 13.
[6] I *ad Corinth.*, IX, 1; XV, 8.
[7] *Neutestamentl. Zeitgeschichte*, 3 Th. *Die Zeit der Apostel*, II, 54.

Weizsäcker[1], quia contradictiones in quas Lucas dicitur incidisse facile conciliantur si textus oppositi recte interpretentur.

In *Actis* ter recurrit facti narratio (cap. IX, cap. XXII, cap. XXVI), sed diversimode res exponitur. In capite IX[2] legimus quod Paulus in terram cecidit, *viri autem illi, qui comitabantur cum eo, stabant stupefacti* (εἱστήκεισαν ἐννεοί), audientes *quidem* vocem, neminem *autem* videntes. In capite XXVI[3] legimus omnes in terram cecidisse: *Omnes nos cum cecidissemus in terram.* Denique in capite XXII[4] legimus eos qui erant cum Paulo lumen vidisse, sed non audisse vocem: *Qui mecum erant*, lumen *quidem viderunt*, vocem *autem non audierunt* ejus *qui loquebatur mecum.*

Animadvertimus in primis has contradictiones esse exigui momenti, neque posse eas adscribi facto, quod scilicet Lucas a diversis documentis hauserit facti notitiam, res materialiter transcribendo.

Insuper discrepantiae id ostendunt Actorum scriptorem magis ad rei substantiam quam ad facti adjuncta attendisse, quin sollicitus esset ut perfectam traderet in suis adjunctis narrationem.

Hisce generatim animadversis, videamus quo sensu explicari possunt hae, quae jactantur, contradictiones. Utar ad rem verbis clarissimi Semeria[5]: *Per quel che concerne*, ipse ait, *l'essere i compagni di Saulo caduti al par di lui bocconi al suolo, la circostanza non mi sembra neanche materialmente contradetta dall'* εἱστήκεισαν ἐννεοί *del c. IX, perchè quantunque l'* εἱστήκεισαν *di per sè voglia dire* « rimasero in piedi » *come lo* « steterunt » *latino, unito all'* ἐννεοί *può esprimere unicamente che* rimasero stupiti, *prescindendo dall'essersi mantenuti, malgrado lo stupore, ritti in piedi o dal-*

---

[1] *Das apostolische Zeitalter*, S. 77. Cf. Negri, *Meditazioni vagabonde*, p. 288.

[2] v. 7.

[3] v. 14.

[4] v. 9.

[5] Semeria, *Venticinque anni etc.*, p. 230-231.

l'essere, in grazia dello stupore medesimo, precipitati giù bocconi per terra. Quanto alle altre divergenze, riferirò la spiegazione che Giovanni Teodoro Beelen *dà nel suo Commentario degli Atti Apostolici.*[1] *Secondo il dotto espositore, al c. IX è la voce di Paolo che i compagni dell'Apostolo odono. Le parole del testo: « Stabant stupefacti, audientes quidem vocem, neminem autem videntes », devono intendersi nel senso, che i compagni dell'Apostolo erano stupiti, perchè udivano la voce di Paolo che parlava con un'altra persona, mentre essi non vedevano nessuno. Così le intese anche* S. Giovanni Crisostomo.[2] *Al capo XII invece è la voce di Cristo che non odono. Le parole che* S. Luca *mette sul labbro di S. Paolo sono evidenti: « Quelli che erano meco, videro bensì la luce, ma non udirono la voce di Lui », cioè di Gesù Cristo. Neppur l'ombra di contraddizione dunque in tutti questi passi citati.*[3]

571) Rationalistae conantur *naturaliter* explicare alia facta quae in Pauli conversione evenere, affirmantes integrum eventum fuisse internum per *excitatae imaginationis operationem.* Caecitatem vero e *luce copiosa*[4] ortam, tribuunt *oculorum infirmitati* facto praeviae.[5]

Sed haec omnia non posse imaginationis perturbationi tribui, sed reapse evenisse, patet tum ex eo quod et reliquus comitatus lumine illo singulari, orto *media die*,[6] perculsus fuit vocemque audivit; tum ex facto quod omnes una cum Paulo in terram ceciderunt.

Relate vero ad infirmitatem oculorum eventui praeviam, quam Renan ejusque asseclae asserunt, dicimus id omnino gratuito poni, nullum enim habemus indicium unde hoc desumi possit; immo ex iis quae in Actis narrantur contra-

---

[1] *Commentarius in Act. Apost.*, c. IX, v. 7.

[2] *Hom. XIX in Act. Apost.*

[3] Cf. Fouard, *Saint Paul. Ses missions.*

[4] *Act.*, XXII, 17.

[5] Cf. Renan, *Les Apôtres*, c. X, p. 179 sq. Cf. Weizsäcker, op. cit., p. 77.

[6] *Act.*, XXII, 6.

rium derivamus, non enim potest supponi quod vir gravi oculorum infirmitate laborans, iter tam arduum assumeret et missionem, quae perfectam requirebat valetudinem. Neque explicari potest in hypothesi RENAN quomodo vir graviter oculis laborans, subito convaluerit per simplicem manus impositionem.[1]

572) Quaerentibus vero quomodo Paulus viderit corpus Christi, quod non videbatur a comitibus itineris, respondemus quod principii loco tenendum est sensationem pendere a corporis externi in sensum immediata aut mediata actione; hanc autem actionem, si procedat a corpore humano, quod animae potestati subest, non minus subesse liberae voluntati, quam nunc motus plurimi voluntati nostrae subsunt. Porro corpus gloriosum Christi est spiritale, idest subiectum spiritui[2]: proinde Christus corporis sui gloriosi actionem in solum Paulum, non vero in comites dirigere potuit. Ad rem notat S. THOMAS[3]: *Ad hoc quod sit omnino corpus subiectum spiritui, requiritur quod omnis actio corporis subdatur spiritus voluntati. Quod autem aliquid videatur, fit per actionem visibilis in visum. Et ideo quicumque habet corpus glorificatum, in potestate sua habet videri quando vult, et quando non vult, non videri. Hoc tamen habuit Christus non solum ex conditione corporis gloriosi, sed etiam ex virtute divinitatis, per quam fieri potest, ut etiam corpora non gloriosa miraculose non videantur.*

573) Hisce difficultatibus submotis dicimus Pauli conversionem et mutationem supernaturalem fuisse et miraculosam, ideo quod a consueto ordine, quo Deus per gratiam operatur, recedit.

Ad probandam hanc conclusionem tria sunt prae oculis habenda, scilicet *terminum a quo*, et *terminum ad quem*, et *medium inter utrumque terminum*; nempe debemus considerare terminum a quo incepit et terminum ad quem pervenit Pauli conversio.

---

[1] *Act.*, IX, 17-18.
[2] I *Corinth.*, XV, 44.
[3] *S. Th.*, P. III, q. LIV, art. I ad 2.um

a) *Terminus a quo.* Certe Paulus, teste S. Luca,[1] dum pergeret Damascum erat *adhuc spirans minarum et caedis in discipulos Domini*; proinde constat nullimode se praeparasse suae conversioni.

b) *Terminus ad quem.* Odium in Christianos et in Christum ipsum excepit perfecta Pauli conversio a momento quo Christum vidit; ex tunc enim Paulus ad omnia pro Christo facienda et toleranda paratum se professus est; idque de facto peregit, cum pro Christo sanguinem et vitam profudit.

Utrumque momentum ita recolit S. Augustinus[2]: *Quid volebat Saulus, nisi invadere trahere, vincere, necare Christianos? Quam rabida voluntas, quam furiosa, quam caeca! Qui tamen una desuper voce prostratus, occurrente utique tali visu, quo mens illa et voluntas refracta saevitia retorqueretur et corrigeretur ad fidem repente ex Evangelii mirabili persecutore, mirabilior praedicator effectus est.*

c) *Medium inter utrumque terminum* certe non potuit esse causa aliqua naturalis, ut ecce exempli gratia *psychologica*[3] Pauli dispositio a diuturno tempore praeparata, quia, ipsis adversariis fatentibus, homo moraliter non potest *subito* talem mentis et voluntatis subire immutationem. Cum autem ex terminis *a quo* et *ad quem* immutatio sit repentina, causa mutationis secutae, nempe *medium* inter utrumque terminum fuit gratia Dei tum interna quam externa, ut ipse Paulus testatur cum dicit: *Gratiâ Dei sum id quod sum.*[4]

Ergo ex dictis concludimus quod omnia facta quae praecesserunt Apostolorum et Pauli legationem vere supernaturalia et miraculosa fuerunt.

---

[1] *Act.*, IX. 1.

[2] *De div. quaest. ad Simplicianum*, l. I, q. II, n. 22.

[3] Cf. Weizsäcker, op. cit., p. 72 sq.; Hansrath, *Neutestamentliche Zeitzeschichte*, 3 Th., S. 57; Baur, op. cit., p. 74-77.

[4] *Epistola I ad Corinth.*, c. XV, v. 10.

§ II. TESTIMONIUM QUOD APOSTOLI DE CHRISTO PROTULERUNT.

574) Dona supernaturalia quae circa Apostolos die Pentecostes patrata sunt, per quae vaticinia complementum habuerunt, eo tendebant ut digni Christi legati fierent Apostoli.

Hinc est quod Apostoli statim Spiritu Sancto baptizati Christum ubique praedicarunt.

Quo autem eorum spectaret praedicatio in hac thesi inquirimus.

575) PROPOSITIO XVIII. — *Apostoli Jesum Nazarenum Dei legatum promissumque Messiam, immo etiam Filium Dei esse docuerunt.*

576) PRAENOTANDA. — In primis prae oculis habendum est Apostolos modo *oretenus*, modo *per scripta* docuisse Christum esse *Dei legatum*, et *Filium Dei*.

Hic Apostoli nomine intelligimus non solum duodecim a Christo electos, sed etiam discipulos, eosque omnes qui Christum statim post Pentecostem praedicare coeperunt.

Dicimus insuper Apostolos docuisse Christum esse Dei legatum et in eo impletas esse omnes prophetias messianicas; quare in *ordine historico* praedicatio missionis messianicae, quam Christus habuit, praecessit praedicationem divinitatis ejus, proinde testimonium Apostolorum *immediate et directe* fere semper se refert ad *messianitatem Christi*, *mediate* vero et *indirecte*, nonnullis exceptis directis attestationibus, se refert ad ejusdem divinitatem; hanc tamen semper dicimus suppositam et creditam ab Apostolis, et sensu proprio et absoluto intellectam, non vero sensu aliquo improprio, veluti si ageretur de *filiatione adoptiva*.

577) PROBATUR THESIS. — *Apostoli professi sunt et praedicarunt Christum esse Messiam Deique filium sensu proprio.* Qui historiam legationis apostolicae perspectam habent, sciunt in praedicatione tria momenta esse distinguenda.[1]

[1] Cf. BATIFFOL, *Six leçons sur les Évangiles*, p. 1-25.

Haec sunt: 1°) praedicatio quae statim facta est ab Apostolis Jerosolimis die ipsa Pentecostes, per quam hoc unum intendebant ostendere nempe Christum esse Dei legatum et Messiam et in eo prophetias impletas esse: hujus autem legationis Christi praecipuum argumentum esse desumendum ex gloriosa ejus a mortuis resurrectione.

Huc tendit Petri oratio quam *Actus Apostolici* referunt[1]: *Viri Israelitae*, ipse ait, *audite haec: Jesum Nazarenum, virum approbatum a Deo in vobis, virtutibus et prodigiis et signis, quae fecit Deus per illum in medio vestri, sicut et vos scitis:.... quem Deus suscitavit....* et relatis vaticiniis quae de Christo dicta fuerant, concludit: *Certissime sciat ergo omnis domus Israel, quia et Dominum eum et Christum fecit Deus, hunc Jesum quem vos crucifixistis.* Et alibi[2]: *Viri Israelitae quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quasi nostra virtute aut potestate fecerimus hunc (claudum) ambulare? Deus Abraham et Deus Isaac, et Deus Jacob, Deus Patrum nostrorum glorificavit Filium suum Jesum, quem vos quidem tradidistis et negastis ante faciem Pilati, judicante illo dimitti.... Auctorem vitae interfecistis, quem Deus suscitavit a mortuis, cujus nos testes sumus.... Deus autem, quae praenuntiavit per os omnium prophetarum, pati Christum suum, sic implevit.*

2°) Hanc Apostolorum praedicationem, quae eo tendebat ut Judaeis ostenderet et probaret Christi resurrectionem[3] et messianitatem, excepit praedicatio Hellenistarum, qui ab Apostolis assumpti, non solum docuerunt Christum esse Messiam, sed filium Dei; esse proinde legem mosaicam abrogandam et per Christianismum substituendam.[4]

Ab hoc secundo praedicationis momento exordium sumit Pauli theologia, qui explicite affirmat Christum esse Messiam et *Filium Dei*.[5]

[1] *Act.*, II, 22 sq.
Act., III, 12-19.
[3] *Act.*, III, 26; IV, 10, 33.
[4] *Act.*, VII, 51.
[5] *Act.*, *Passim*.

3°) Hanc secundam praedicationis periodum excipit tertium quoddam momentum in quo non solum annunciatur Christi messianitas et divinitas, sed religio Christiana exhibetur non veluti mosaicae legis abrogatio sed ipsius perfectio et implementum.[1]

578) Praeter praedicationem oralem, adsunt et scripta Apostolorum quae testimonium perhibent de Christi divina legatione.

Si Evangelia legamus passim videmus quod Christus dicitur Messias, et in ipso prophetias messianicas perfecte impletas fuisse.[2]

Sed non solum Christus dicitur Messias sed etiam *Filius Dei*, Paulus enim Christo tribuit naturam divinam scribens[3]: *Cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo.*

Pariter Christo tribuit *existentiam ante omnem creaturam* quae per ipsum conservatur et *aeternitatem*.[4] *Qui* (Christus) *est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturae. Quoniam in ipso condita sunt universa in coelo et in terra, visibilia et invisibilia, sive throni.... omnia per ipsum et in ipso creata sunt. Et ipsé est ante omnes* (ἔστι πρὸ πάντων) *et omnia in ipso constant.*

579) Immo Paulus, ut excludat hypothesim filiationis adoptivae et moralis tantum, distinctionem ponit inter Christum et alios Dei legatos cum dicit[5]: *Multifariam, multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio, quem con-*

[1] In hac periodo praevalet *Judaizzatio*, sed hujusmodi ritualis discrepantia nihil omnino officit doctrinae quae Christum respicit, immo hoc tempore doctrina circa Christum fit evolutior et perfectior.

[2] Joann., IV, 15; V, 20; I Petri, IV, 11; II Petri, I, 1; Matth., XXVIII, 20; Marc., I, 11; IX, 6; Luc., V, 20-25, etc. etc.

[3] *Philipp.*, II, 6-7.

[4] *Colos.*, I, 15-17.

[5] *Hebraeos*, I, 1-3.

stituit haeredem universorum, per quem fecit et saecula: qui cum sit splendor gloriae, et figura substantiae ejus, portansque omnia verbo virtutis suae, purgationem peccatorum faciens.

Hunc Filium Dei Paulus adorandum esse affirmat, illo adorationis genere, quod *Deo soli* competit[1]: *Propter quod et Deus exaltavit illum et donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur coelestium, terrestrium et infernorum, et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris.*

Denique Paulus scribens ad Romanos ait: *Quorum patres, et ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in saecula.*[2]

580) Cum autem in hac tractatione non necessario sit inquirendum in divinitatem Christi, sufficit enim ostendere Christum esse legatum divinum et Messiam, abstinemus a referendis reliquis Apostolorum testimoniis explicitis, quibus Christi asseritur divinitas.

Ceterum et *implicite* ipsi tradunt Christum esse Filium Dei hoc ipso quod affirmant ipsum esse Messiam, quia, ut mihi sint verba clarissimi Semeria[3]: *il Messia era presentato nelle Scritture come qualche cosa di divino, e sia pure che di*

[1] *Phil.*, II, 9-11. Cf. *Ad Rom.*, XIV, 11; *Hebr.*, I, 6, 13, 14; Joann., XVII, 5.

[2] De hoc testimonio sermo fiet in tractatu *De Verbo Incarnato*. Cf. Durand, *La divinité de Jésus Christ dans S. Paul*, apud Eph. *Revue biblique*, ann. 1903, p. 550. Cf. etiam S. Paulum, *Ep. 2 ad Corinth.*, XI, 31; *Ad Eph.*, IV, 6; Joann. in *Prologo Evangelii*.

[3] Op. cit., p. 73; Lepin, op. cit., p. 251. — Praetermittimus hic quaestionem a Loisy agitatam (cf. *L'Évangile et l'Église*, p. 42-59; 138-131; 158-174, et *Autour d'un petit livre*, p. 134-155) utrum ex Evangeliis Synopticis possit probari historice Christi divinitas. Haec quaestio agitanda erit in tractatu de *Verbo Incarnato*; nihilominus dicimus doctrinam, quae est de Christi divinitate contineri in ipsis Evangeliis Synopticis, licet verum sit quod Christi divinitas historice non possit probari per *argumenta directa*, quia nulla adest proportio adaequata inter facta ordinis naturalis et facta supernaturalia. Dicimus tamen, historiâ duce, posse nos *indirecte* assurgere ad probandam Christi divinitatem, eodem scilicet modo quo reliqua facta ordinis supernaturalis probantur per argumenta ordinis naturalis.

tale divinità del Messia i Giudei non si facessero un preciso concetto, confusamente però lo intuivano: — e per allora questa confusa intuizione, questa implicita fede era sufficiente.

§ III. MIRACULA APOSTOLORUM.

581) Testimonium quod Apostoli de Christo protulerunt miraculis confirmarunt, idque constat ex iis quae in Actis referuntur. Narrat enim Lucas[1] quod *fiebat omni animae terror, multa quoque prodigia et signa per Apostolos in Jerusalem fiebant, et metus erat magnus in universis.*

Pariter idem Lucas refert[2] quod Petrus *in nomine Jesu* sanavit virum *qui erat claudus ex utero matris suae, quem ponebant quotidie ante portam templi.*

Miracula patrando Evangelium disseminasse Apostolos testatur pariter Lucas cum scribit[3]: *Per manus autem Apostolorum fiebant signa et prodigia multa in plebe.... Magnificabat eos populus. Magis autem augebatur credentium in Domino multitudo virorum ac mulierum. Ita ut in plateas ejicerent infirmos, et ponerent in lectulis ac grabatis, ut veniente Petro, saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum et liberarentur ab infirmitatibus suis. Concurrebat autem et multitudo vicinarum civitatum Jerusalem afferentes aegros et vexatos a spiritibus immundis: qui curabantur omnes.*

Alia quoque miracula operatus est Petrus: Lyddae enim in nomine Jesu sanavit *hominem quendam ab octo annis jacentem in grabato, qui erat paralyticus*,[4] et in Joppe discipulam quandam, Tabitham nomine, mortuam et sepulturae jam paratam, ad vitam revocavit.[5]

582) Miracula, etiam per discipulos, quos Apostoli ad disseminandum Evangelium sibi sociarunt, patrata sunt.

---

[1] *Act.*, II, 43-47.
[2] *Act.*, III, 2-15.
[3] *Act.*, V, 12-16.
[4] *Act.*, IX, 34-35.
[5] *Act.*, IX, 40-43.

De Stephano legimus quod *plenus gratia et fortitudine, faciebat prodigia et signa magna in populo.*[1]

De Philippo autem, qui post discipulorum dispersionem Samariae praedicabat Christum, traditur quod *intendebant turbae his, quae a Philippo dicebantur, unanimiter audientes, et videntes signa quae faciebat. Multi enim eorum, qui habebant spiritus immundos, clamantes voce magna exibant. Multi etiam paralytici et claudi curati sunt.*[2]

583) Haec autem miracula quae historica esse certo constat, esse etiam supernaturalia iisdem probamus argumentis, quibus probavimus miracula Christi extra ordinem totius naturae creatae posita esse.

Igitur divinitas Religionis Christianae non solum ex ipsius Christi affirmationibus et miraculis, sed etiam ex Apostolorum legatione mirifice comprobatur; et ut ait Origenes contra Celsum[3]: *Miraculorum Christi et ejus discipulorum fructus est non deceptio, sed animarum salus. Quis enim dixerit, deceptione effici, ut emendetur vita et malitia quotidie magis ac magis minuatur?*

ARTICULUS V.

DE JUDAEORUM ET GENTILIUM TESTIMONIO.

584) Apostolorum et aliorum discipulorum Christi testimonio, qui verbis, scriptis, miraculis et vitae ipsius profusione Jesu Christi divinam legationem professi sunt, accedit etiam Judaeorum et Gentilium pro re nostra testificatio.

Haec autem testificatio aliquando est directa, aliquando vero indirecta. De utraque quaedam brevissime attingimus. Idque praestamus ad eorum refellendam calumniam qui censent facta, quibus Christianae Religionis divina probatur origo, nonnisi a fontibus domesticis et propriis hauriri, et ut veritas nostrae conclusionis certius et multi-

[1] *Act.*, VI, 8.
[2] *Act.*, VIII, 6, 7.
[3] II, n. 50.

plicius cognoscatur. Quare merito scribit Eusebius[1]: *Licet talium hominum* (scil. Apostolorum) *de Salvatore nostro testimonium nobis abunde satisfacere debeat, tamen nihil me praeter propositum facturum arbitror, si quasi ex abundantiâ quadam Hebraei quoque Josephi testimonio utar.*

585) a) *Judaeorum testimonium indirectum.*

In primis Judaei *indirecte* concedunt Jesum se Dei legatum et Messiam exhibuisse cum prodigiorum et signorum, quae fecit Jesus, varias mentiuntur causas.

Teste Origene[2] Celsus Jesum reprehendit quod se finxerat natum ex Virgine, eique vitio tribuit, quod ex viro Judaico sit ortus, atque ex matre paupercula, quae, adulterii convicta a coniuge expulsa fuerat. Insuper docet Celsus Christum in Aegypto arcanas artes didicisse, et postea in patriam reversum adeo se extulisse ut etiam se Deum appellasset. Miraculis autem quae Christus fecit, et quibus multos adduxit, ut ipsum tanquam Messiam sequerentur, assensum quodammodo praebet Celsus, et miracula illa non divina virtute, sed magicis artibus facta esse calumniatur.

Nihilominus licet Celsus naturam miraculorum quae fecit Jesus corrumpere conetur, hoc tamen pro re nostra concedit nempe ea facta, quae a Christianis asseruntur, ut ecce claudorum et coecorum curatio, mortuorumque resurrectio, reapse evenisse.

Ad rem Arnobius,[3] postquam ostendit Christi osores non audere falsitatis ejus miracula arguere, notat: *Occursurus forsitan rursus est* (adversarius) *cum aliis multis calumniosis illis et puerilibus vocibus: magus fuit, clandestinis*

---

[1] *Demonstr. evang.*, III, 5.

[2] *Cont. Celsum*, I, 28, 38; II, 48.

[3] *Adv. nation.*, I, n. 43. Esse incantamentis tribuenda Christi miracula legimus in libro Judaeorum qui *Toldoth Jeschu* (generatio Jesu) inscribitur, et *Nizzachon veteri*, in quo haec prostant verba: *Quae fecit Jesus per incantamenta fecit.* Cf. Wagenseil, *Tela ignea*, tom. II, p. 34; Martini, *Pugio fidei*, P. II, c. 8, n. 6; Schoetgen, *Hor. hebr.*, c. I, § 9.

artibus omnia illa perfecit, Aegyptiorum ex adytis angelorum potentium nomina et remotas furatus est disciplinas.

586) Pariter Judaei testantur mortem Jesu et resurrectionem, vel falsam causam mortis allegantes, vel discipulos calumniantes et mendaces appellantes, praecise quia palam annuntiarunt Christi resurrectionem evenisse.

Circa causam mortis Christi haec legimus in libris *Talmudicis: Est traditio quod vespere Paschatis suspenderint Jesum. Praeco praecedebat ipsum per quadraginta dies* (clamans): *exit ut lapidaretur, quod fascinasset, seduxisset, et impulisset Israelem, ut quicumque de eo sciret aliquam virtutem* (dignam ut viveret), *accederet et indicaret. Sed nulla virtus in eo reperta est, quare eum suspenderunt vespere Paschatis.*[1]

Relate vero ad Christi resurrectionem haec habet S. Justinus argueus Triphonem Judaeum[2]: *Non nodo*, inquit, *poenitentiam non egistis, postquam illum ex mortuis resurrexisse didicistis, sed etiam delectos homines constituistis, ac per eos in totum orbem terrarum missos praedicastis, impiam quandam et exlegem sectam a Jesu quodam Galilaeo deceptore excitatam esse: et cum illum a nobis crucifixum discipuli ex monumento, in quo, refixus a cruce, depositus fuerat, noctu surripuerint, decipi ab illis homines, dum eum ex mortuis resurrexisse et in coelum ascendisse dictitant.*

Fere eadem refert Eusebius[3]: *In veterum*, inquit, *scriptis reperimus, Hierosolymitanos judaicae gentis sacerdotes et seniores, litteras in omnes gentes misisse ad omnes ubique Judaeos, quo Christi doctrinam traducerent ut novam ac Deo inimicam sectam; et epistolis monuisse, ut ne illam reciperent.*

Liber *Toldoth*[4] hisce verbis explicat Christi resurrectionem, affirmans quod Judas proditor corpus Jesu abstulerit:

---

[1] Cf. Codicem *Sanhedrin*, c. VI, sect. 1ª; cf. Joann. Brann, *Dissert. de Sanctitate Sum. Pont.*, apud Ugolini, *Thes. antiq.*, tom. XII, p. 185; Schoettgen, op. cit., tom. II, l. IX, c. I, § 11.

[2] *Dialog. cum Triph.*, n. 108. Cf. Origene, *Cont. Celsum*, VI, 27.

[3] *In Isai.*, c. XVIII, 1. Migne, VI, p. 214.

[4] Cf. Wagenseil, op. cit., p. 19.

Veni,[1] *ostendam tibi virum quem quaeris, ego enim illum subduxi e sepulcro, quippe verebar, ne forte impia ipsius caterva eum ex tumulo suo furaretur: itaque illum in horto meo condidi et superinduxi omnem aquarum.*

587) Denique non esse omittendum censemus factum, quod scilicet paulo post mortem Jesu Nazareni multi surrexerunt *Pseudoprophetae* qui nomen et titulum Messiae sibi arrogaverunt; idque pro re nostra maximi ponderis est, ostendit enim impletum jam esse expectationis messianicae tempus, quia ante illud tempus nemo unquam ausus fuerat sibi titulum Messiae arrogare.[2]

588) b) *Judaeorum testimonium directum.*

Celeberrimum idque directum testimonium circa ea quae de Christo tradunt Evangelia invenimus apud Josephum Flavium, qui teste Eusebio,[3] *fuit vir omnium tunc temporis Judaeorum praestantissimus, non modo popularium suorum, sed etiam Romanorum judicio.*

Itaque Joseph Flavius testatur non solum Joannis Baptistae praedicationem et ejusdem per Herodem interfectionem,[4] sed etiam explicitam de Jesu mentionem facit[5]. Jam superius (n. 528) hoc adduximus testimonium, hic proinde ea tantum referemus verba quae idem Joseph scripsit cum narraret *Jacobi minoris* martyrium: *Talis igitur*, inquit, *quum esset Ananus* (Summus Pontifex Sadducaeorum sectae addictus) *opportunum sibi tempus adesse ratus, eo quod Festus quidem vita cessisset, Albinus vero adhuc in itinere esset, concilium judicum cogit, inductoque in judicium fratre illius Jesu, qui dicebatur Christus* (τοῦ λεγομένου Χριστοῦ), *Jacobus ei nomen, et cum eo quibusdam aliis,*

[1] Ipse *Judas* alloquens inducitur.

[2] Cf. Joseph Flav., *De bello Judaico*, VI, 5, n. 4; Euseb., *Hist. Eccl.*, IV, 6; Lightfoot, *Hor.. hebr., in Evang. Joann.*, X, 8; Eisenmenger, *Entdecktes Judenthum*, II, p. 654; Jost, *Gesch. des Judenth.*, II, p. 75.

[3] *Hist. Eccl.*, III, 9.

[4] Cf. Joseph Flav., *Antiq. Judaic.*, XVIII, l. V, n. 2.

[5] Ibid., XX, IX, 1; XVIII, III, n. 3.

in eos ut legis violatae reos cum accusationem instituisset, statim lapidandos tradidit.

589) c) *Gentilium testimonium.* — Nemo certe sanae mentis exquirere potest quod Romani et Graeci fuse admodum de Jesu Nazareno loquantur, id enim fieri non potuit, quia Judaea provincia ab illis remota erat et Judaeorum natio, quibuscum initio etiam Praesides et ipsi Imperatores confundebant Christianos. Nihilominus decursu temporis etiam Romani Scriptores in religionis Christianae auctorem inquirere coeperunt.

Itaque Tacitus postquam narravit Neronem creditum fuisse incendii auctorem, addit[1]: *Ergo abolendo rumori Nero subdidit reos et quaesitissimis poenis affecit quos per flagitia invisos vulgus Christianos appellabat. Auctor nominis ejus Christus, Tiberio imperante, per procuratorem Pontium Pilatum supplicio affectus erat. Repressaque in praesens exitiabilis superstitio rursus erumpebat, non modo per Judaeam, originem ejus mali, sed per urbem etiam, quo cuncta undique atrocia aut pudenda confluunt celebranturque.*

Suetonius, qui eodem fere tempore floruit[2]: *Claudius*, scribit, *Judaeos impulsore Chresto assidue tumultuantes, Româ expulit.* Et alibi[3]: *Afflicti suppliciis Christiani, genus hominum superstitionis novae.*

Plinius[4] junior (ann. 62 p. C. floruit) cum in Bithynia et Ponto magnum Christianorum numerum deprehendisset, de eorum cultu ad Trajanum scripsit: *Interim in iis, qui ad me tanquam Christiani, confitentes iterum ac tertio interrogavi, supplicium minatus, perseverantes duci jussi.... Alii ab indice nominati, esse se Christianos dixerunt et mox negaverunt; fuisse quidam, sed desiisse, quidam ante triennium, quidam ante plures annos, non nemo etiam ante viginti*

---

[1] *Ann.*, XV, n. 14. Tacitus, sub Nerone natus, Trajano imperante, (ann. 98 p. C.) annales composuit.

[2] *Claudius*, c. 25.

[3] *Nero*, c. 16.

[4] *Epistolarum*, lib. X, ep. 97.

quoque. Affirmabant autem hanc fuisse summam vel culpae suae, vel erroris, quod essent soliti stato die ante lucem convenire, carmenque Christo quasi Deo dicere secum invicem, seque sacramento non in scelus aliquod adstringere, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum appellati abnegarent.

S. JUSTINUS, TERTULLIANUS, EUSEBIUS aliique plurimi provocant ad acta quaedam sive epistolam, quam Pilatus de morte Jesu scripserit ad Tiberium. Cum autem haec epistola interierit, nolumus ad eam provocare, sufficiunt enim et abundantissime probant confirmantque nostram conclusionem, testimonia quae hucusque retulimus, quaeque indubie genuina sunt.

ARTICULUS VI.

PROPAGATIO RELIGIONIS CHRISTIANAE.[1]

590) Religio Christiana, quam *ex se et ex suis effectibus* revelatam ostendimus, novum ad suam divinam ori-

[1] S. THOM., *C. G.*, l. I, c. 6; SUAREZ, *De fide disputatio*, IV, sect. 3ª, n. 11; VALSECCHI, op. cit., l. II, c. 14; PERRONE, n. 369 sq.; FRAYSSINOUS, Confér. *Fondation du Christianisme*; LACORDAIRE, 29 conf.; A. DE BROGLIE, *L'Église et l'Empire Romain au IVe s., Discours prélim., Questions de Religion*, vol. II, p. 217 sq.; DE PRESSENSÉ, *Histoire des trois premiers siècles de l'Église chrétienne*; GUÉRANGER, *S. Cécile et la société romaine aux deux premiers siècles*; ALLARD, *Le Christianisme et l'Empire Romain de Néron à Théodose*; BRUGÈRE, n. 57; MAZZELLA, n. 299 sq.; LAMBRECHT, p. 415 sq.; HURTER, n. 78 sq.; TEPE, n. 137 sq.; PESCH, n. 248 sq.; PALEY, *Cristian Evidences*, p. II, c. 9; ARMELLINI, *Lezioni di Archeologia Cristiana*, p. II, c. 1, p. 5; TANQUEREY, op. cit., p. 153 sq.; WILMERS, op. cit., 496 sq.; CINTI, *Historia critica Ecclesiae Catholicae*, vol. I, p. 106 et sq.; SEMERIA, *Venticinque anni di Storia del Cristianesimo nascente*, passim; IDEM, *Il primo sangue Cristiano*, p. 57 sq.; BENIGNI, *La periodistica dell' Evangelizzazione nell' Impero Romano* apud Ephem. « *Miscellanea di Storia Ecclesiastica* », ann. II, n. 3, p. 65: HARNACK, *Die Mission und Ausbreitung des Christentums in den ersten drei Jahrhunderten*; DUFOURCQ, *L'Avenir du Christianisme*; HEINRICH, *Dogmat. Theologie*, tom. I, § 50; STORCHENAU, *Philos. de Relig.*, VII, sect. 4 sq.; AUBÉ, *Les Chrétiens dans l'empire romain de la fin des Antonins* etc.; HAVET, *Le Christianisme et ses origines*; DUCHESNE, *Les origines* etc. etc.

ginem vindicandam nobis affert argumentum ex mirabili propagatione quam inde ab initio obtinuit, per quam vaticinium Christi Domini impletum est.

Factum propagatae religionis, quod ipsa historica monumenta testantur, ut probet divinitatem suae originis hoc requirit ut nulla possit inter effectum ipsum et causam naturalem inveniri proportio, ita ut attentis mediis de quibus praedicatores religionis christianae disponere poterant, attentis innumeris obstaculis, attenta ipsâ doctrinâ, quae passionibus adversam se praebebat, nonnisi miraculo sit tribuendum.

Cum autem propagatio rapida haud multum probet nisi sit et *constans* et *diuturna*, nobis inquirendum est etiam in hoc alterum factum de *conservatione* religionis christianae, quae tot inter discrimina rerum et adversitates adhuc perseverat, quaeque pro se habet luculentissimum testimonium, *martyrum* constantiam.

In hoc igitur articulo agemus de *Propagatione* et *Conservatione* religionis christianae, et de *Martyrum* testimonio.

§ I — PROPAGATIO ET CONSERVATIO RELIGIONIS CHRISTIANAE.

591) PROPOSITIO XIX. — *Mirabilis religionis christianae per totum orbem propagatio ejusque conservatio, omnibus perpensis adjunctis, est miraculum ordinis moralis ejus divinitatem demonstrans.*

592) PRAENOTANDA. — Quando dicimus religionem christianam celeriter propagatam esse, hoc dicimus respectu habito ad difficultates et obstacula quae superari debuerunt in religionis ipsius propagatione: non affirmamus tamen hanc diffusionis celeritatem se illi aliarum humanarum rerum progressivae evolutioni subtraxisse: quia, utar verbis SEMERIA[1]: *lo sviluppo del Cristianesimo nel mondo somiglia a quello di un germe sotterra, nel quale, più che*

[1] SEMERIA, *Venticinque anni di Storia del Cristianesimo nascente*, pagina 342.

la rapidità, è meravigliosa la costanza nel vi[illegible]re ogni sorta di impedimenti.

Insuper animadvertimus nos potius quam in nudum factum diffusionis, inquirere in *principium* seu *vim illam* qua religio diffusa est.

In primis referemus factum ipsum diffusionis prouti nobis documenta historica tradiderunt. Hanc autem partem breviter attingemus cum e nostra egrediatur provincia; breviter pariter delibabimus quaestionem de genere eorum qui religionem christianam amplexati sunt, utrum scilicet religio christiana solis hominibus a plebe collectis coaluerit, vel etiam hominibus generis nobilitate illustribus.

Postea agemus de impedimentis diffusioni obstantibus, quae talia tantaque fuerunt ut nulla alia religio tot superaverit quot Christiana.

Haec autem impedimenta tum ex religionis tum ex hominis naturâ, tum ex quibusdam loci vel temporis adjunctis provenisse probabimus.

Tertio denique sermo fiet de mediis adhibitis ad propagandam Christianam religionem, et videbimus nullum humanum subsidium supponi posse quod sufficiens fuerit ad tot obstacula superanda.

Sedulo notandum est praesidiorum naturalium nomine designari industrias naturales, vel praesidia naturalia, quibus propagatores religionis christianae uti potuerunt, aut de facto usi sunt ad homines alliciendos; nomine autem *rationum* significari omne id, quo ad religionem suscipiendam homo quomodocumque moveri potest.

Animadvertendum insuper est adversarios plerumque *causam* cum *conditione* confundere; causa enim effectui immediate conjungitur et effectum producit; conditio vero non producit effectum, sed locum praebet causae ut agere possit. Hanc distinctionem in praesenti quaestione non esse negligendam omnis videt cui exploratum est quibus artibus adversarii utantur ad nostras conclusiones infirmandas.

Hisce omnibus perpensis sponte fluet conclusio, quod scilicet religionis christianae rapida per orbem terrarum propagatio et conservatio, nonnisi per specialem Dei in-

terventum et providentiam explicari potest, et consequenter est miraculum ordinis moralis, scilicet miraculum quod moralem inducit certitudinem de divinitate religionis Christianae.

593) ERRORES. — In hac quaestione duplicis ordinis nacti sumus adversarios, alii enim *facti amplitudinem*, alii autem *facti rationem* et *indolem* negarunt.

Diffusionis amplitudinem negarunt HENRICUS DODWEL,[1] EDUARDUS GIBBON[2], ANONYMUS quidam DR. K.[3]

Alii autem, licet diffusionis amplitudinem admittant, negant tamen initio homines nobilitate generis illustres religionem christianam professos fuisse.

Factum propagatae religionis esse causis naturalibus tribuendum affirmant RATIONALISTAE omnes, inter quos eminent GIBBON[4], LECKY[5], RENAN[6], HAVET[7], PROUDHON[8], TISSOT[9], HARNACK.[10]

Rationes vero quibus GIBBON conatur explicare religionis christianae diffusionem ad has reducuntur: 1°) Studium vehemens primorum fidelium in sua religione ceteris nuntianda et suadenda. 2°) Doctrina de immortalitate animarum conjuncta cum deliciis regni millenarii subsequentis mox impendentem mundi ruinam; 3°) potestas miracula patrandi quam sibi fideles vindicabant; 4°) mores ac vita Christianorum purior et rigidior; 5°) stricta disciplina et optima reipublicae christianae constitutio.

---

[1] *Dissertatio Cyprianica*, XI.

[2] *Decline and fall of the Roman Empire*, c. XV.

[3] *Hist. pol. Blätter*, 1894, *Altchristliche statistik*.

[4] Op. cit.

[5] *History of European Morals*, vol. I, c. 3.

[6] *Marc-Aurèle*, c. 25.

[7] Op. cit.

[8] *De la justice dans la Revolution et dans l'Église*, vol. III, c. 4.

[9] *Décadence du sentiment moral et religieux, ses causes et ses remèdes*, p. 281.

[10] *Die Mission und Ausbreitung des Christetnums in den ersten drei Jahrhunderten*.

Alii demum asserunt conversionem populorum ad religionem christianam fuisse *extrinsecis* causis promotam, praecipue *coadunatione* populorum sub unâ imperii romani auctoritate; *indole philosophiae* quae hac aetate ad legitimas animorum aspirationes implendas sufficiens erat; et *expectatione magnae renovationis* in totum fere orbem a Judaeis diffusâ.

Harnack[1] inter causas naturales quae religionis christianae foverunt propagationem recenset ipsam doctrinam Evangelii praesertim eam quae monotheismum respicit, et vim aliorum morem gerendi, quam propriam putat fuisse religionis christianae (vulgo *la capacità* di adattamento).

594) Probatur I Pars. — *Religio christiana celeriter diffusa est per totum orbem, hominesque cujusque generis ad se adscivit.*

A) a) *Celerrime religio Christiana propagata est saeculo I.* — Hoc factum ipse Petrus Apostolus declarat per epistolam quam dedit *electis advenis dispersionis Ponti, Galatiae, Cappadociae, Asiae* et *Bithyniae* quibus ipse praedicaverat Evangelium.

Idemque desumimus ex *Actis Apostolorum*; scimus enim quod paulo post Pentecosten, praedicante Petro, primum tria millia, deinde quinque millia hominum ad fidem conversi sunt[2], et quotidie: *magis augebatur credentium in Domino multitudo virorum ac mulierum.*[3]

Refert insuper Auctor Actorum quod, Jerosolymis orta persecutione, fideles per Judaeam et Samariam dispersi, Evangelium praedicarunt[4], praesertim in Phoenicia, in Cypri regione et Antiochiae[5], ibique Ecclesia floruit doctoribus et prophetis.[6]

---

[1] Op. cit.
[2] *Act.*, II, 41; IV, 4.
[3] *Act.*, V, 14.
[4] *Act.*, VIII, 3-4.
[5] *Act.*, XI, 18-26.
[6] *Act.*, XIII, 1.

Post Concilium Jerosolymitanum, per quod ritus mosaicae legis sublati sunt et gentibus ad Christum facilior aditus patuit, Paulus Macedoniam et Graeciam peragravit quamplurimos ad fidem adducens homines, dum jam Romae et in toto occidente religio christiana altas mittebat radices; hinc jure viginti circiter annis post Christi in coelum ascensionem, PAULUS ad Romanos scribens aiebat: *Fides vestra annuntiatur in universo mundo*[1]. Haec verba Pauli confirmavit Joannes circa finem saeculi primi scribens septem Ecclesiis quae sunt in Asiâ, Ephesi, Smyrnae, Pergami, Thyatirae, Sardis, Philadelphiae et Laodiciae.[2]

595) Quod celeriter primo saeculo E. V. religio christiana diffusa sit hodie Rationalistae fere omnes admittunt, ita ut circa veritatem facti nulla amplius existat controversia. Id ex recentioribus criticis affirmant tum DUFOURCQ,[3] tum HARNACK[4], qui vel implicite id concedit cum admittit epistolas Pauli ad diversas Ecclesias missas fuisse inter annos 48 et 64[5], vel explicite, cum in recentissimo opere, concedens celerem religionis christianae propagationem, causas facti naturales conatur invenire.

596) b) Saeculo II post Apostolorum mortem numerus fidelium in immensum excrevit non solum in Oriente, sed etiam in Occidente et praecipue in urbe Roma. Hujus rei testes habemus in primis CLEMENTEM romanum, qui ad Corinthios scribit[6]: *Hisce viris* (Apostolis) *aggregata est multitudo ingens electorum qui multa martyria et tormenta sustinuerunt nobisque exempla facti sunt.*

---

[1] *Epist. ad Rom.*, I, 8. Cf. *Epist. ad Coloss.*, I, 6; *Act.*, XXVIII. 14.

[2] *Apoc.*, I, 11.

[3] Op. cit.

[4] Cf. ejus opus *Cronologia antiquae christianae litteraturae,* et opus superius citatum *Die mission* etc.

[5] Juxta HARNACK epistola Pauli ad Thessalonicenses scripta fuit anno 48, ad Galatas et Corinthios anno 62, ad Romanos 53, ad Colossenses, Ephesios et Philippenses 56-58, ad Timotheum et Titum 59-64.

[6] *Epist.*, I, n. 6.

Huic accedit S. JUSTINUS martyr[1] affirmans *nullum esse genus hominum sive barbarorum, sive graecorum, sive etiam aliorum omnium quocumque appellentur nomine.... inter quos non fiant preces et gratiarum actiones Patri et Creatori omnium per nomen Jesu Christi crucifixi.*

IRENAEUS[2] eodem fere tempore testatur ecclesias fundatas esse in Germania, in Hispaniis, in Galliis, in Oriente, in Aegypto, in Libyâ, in Meditullio, idest Jerosolymae et in Judaeâ.

Hisce testimoniis, quae scriptores sacri saeculi secundi nobis reliquerunt luculentissima circa longe lateque diffusam religionem christianam, addere placet quae desumere possumus ex fragmento tituli sepulcralis in Asia nuper detecto, in quo ABERCIUS hieropolitanus episcopus (saec. II) *universae ecclesiae consensum in unam fidem testatur*:[3]

Nomen mihi Abercius discipulus (sum) *pastoris casti*
Qui pascit ovium greges in montibus et agris
Cui oculi sunt grandes ubique conspicientes
Is me docuit litteras fideles (vitae).
Qui Romam me misit regnum (Ecclesiam) *contemplaturum*
Visurumque reginam aurea stola aureis calceis decoram.
Ibi vidi populum splendido sigillo insignem (populum christianum),
Et Syriae vidi campos urbesque cunctas Nisibin quoque
Transgresso Euphrate. Ubique vero nactus sum (familiariter) *colloquentes*
Paulum habens....
Fides vero ubique mihi dux fuit
Praebuitque ubique cibum piscem e fonte
Ingentem, purum, quem prehendit virgo casta
Deditque amicis perpetuo edendum
Vinum optimum habens ministrans (vinum aquae) *mixtum cum pane.*[4]

---

[1] *Dialog. cum Triphone*, n. 117.

[2] *Adversus haereses*, l. I, c. 10, n. 2; cf. l. III, c. 3, n. 2.

[3] Cf. *Bulletin de correspondence hellénique*, m. Julio, 1882, p. 518; *Bollettino di Archeologia cristiana*, ann. 1882, p. 77-82; *Bulletin critique*, 1885, p. 135-136; DUCHESNE, *Bull. critique*, 1894, p. 17; IDEM, *L'Épitaphe d'Abercius*, in *Mélanges d'Archéologie et d'histoire*, 1895; MARUCCHI, *N. Boll. di Archeol.*; ZACCHERINI, *L'Iscrizione di Abercio*; DE SANCTIS, SEMERIA, BATIFFOL, *Anciennes littér. chrét.*, p. 116; WILPERT, *Fractio panis*; SCHULTZE, *Theol. Liter.*

[4] Sensus christianus huius tituli sepulcralis evidens est, idque probarunt omnes exegetae catholici ad refellendas interpretationes ethero-

Initio saeculi tertii ita TERTULLIANUS[1] describit christianae religionis propagationem: *Hesterni sumus et vestra omnia implevimus urbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, palatium, senatum, forum; sola vobis reliquimus templa.*

597) c) Factum etiam ethnici scriptores testantur. SVETONIUS TRANQUILLUS, qui initio saeculi II Caesarum priorum vitas prosecutus est, refert quod Claudius[2] *Judaeos* IMPULSORE CHRESTO *assidue tumultuantes Româ expulit.*

TACITUS[3] narrat quod, Nerone persecutore, ingens Christianorum multitudo capite plexa fuit: *Quaesitissimis poenis affecit quos per flagitia invisos vulgus Christianos appellabat. Auctor nominis ejus Christus, Tiberio imperante, per procuratorem Pontium Pilatum supplicio affectus erat. Repressaque in praesens exitialis superstitio rursus erumpebat, non modo per Judaeam originem ejus mali, sed per Urbem etiam, quo cuncta undique atrocia aut pudenda confluunt celebranturque. Igitur primum correpti qui fatebantur, deinde indicio eorum* MULTITUDO INGENS, *haud perinde in crimine incendii, quam odio humani generis convicti sunt.*[4]

DIO CASSIUS (saec. III) haec refert[5]: *Quum Judaei*[6] *adeo frequentes Romae iterum fierent ut difficulter sine tumultu* PROPTER MULTITUDINEM *urbe possent exigi, non ejecit quidem, patriis tamen legibus vitam agentes* NON PASSUS EST CONVENIRE.

PLINIUS JUNIOR, propraetor in Bithyniâ, Trajano Imperatore, innumeros ibi invenit Christicolas, de quibus Im-

---

doxas quas in medium protulerunt FICKER (*Sitzungsberichte der königl. preuss. Akademie der Wissenschaften zu Berlin*, 1894, p. 87 sq.), HARNACK (*Texte und Untersuchungen*, 1895, tom. XII, fasc. 4), et DIETERICH (*Die Grabschrift des Aberkios*).

[1] *Apologet.*, c. XXXVII; cf. *Advers. Judaeos*, c. VII; BOISSIER, *La fin du Paganisme*, vol. I, p. 444.

[2] *Claudius*, c. 25.

[3] *Annal.*, lib. XV, c. 44.

[4] Haec quae scribit TACITUS pertinent ad annum LXIV, Neronis XI.

[5] *Hist.*, lib. LX, c. 6.

[6] Notandum quod initio Judaei cum christianis confundebantur.

peratorem consuluerat, quid sibi esset agendum [1]: *Visa est mihi res digna consultatione, maxime propter periclitantium numerum.* MULTI *enim omnis aetatis, omnis ordinis, utriusque sexus etiam vocantur in periculum et vocabuntur. Neque enim civitates tantum, sed vicos etiam atque pagos superstitionis illius contagio pervagata est.*

Item alii Scriptores profani quamplurimi testantur: quos inter eminet SENECA [2]. Igitur Religio christiana celerrime diffusa est.

598) B) *Religio christiana cujuslibet ordinis, sexus et aetatis asseclas obtinuit.*

Nonnulli ad minuendam veritatem conclusionis asserunt quod unice plebs et servi amplexati sunt religionem christianam.

Sed quamvis verum sit primitias christianorum praecipuas inveniri inter plebem, nihilominus viros illustres vel doctrina vel opibus praestantes nomen Christi religioni dedisse historia testatur.

Scimus enim SOSTHENEM, APOLLINEM, CRISPUM archisynagogum, SERGIUM PAULUM proconsulem, DIONYSIUM AREOPAGITAM, FLAVIUM CLEMENTEM, CLEMENTEM ALEXANDRINUM, PANTAENUM, JUSTINUM, IRENAEUM, MELITONEM, APOLLINAREM, THEOPHILUM, HEGESIPPUM, MILTIADEM, ARISTIDEM, QUADRATUM, IGNATIUM, DOMITILLAM, ACILIUM GLABRIONEM, ATHENAGORAM, TERTULLIANUM, HERMETEM Urbis praefectum, QUIRINUM tribunum militum, ejusque filiam BALBINAM [3], aliosque plurimos religionem christianam professos esse, de quibus ARNOBIUS [4] scribit: *Tam magnis ingeniis praediti oratores,*

---

[1] PLINII, l. X, Epist. 97. Cf. BOISSIER, op. cit., p. 445 sq.
SENECA, apud S. AUGUST., *De Civitate Dei*, l. VI, c. 22, n. 36.

[3] Cf. RUINART, *Acta sincera Martyrum*; LE BLANT, *Les actes des Martyres*; DE ROSSI, *Boll. di Arch. crist.*, 1874; MARUCCHI, *Le nuove scoperte nelle Catacombe di Priscilla*; ARMELLINI, *Le Catacombe romane*, I, c. 14; ALLARD, *Histoire des persécutions de l'Église*; CINTI, op. cit., vol. I, p. 129-135; SEMERIA, *Il primo sangue cristiano*, p. 73-85.

[4] *Advers. Gentes*, l. II, c. 5; MIGNE, *P. L.*, V, 816. Cf. GREPPO, *Mémoires relatifs à l'histoire e clés. des premiers siècles; Les chrétiens de la maison de Néron*; GUERANGER, op. cit.

grammatici, rhetores, consulti juris ac medici, philosophiae secreta rimantes, magisteria haec expetunt, spretis quibus paulo ante fidebant, quia *salutaris Dei sermo*, refert Eusebius,[1] *quamplurimos ad religiosum summi numinis cultum pertrahebat, adeo ut multi etiam ex iis qui in urbe Roma genere atque opibus eminebant simul cum universa domo ac familia salutem consecuturi accurrerent.*

599) C) *Religio christiana non solum mirifice propagata est, sed etiam integra conservata est.*

Hanc conclusionem impugnavit Harnack[2] affirmans religionem christianam post saeculum quintum omnino immutatam esse. Non quaerimus hic de mutationibus accidentalibus quae in religione christiana, vel potius in disciplina ecclesiastica evenere, sed tantum quaerimus utrum per aliquod tempus religio a Christo data desierit esse; et dicimus quod religio christiana non obstantibus quamplurimis obstaculis sive *externis* sive *internis* eam aggredientibus, jugiter ad nostra usque tempora stetit non iners et immobilis, sed in dies vivens et succrescens, ita ut non videatur fini proxima.

Hujus conclusionis luculentissimum argumentum praebet Werner[3] afferens tabellam ex qua deducimus quot singulis saeculis religio christiana asseclas ad se adscivit. Saeculo enim primo christicolas 500000 enumeramus, saeculo secundo 2000000, tertio 5000000, quarto 10000000, quinto 15000000, sexto 20000000, septimo 25000000, octavo 30000000, nono 40000000, decimo 50000000, undecimo 70000000, decimosecundo 80000000, decimotertio 85000000, decimoquarto 92000000, decimoquinto 100000000, decimosexto 125000000, decimoseptimo 150000000, decimoctavo 200000000, decimonono 300000000.

600) Probatur II pars. — *Propagationi et conservationi religionis christianae plurima obstabant impedimenta.*

---

[1] *Hist. eccles.*, l. V, c. 21.

[2] *Essence du christianisme.*

[3] *Orbis terrarum catholicus*, p. 2. Cf. *Studi religiosi*, op. cit.

Propagationi obstabant impedimenta tam *intrinseca*, quam *extrinseca*.

a) *Impedimenta intrinseca* oriebantur ex doctrina ipsa, quae quamvis ob suam excellentiam tam theoreticam quam practicam hominem optime affectum posset allicere, plurimos tamen non una de causa repellebat.

Et sane religio christiana sui auctorem exhibet hominem *crucifixum* eumque docet adorandum esse: *Judaeis scandalum, gentibus autem stultitiam.*[1] Nemini enim ignotum est quot errores tunc temporis viguerint circa Messiam, quamve ignominiosum fuerit crucis supplicium.[2]

Insuper doctrina christiana dogmata et mysteria credenda proponebat, quibus cum rationem excederent, homines difficulter assensum praebebant[3].

Hisce difficultatibus mere speculativis accedunt difficultates ex parte doctrinae practicae, quatenus religio christiana *morum praecepta* tradebat vi quorum summa vitae puritas praescribebatur e diametro opposita morum licentiae quae Ethnicis permittebatur et quae ipso deorum cultu honestabatur.[4]

601 b) *Impedimenta extrinseca* oriebantur 1°) ex eo quod religio christiana per totum orbem propaganda, erat fere omnibus hominibus *religio* et *lex peregrina*; 2°) ex eo quod ortum ducebat *a Judaeis* qui reliquis populis invisi erant tum ob exiguitatem numericam, tum ob contemptum et odium in quod incurrerant[5], quodve in Christianos plu-

---

[1] Paulus, *Ep. I ad Cor.*, c. I, 23.

[2] Origenes, *C. Celsum*, II, n. 17; Socrates, *Hist. eccles.*, l. III, c.23; Tertull., *Apolog.*, c. XVI.

[3] Hanc difficultatem Ecclesia optime novit, et in hoc praecise exponenda est ratio disciplinae quae initio Ecclesiae viguit tradendi Symbolum paulo ante Baptismi collationem. Cf. S. August., *De Vera Relig.*, c. III, 19.

[4] Cf. Tertullian., *De spectaculis*, c. I; Justin., *Apol.*, I, 14; Origenes, *C. Celsum*, III, n. 29-30.

[5] Cf. Tacitus, *Hist.*, l. V, c. 3, 5; *Annal.*, XV, 44; Florus, *Rer. Rom.*, l.III, c. 6; Origenes, *C. Celsum*, l. VI, n. 78; Tertull., *Apol.*, c. XVI.

rimas excitabat calumnias; 3°) ex eo quod Judaei tenacissime adhaerebant religioni et ritibus mosaicis,[1] quos etiam a Gentilibus servari cupiebant, et a Christo, quem crucifixerant, abhorrebant; 4°) ex eo quod Gentiles indifferentes erant circa religionem et nimium voluptatibus serviebant.

Hisce obstaculis accedit quod *populus* tenaciter avito deorum cultui adhaerebat utpote patriae fatis et fortunis conjuncto, easque tantum religiones et cultus extraneos recipiebat qui patrio cultui sociari poterant: hinc fiebat ut religio christiana aliarum religionum rigide *exclusiva* displiceret.[2]

Sacerdotes gentilium, qui ab inani deorum cultu victum et honores trahebant, omni nisu conabantur impedire religionis christianae propagationem. Id pariter Imperatores praestabant, qui ut summi Pontifices et dii habebantur.

Philosophi autem religionem christianam *amentiam exitiabilem, opinionem a scientiis et artibus alienam, superstitionemque* esse praedicabant.[3] *Epicurei* foedissima fovebant vitia, quare christianam religionem summopere despiciebant.

Stoici vero dum ex una parte videri poterant propagationem Christianismi fovere, ex altera vero eam enixe impediebant.[4]

Denique obstaculum gravissimum *ex politicis rationibus* oriebatur, quia praejudicium invaluerat non posse nationes et regna diu consistere *peregrino Christianorum cultu* admisso. Neque parum diffidentiae insinuabat spiritus *fraternitatis*, et *aequalitatis* quem religio christiana insinuabat.

Hisce omnibus de causis factum est ut primis tribus Ecclesiae saeculis religio christiana saevissimis obnoxia fuerit persecutionibus.

---

[1] *Act.*, XV, 5.

[2] Cf. FREPPEL, op. cit., p. 58 sq.; LECKY, op. cit., vol. I, p. 414 sq.; KORTHOLT, *De calumniis contra christianos*, 1683; SEMERIA, *Il primo sangue cristiano*, p. 84, 86.

[3] Cf. FREPPEL, op. cit., p. 22 sq.; TACIT., *Ann.*, XV, 44; PLIN., *Epist. ad Traj.*; MIN. FELIX, *Octavius*, 11.

[4] SEMERIA, *Il primo sangue cristiano*, p. 273 sq.

602) Ne autem videamus res in nostrae conclusionis commodum exaggerare, animadvertimus tot inter obstacula religionis christianae quae ceterum in se quaedam continebat quae poterant homines allicere, propagationi ipsos *martyres* viam stravisse, juxta verba TERTULLIANI: *Sanguis martyrum, germen christianorum.*

SEMERIA[1] considerans Christianismi propagationem merito haec scribit: *La preparazione che, inconsciamente propagandosi, le religioni orientali facevano al Cristianesimo era anche maggiore per questo che non solo disponevano gli animi ad accogliere nuove forme di culto e nuovi pensamenti, ma forme di culto che avevano qualche analogia con la cristiana. Il Cristianesimo ha, perchè divino, una superiorità, una trascendenza su tutte le forme religiose, ma, perchè umano, un' analogia con tutte — e può averne maggiori con alcune.*

603) Conservationi religionis christianae pariter obstabant *externa* impedimenta et *interna*. Externa quidem quia tribus prioribus saeculis Imperatores, Philosophi et populus ipse eam divellere conati sunt. Hos exceperunt JULIANUS APOSTATA, deinde MOHAMETANI qui vi armorum eam extinguere conati sunt, tandem RATIONALISTAE cujusque aetatis et formae omnimode eam opprimere nisi sunt et etiam nunc nituntur.

Neque defuerunt *interna* obstacula ab haereticis opposita, scilicet a GNOSTICIS, ARIANIIS, NESTORIANIS, MONOPHYSITIS, PELAGIANIS, ICONOCLASTIS, ALBIGENSIBUS, aliisque omnibus qui Ecclesiae unitatem et doctrinam impugnarunt.[2]

Haec tamen obstacula Religio christiana jugiter invicta superavit: quo factum est ut incorrupta ad nostra usque tempora perseveraverit.

604) PROBATUR III PARS. — *Media adhibita ad propagandam religionem christianam haud proportionata erant fini obtento.*

---

[1] Op. cit., p. 366.

[2] HARNACK, op. cit. Ipse concedit propagationem religionis christianae duo potissimum obstacula habuisse, scilicet *persecutiones* et *adversariorum scripta*, quae vel *politice* (ut ecce scripta CELSI) vel *theologice* (vel ecce scripta PORPHIRII) eam aggressa sunt.

Et sane pauci Christi discipuli tantum opus aggressi sunt iis omnibus destituti, quibus modo abundamus, mediis, quaeque maxime influunt ad hominum animos flectendos, uti sunt scientia, eloquentia, divitiae, gloria, nobilitas, armorum vis, passionum blandimenta, commodorum temporalium promissio. Scimus enim Apostolos sermones ad populum habuisse *non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis*,[1] quia erant rudes, imperiti neque, si paucos excipias, dicendi facultate praediti.

Scite, animadvertit TANQUEREY[2] *quomodo* (Apostoli) *eloquentiâ solâ illos persuadere poterant, quos nec Aristotelis dialectica, nec Platonis Ciceronisque eloquentia ad meliorem frugem convertere potuerat? Isti sane philosophi majori humanâ auctoritate pollebant quam Apostoli, sed, praeter paucos quos formaverunt discipulos, ecquid profecerunt? Non ergo rethoricâ vel dialecticâ arte mundum instauraverunt.*

Non vi,[3] neque divitiis, neque per blanditias voluptatis Apostolos mundum convertisse ex historia et ex ipsâ doctrinâ in se inspectâ didicimus. Quare tam celeris religionis christianae propagatio vel per miracula effecta est, vel, si absque miraculis evenit, hoc factum, utpote legibus ordinis moralis omnino contrarium, est omnium miraculorum maximum.[4]

Ad rem scribit S. THOMAS[5]: *Hujusmodi autem veritati, cui ratio humana experimentum non praebet, fidem adhibentes, non leviter credunt quasi doctas fabulas secuti.... Haec enim divinae sapientiae secreta, ipsa divina sapientia, quae omnia plenissime novit, dignata est hominibus revelare, quae sui*

---

[1] S. PAULUS, *Ep. I ad Corinth.*, II, 4-5.

[2] Op. cit., p. 222.

[3] Saeculis tantum IX et X scimus Barbaros indiscreto zelo correptos vi homines coëgisse ad religionem amplectendam; hoc tamen factum est quum jam late religio diffusa erat.

[4] S. AUGUST., *De civit. Dei*, lib. XXII, 5; cf. S. JOANN. CRYSOST., *Quod Christus Deus*, l. I, 17.

[5] *Contra Gentes*, l. I, c. 6.

praesentiam et doctrinae et inspirationis veritatem convenientibus argumentis ostendit, dum ad confirmandum ea quae naturalem cognitionem excedunt opera visibiliter ostendit quae totius naturae superant facultatem, videlicet in mirabili curatione languorum, mortuorum suscitatione, coelestium corporum mirabili immutatione et quod est mirabilius, humanarum mentium inspiratione, ut idiotae et simplices, dono S. Spiritus repleti, summam sapientiam et facultatem in instanti consequerentur. Quibus inspectis, praedictae probationis efficacia, non armorum violentia, non voluptatum promissione, et quod est mirabilissimum, inter persecutorum tyrannidem, innumerabiles turbas, non solum simplicium, sed etiam sapientissimorum hominum ad fidem christianam convocavit: in qua omnem humanum intellectum excedentia praedicantur, voluptates carnis cohibentur, et omnia quae in mundo sunt haberi contemptui docentur; quibus animos assentiri mortalium, et maximum miraculum est et manifestum divinae inspirationis opus, ut contemptis visibilibus, sola invisibilia cupiantur. Hoc autem non subito, neque casu, sed divinae dispositione factum esse manifestum est ex hoc, quod hoc se facturum Deus multis ante Prophetarum praedixit oraculis.... Haec autem tam mirabilis mundi conversio ad fidem christianam, indicium certissimum est praeteritorum signorum, ut ea ulterius iterari necesse non sit, cum in suo effectu appareant evidenter. Esset autem omnibus signis mirabilius, si ad credendum tam ardua et operandum tam difficilia et ad operandum tam alta mundus absque mirabilibus signis inductus fuisset a simplicibus et ignobilibus hominibus, quamvis non cesset Deus etiam nostris temporibus ad confirmationem fidei per sanctos suos miracula operari.[1]

605) Ex iis quae hucusque disputavimus evidens fit nulli causae naturali posse propagatae religionis christianae factum tribui.

---

[1] Eodem ac S. THOMAS modo arguit divinus ALIGHERIUS canens:

Se il mondo si converse al Cristianesmo,
Diss' io, senza miracoli, quest' uno
È tal che gli altri non sono il centesmo.

Non negamus tamen divinam providentiam etiam in hoc causarum secundarum ministerio usam esse quas causas occasiones rectius dicere debemus et conditiones, quae faciliorem reddidere actionem divinae dispositionis.

Merito proinde DUFOURCQ[1] haec scribit: *Moralmente la società umana era pronta a ricevere la venuta di Cristo. Se infatti il mondo doveva essere pronto materialmente alla venuta del Salvatore, prontezza che risultò principalissimamente nell'unità dell'impero romano, veicolo al diffondersi del cristianesimo, e nell'epoca che dopo Augusto per alcuni anni fiorì, perchè non lo doveva essere anche in un certo senso, moralmente, auspicando quasi nuovi e migliori orizzonti alla morale ed alle leggi? Non soltanto ci fu una preparazione giudaica al cristianesimo (e consistè in un concetto diffuso, più esatto del regno messianico, non quasi di dominazione terrena e politica, ma spirituale e celeste benchè per mezzo di un'organizzazione visibile) ma sì una preparazione pagana, cioè del paganesimo, che* POLITICAMENTE *tendeva ad unificare i popoli, cittadini di Roma,* SOCIALMENTE *informava il diritto pubblico alla equità e non al* summum jus *dell'antico giure quiritario,* INTELLETTUALMENTE *insinuava una certa diffidenza della ragione e della sua sufficienza a sciogliere i problemi umani,* MORALMENTE *si accorgeva di una stretta parentela fra gli uomini che Cicerone già chiamava tutti fratelli.*

Sed hae causae occasionales non sunt adeo exaggerandae ut ipsis solis tribui debeat celeritas propagationis religionis christianae, sed praecipuae partes sunt supernaturali Dei actioni tribuendae.

606) Quibus praenotatis videamus quid sentiendum sit de opinione illorum qui cum GIBBON propagatae religionis christianae assignarunt causas mere naturales.

Rationes quas GIBBON protulit aliae *confictae* sunt, aliae *ineptae* probantur ad suadendam hominibus christianam

---

[1] Op. cit. Id implicite docet S. THOMAS in Summae Theologiae parte tertia, cum quaerit *utrum conveniens fuerit Deum incarnari a principio mundi, et utrum incarnatio differri debuerit usque ad finem mundi.*

religionem. Conficta est quae petitur a *promissis deliciis regni millenarii*, opinionem enim circa regnum millenarium non Ecclesia sed privati doctores tradiderunt. Conficta insuper est ratio quam adducit de imminuta ac pene extincta Numinum superstitione, et de incuria ethnicorum in ea restituenda; quia, historiâ teste, christiani inde ab ortu religionis poenis ubique gentium affecti sunt, calumniis, aggressionibus, publicis edictis proscripti.

607) Aliae vero rationes ineptae sunt, quia cum ageretur de inducenda nova religione infensa hominum cupiditatibus, remota omnino a rebus humanis, requirebatur Dei testimonium indubiis signis comprobatum. Porro rationes quas Gibbon enumerat non praeseferunt ea indubia signa, quae possunt hominem ad religionem inducere; eae enim naturales omnino sunt, et proinde non possident eam vim quae requiritur ad assensum religioni revelatae praestandum.

Pariter nihil potuit *zelus* christianorum, quia zelus hujusmodi vim habet pro iis qui jam conversi sunt, non vero pro iis qui sunt convertendi et a societate, cui firmiter adhaerent, eradicandi.[1] Quin etiam zelus intolerans potius homines irritat et repellit, praesertim eos qui sunt vel indifferentes, vel eclectici, uti de facto quamplurimos homines tales fuisse initio praedicationis christianae invenire datum est.

Promissio vitae futurae jam antea ab aliis religionibus praedicata fuerat; nihil proinde novi proferebat, non multo plures homines quam antea convertere poterat, neque de se sola, sine speciali providentia divina, animos moresque immutandi vim habebat.

Potestatem *miracula* patrandi, quam pro se vindicabant Christiani, etiam ethnici et pagani sibi vindicabant; proinde nisi Christiani vera patrassent miracula hominum assensum sibi non potuissent conciliare.

Poterant *vitae* puritas virtutesque Christianorum esse validum argumentum ad ethnicorum excitandos animos, et

[1] Newman, *Grammar of Assent*, 159.

ad divinitatem religionis ostendendam, sed hoc non sufficit ut mores radicaliter immutari possint, nisi ipsis Dei gratia accedat: vidimus enim saepe virtutem praedicatam etiam ab ethnicis, sed praedicatio semper frustranea fuit.

Relate autem ad *constitutionem* Ecclesiae, non negamus eam esse stabilitatis causam, sed necessarium fuit ut homines, antequam se se auctoritati Ecclesiae subiicerent, sibi persuasum haberent omnem auctoritatem et potestatem esse a Deo.

Ceterum animadvertimus rationes quas adducit GIBBON posse utique retineri ut causae occasionales quae quodammodo faciliorem reddiderunt Christianismi propagationem, non vero fuerunt unicae causae quibus exclusive tribui debeat conversio totius orbis ad religionem christianam.

608) Pariter rationes quas affert HARNACK inter causas occasionales et conditiones, quae faciliorem potuerunt reddere christianismi propagationem, recensendae sunt: quia doctrina *monotheistica* de se sola non est capax efficiendi eam, quae evenit, conversionem; cur enim aliae religiones, quae monotheismum profitebantur tantam diffusionem non obtinuerunt? Relate vero ad facilitatem quam ipse vindicat Ecclesiae se civilibus et religiosis populorum conditionibus accommodandi, nota musquod id Ecclesia praestat intra morum et honestatis limites non vero se hisce conditionibus accommodat cum morum jacturâ, quod verificatur de ceteris religionibus, quae aliquando morum licentiam permittunt, et nihilominus non obtinent eam diffusionem quam obtinuit religio christiana.

Quocumque igitur, concludimus cum TANQUEREY,[1] *se vertant adversarii, nullam naturalem causam invenire possunt qua stupenda mundi conversio explicari possit: causae sive extrinsecae sive intrinsecae, quas allegant, vel impares sunt omnino ad tantum effectum producendum, vel, si aliquam vim habeant, eam desumunt a speciali Dei providentiâ*: IGITUR DIGITUS DEI EST HIC: HAEC MUTATIO DEXTERA EXCELSI.

[1] Op. cit., p. 225. Cf. *Concil. Vat.*, sess. III, c. 3; DENZ., n. 1642.

§ II. TESTIMONIUM MARTYRUM.[1]

609) Quamvis haec quaestio intime connexa sit cum praecedenti, nihilominus discrimen inter hanc et illam invenimus, quia in propagatione religionis immediate et directe attendimus *promptam fidei susceptionem* cujusque generis obstaculis superatis, indirecte vero *constantiam* in eadem fide; in martyrio autem directe et immediate spectamus constantem fidei professionem quae etiam ad mortem tolerandam homines adduxit.

Certum est inter obstacula externa propagationem Christianismi impedientia fuisse etiam persecutiones, quae prioribus aerae nostrae saeculis Ecclesiam vexarunt, et in ipsis Christianorum fidem et constantiam maxime enituisse: unde luculentissimum exurgit argumentum pro divinitate religionis christianae confirmanda, quia constantia martyrum est miraculum ordinis moralis; neque ipsorum testimonium reiici potest.

610) PROPOSITIO XX. — *Ingens martyrum numerus et invicta ipsorum in tormentis constantia est miraculum ordinis moralis quo confirmatur divinitas religionis Christianae.*

611) PRAENOTANDA. — Cum juxta verba S. AUGUSTINI[2] tria requirantur ut quis martyr dici possit, scilicet *fides* cui testimonium redditur, tyrannus qui fidem persequitur et punit, patientia qua poena sustinetur, nos ut probemus constantiam martyrum esse miraculum ordinis moralis con-

---

[1] Cf. S. AUGUST., *De Civitate Dei*, XXII, 9; LACTANTIUS, *Divinae Instit.*, l. V, c. 19 sq.; ORIGENES, *Cont. Celsum*, l. I, n. 6; TERTULLIANUS, *Apol.*, c. 50; OTTIGER, *Theol. fund.*, I, 877; BALMES, *Briefe an einen Zweifler*, p, 99; GUTBERLET, *Lehrbuch der Apol.*, II, 226 sq.; VALSECCHI, op. cit., l. II, c. 15; FRAYSSINOUS, *Confér., Questions sur les Martyrs*; MONSABRÉ, *Introd. au Dogme*, 37e Conférence; BRUGÈRE, n. 60 sq.; HURTER, n. 89, 91, *Patrum opuscula*, vol. IV, diss. III, *Martyrum sanguis vox veritatis*, p. 143 sq.; LE BLANT, *Les Persécuteurs et les Martyrs*; RUINART, *Acta sincera Martyrum*; WILMERS, op. cit., p. 136 sq.; TANQUERREY, op. cit., p. 225; SEMERIA, *Il primo sangue cristiano*.

[2] *De Civitate Dei*, XXII, 9.

firmans divinitatem religionis christianae, quaerimus: 1°) de *numero* et *qualitate martyrum*, 2°) de *tormentorum genere*, 3°) de *martyrum constantia* in tormentis sustinendis, 4°) utrum haec tormenta pro fide sustinuerint.

612) ERRORES. — Nonnulli, ut ecce DODWELL (saeculo XVIII)[1] et LECKY[2] docent paucos omnino martyres in primaevis persecutionibus esse computandos; alii vero licet ingentem martyrum numerum admittant, nihilominus affirmant et alias religiones suos martyres habere; aiunt enim in Indiis homines se necandos subiicere curruum rotis, quibus idola vehuntur, viduas se in ignem immittere ne a maritis defunctis separentur; BABYSTAS in Perside tormenta et mortem gaudenter obire; *Anabaptistas* suos martyres habere.

613) PROBATUR I PARS. — *Ingens fuit numerus martyrum omnis aetatis, sexus et conditionis; poenae, quibus supposiri fuerunt, exquisitissimae.*

a) Ingentem fuisse numerum martyrum antiquitatis monumenta praesertim vero ea, quae in Catacumbis Christianis reperta sunt, satis superque testantur. Hanc veritatem quam luculentissime probavit RUINART;[3] modo omnes eruditi, etiam Rationalistae, admittunt, quibus perspectum est tribus prioribus saeculis decem saeviisse persecutiones, in quibus innumeri Christiani passi sunt.

His accedit explicita Scriptorum ethnicorum testificatio. TACITUS[4] enim affirmat sub Nerone *Christianorum multitudinem ingentem* tormenta subiisse; BRUTTIUS[5] refert sub Domitiano *plurimos Christianorum* crudeli martyrio necatos fuisse. Juxta EUSEBIUM[6], Marco Aurelio imperante, *innumerabiles prope martyres per universum orbem enituerunt.* Tertio autem saeculo rigidiores persecutiones, Diocletiano

---

[1] *De paucitate Martyrum.*
[2] Op. cit., vol. I, p. 428 sq.
[3] *Acta Sincera Martyrum,* Praef. § 2 et § 3, n. 63.
[4] *Annal.*, XV, 44.
[5] Apud EUSEBIUM, *Chronic.*, l. II.
[6] *Historia eccles.*, l. V, *Prooem.*

et Maximiano imperantibus, contra christicolas exarserunt, ita ut, teste LACTANTIO[1], *non singuli, sed gregatim circumdato igni* ambirentur. Idem supplicium cuidam Phrygiae urbi, EUSEBIO referente[2], ob religionis christianae professionem applicitum fuit.

Nec solum in Imperio Romano sed etiam apud Persas, postea apud Musulmanos et recentius apud Japonenses, Sinenses, Annamitas martyres fuisse ex historia accepimus. Ceterum hanc quaestionem de numero martyrum ad historiam remittimus, uti ad propriam sedem.[3]

614) b) Martyres cujuslibet conditionis, aetatis, sexusque fuisse pariter docet historia. Scimus enim inter eos qui pro Christi nomine passi sunt, recensendos esse, ex *nobilibus* FLAVIUM CLEMENTEM[4], ACILIUM GLABRIONEM, DOMITILLAM, APOLLONIUM, CHROMATIUM; ex *doctis* JUSTINUM, IRENAEUM, CYPRIANUM; ex *plebeis* THEODOTUM, SERENUM; ex *militibus* VICTOREM, SEBASTIANUM. MAURITIUM ejusque socios, et quadraginta MARTYRES SEBASTENOS; ex *mulieribus* PERPETUAM, CAECILIAM, LUCIAM, AGATHAM, PUDENTIANAM, BLANDINAM, POTAMIANAM aliasque plurimas; ex *senibus* POLYCARPUM utrumque SIMEONEM; ex *pueris puellabusque* CYRILLUM, THARCISIUM, EULALIAM, AGNETEM, EMERENTIANAM, DOROTHEAM.[5]

---

[1] LACTANTIUS, *De morte persecutorum*, c. XV.

[2] EUSEBIUS, *Hist. Eccles.*, l. VIII, c. 11.

[3] Cf. MARUCCHI, *Le persecuzioni* (Lessico Ecclesiastico); ALLARD, *Histoire des persécutions*; IDEM, *Rome souterraine*, p. 216 sq.; LEBLANT, op. cit., c. 27, p. 343, etc. etc.

[4] Haec apud SVETONIUM in vita *Domitiani* legimus (15): *Denique* FLAVIUM CLEMENTEM *patruelem suum*, contemptissimae inertiae, *cujus filios, etiam tum parvulos successores palam destinaverat, et abolito priore nomine alterum Vespasianum appellari jusserat, alterum Domitianum, repente ex tenuissima suspicione tantum in ipso consulatu ejus interemit.* Et n. 10: *Complures senatores, in his aliquot consulares interemit: ex quibus* CIVICUM CEREALEM *in ipso Asiae proconsulatu,* SALVIDIANUM ORFITUM, ACILIUM GLABRIONEM *in exilio, quasi* MOLITORES RERUM NOVARUM.

[5] Cf. BRUGÈRE, p. 154; RUINART, op. cit., *passim*; ALLARD, LEBLANT, CINTI, MARUCCHI, *Éléments d'archéol. chrét.*; SEMERIA, *Il primo sangue cristiano*, p. 57 sq., etc. etc.

Lactantius[1] ingentem martyrum considerans numerum ipsorumque conditionem et constantiam, haec merito animadvertit: *Latrones et robusti corporis viri ejusmodi lacerationes perferre nequeunt: exclamant et gemitus edunt, vincuntur enim dolore, quia deest illis* inspirata patientia. *Nostri autem (ut de viris taceam)* pueri *et* mulierculae *tortores taciti vincunt, et exprimere illis gemitum nec ignis potest. Eant Romani et Mutio glorientur aut Regulo, quorum alter necandum se hostibus tradidit, quod captivum puduit vivere; alter ab hostibus deprehensus, cum videret se mortem vitare non posse, manum foco injecit, ut pro facinore suo satisfaceret hosti, quem voluit occidere, eâque poenâ veniam, quam non meruerat, accepit. Ecce sexus infirmus et fragilis aetas dilacerari se toto corpore urique perpetitur, non necessitate, quia licet vitare, si vellent, sed voluntate, quia confidunt Deo.*

615) c) Tormenta vero, quibus Christiani suppositi fuerunt, atrocissima fuisse ipsi ethnici scriptores testantur. *Pereuntibus*, refert Tacitus[2], *addita ludibria, ut ferarum tergis contecti, laniatu canum interirent, aut crucibus affixi, aut flammandi, atque, ubi defecisset dies, in usum nocturni luminis urerentur.*

Hoc testimonium luculentissime confirmant Apologistae et historici. Narrat Eusebius[3] Christianos perpessos esse *ignem ac ferrum, clavorum suffixiones, bestias, profundos maris gurgites, membrorum abscissiones ac perustiones, confixiones et effossionem oculorum, totius denique corporis mutilationes, ad haec famem, ferrum, metalla ac vincula.*

His addatur omnes artes adhibitas esse ad patientiam Christianorum labefactandam, ipsorumque virtutem suppliciis *lentis* tentatam fuisse: *Verum hostis callidus*, scribit Hieronymus[4], *tarda ad mortem supplicia conquirens, ani-*

---

[1] Lactantius, *Div. Inst.*, l. V, 13.
Annal., XV, 44.

[3] *Hist. Eccles.*, l. VII, c. 14. Cf. Tertullian., *Apolog.*, XII; Lactant., *Div. Inst.*, l. V, c. 11; Lecky, op. cit., vol. I, p. 467 sq.

[4] *In vita Pauli eremitae.* Cf. S. August., *Enarr. in psalm.*, 47, n. 13; Ruinart, op. cit., p. 93 sq.

mas cupiebat jugulare, non corpora, et ut ipse qui ab eo passus est Cyprianus ait: VOLENTIBUS MORI NON PERMITTEBATUR OCCIDI.

616) d) Quare vita Christianorum, primis Ecclesiae saeculis, erat quaedam prolixitas et continuitas mortis, quia a societate gentilium exclusi, christiani perpetuis vexationibus obnoxii erant et quotidie ad patiendum et moriendum parati esse debebant. Nihilominus videmus eos, non ad modum fanaticorum, sed pacatis animis, nec sua fortitudine, sed Dei ope fretos ad pugnam procedere, et semper in carceribus, et suppliciis infractâ patientiâ perseverasse.

Ad hoc autem non movebantur ullâ spe lucri neque ulla inanis gloriae cupiditate, aut temporalis emolumenti expectatione. Hoc unum ipsos movebat, scilicet firma persuasio divinitatis, quam doctrina christiana praeseferebat, quam tot physicis et moralibus miraculis probatam viderant. Ad rem juvat recolere quae S. IGNATIUS scripsit ad Romanos, timens ne martyrium suum impedirent[1]: *Sinite me ferarum cibum esse, per quas Deum consequi licet. Frumentum sum Dei et ferarum dentibus molar ut purus panis Christi inveniar. Feris potius blandimini, ut mihi sepulcrum fiant, nihilque mei corporis relinquant, ne, postquam obdormiero, gravis alicui fiam.*

617) PROBATUR II PARS. — *Christiani tormenta pro fide sustinuerunt.*

Odium religionis causam fuisse persecutionum contra Christianos ab iis omnibus conceditur quibus illorum temporum historia nota est. Animadvertendum tamen est Romanos Imperatores religionem insectasse ob politicam causam: putabant enim sortes imperii affixas esse Deorum

[1] S. IGNATIUS, *Epist. ad Rom.*, n. 4. Eandem fuisse omnium christianorum mentem SULPICIUS SEVERUS testatur haec de nona persecutione referens: *Certatim gloriosa in certamina ruebatur, multoque avidius tum martyria gloriosis mortibus quaerebantur, quam nunc episcopatus pronis ambitionibus,* (*Hist. Sacr.*, l. 2). Cf. *Annales de la Propagation de la Foi*, passim.

cultui, easque in ruinam abituras si populus a Deorum cultu recederet.[1]

Hinc Christiani invisi facti sunt et tanquam *malefici* damnati. Eos SVETONIUS[2] vocat *genus hominum exitiabilis superstitionis novae et maleficae;* eosque NERO *subdidit reos, quos per flagitia invisos vulgus Christianos appellabat*[3], quia veluti *publicarum calamitatum* causa et *hostes imperii* insectabantur.

His accedit religionis christianae odium quae publicis edictis proscripta fuit: quo factum est ut Christiani sacrilegii et majestatis rei convenirentur[4], ipsis etiam devictorum populorum privilegio denegato, divictis enim jus patriam religionem exercendi concedebatur, quod nunquam Christianis concessum fuit.

Sive igitur religio christiana proscripta fuerit ob odium in religionem ipsam qua talem, sive ob politicam causam, certum tamen est christianos tormenta sustinuisse et mortem subiisse ad religionem, quam profitebantur, defendendam.

618) PROBATUR III PARS. — *Constantia martyrum in tormentis tolerandis est miraculum ordinis moralis quod divinitatem religionis christianae confirmat.*

Si numerus ingens martyrum consideretur, ipsorumque qualitas et conditio, si pariter prae oculis habeatur ipsorum constantia, hoc nobis persuasum erit hujusmodi factum esse miraculum ordinis moralis. Et sane haec constantia inter tormenta quae nobis praebet actus heroicos saepe repetitos a multitudine hominum omnis conditionis,

[1] Cf. TERTULLIAN., *Apol.*, 10.

[2] Cf. ATILIO PROFUMO, *L'Incendio neroniano e i cristiani.*

[3] SVETONIUS, *Vita Neronis*, n. 16.

[4] TACITUS, *Annal.*, XV, 44. Cf. TERTULLIAN., *Apol.*, 38. Notandum tamen est flagitia de quibus Christiani accusabantur fuisse praetextum, non vero causam persecutionis. Veram Christianos persequendi causam docet S. JUSTINUS (*Apol.*, II, n. 12): *Quia ab his institutis et ab ejusmodi facinorum auctoribus et incitatoribus refugiendum suademus, propterea variis modis oppugnamur.*

aetatis et sexus, ostendit Dei influxum, quo non solum intellectus illustratur, sed etiam voluntas efficaciter movetur, viresque speciales adduntur ad victoriam de infirmitate naturali consequendam.

Scimus enim hominem sibi soli commissum infirmum esse magisque duci rebus praesentibus, quae sensum movent et imaginationem percellunt, quam rebus invisibilibus et spiritualibus; ipsumque haud diutius posse praesentia tolerare tormenta. Scimus pariter rationes obiectivas, ut sunt desiderium beatitudinis et poenae aeternae metus, de se, absque auxilio supernaturali, non eam vim habere quae supponitur in martyribus fuisse.

Cum autem constet martyres innumeros fuisse, summa tolerasse tormenta alacriter gaudenterque humana divinis postponentes gaudiis, licet concludere Deum per se ipsum egisse in martyres, non solis veritatibus revelatis, nec solis promissis et minis, sed singulari auxilio gratiae.

Hoc argumentum egregie exponit MINUCIUS FELIX[1] ethnicos ita alloquens: *Nec intelligitis, o miseri, neminem esse, qui aut sine ratione velit poenam subire, aut tormenta sine Deo possit sustinere?*

619) Divino eoque speciali auxilio martyres adjutos fuisse constat insuper ex ipsis martyrum attestationibus. Unum vel alterum audiamus testimonium.

RUINART[2] refert quod S. Felicitas, cum in carcere immaturo partu doleret, cuidam interroganti: *Quae sic modo doles, quid facies obiecta bestiis, quas contempsisti, cum sacrificare noluisti;* respondit: *Modo ego patior, quod patior; illic autem* ALIUS ERIT IN ME, QUI PATIETUR PRO ME *quia et ego pro illo passura sum.*

Idem testatur ANDRONICUS haec ad judicem alloquens: *Armatus a Deo meo ante te assisto in fide et virtute Domini Dei omnipotentis.*[3]

[1] MINUCIUS FELIX in *Octav.*, n. 37.
[2] *Act. martyrum, SS. Perpetuae et Felic.*, n. 15.
[3] RUINART, op. cit., p. 432.

Idem et ethnicos suspicatos esse hisce verbis testatur LACTANTIUS[1]: *Quum videat vulgus,* inquit, *dilacerari homines variis tormentorum generibus, et inter fatigatos carnifices invictam tenere patientiam, existimant id quod re est, nec consensum tam multorum, nec perseverantiam morientium vanam esse, nec ipsam patientiam sine Deo cruciatos tantos posse superare.*

620) Hoc speciale auxilium christianis concessum Deus ipse manifestis quandoque miraculis monstravit, quia saepe factum est ut vulnera subito sanarentur, vel ferae non auderent martyres tangere, cum in alios quoscumque impetum facere solitae essent.[2]

Majus autem miraculum illud est quod, non obstantibus suppliciis et tormentis quibus christiani afflictabantur, homines quamplurimi et quidem prudentissimi et veritatis studiosissimi ad religionem complectendam adducti sunt, quare merito TERTULLIANUS[3] adversarios his urgebat verbis: *Cruciate, torquete, damnate, atterrite nos ... nec quidquam tamen proficit exquisitior quaeque crudelitas vestra; illecebra est magis sectae. Plures efficimur quoties metimur a vobis, semen est sanguis Christianorum.*

621) Hanc martyrum constantiam nonnulli tribuere conantur lucri vel gloriae cupiditati, vel fanatismo.

Nullum humanum studium martyres movisse jam superius affirmavimus (n. 616).

Neque fanatismo martyrum constantia tribui potest. Fanatismus enim est caecus quidam ardor ad agendum, qui generatim apud rudes invenitur omnem discussionem excludens ab enthusiasmo derivans. Hinc est quod fanatismus, ut omnis furor aut passio vehemens brevi exstingui-

---

[1] *Inst.*, l. 5, c. 13.

[2] Cf. RUINART, op. cit., p. 309, 446, 586. Id IGNATIUS martyr testatur haec ad Romanos scribens (*Ep. ad Rom.*, c. 5): *Utinam fruor bestiis mihi praeparatis, quas et opto mihi veloces inveniri; quibus et blandiar, ut cito me devorent, non ut quosdam veritae non tetigerunt.* Cf. EUSEBIUS, *Hist. Eccl.*, l. VIII, c. 7; CYPRIANUS, *Epistolae*, passim.

[3] *Apolog.*, c. 50.

tur, neque potest simul esse omnium populorum aut gentium, sed unius alteriusve gentis, unius alteriusve regionis.

Porro si martyres consideremus, hoc nobis persuasum erit ab ipsis esse omnino fanatismum excludendum, tum quia inter martyres non deerant qui scientia coruscarent; tum quia martyres non solum discussionem non fugiebant, sed fidei suae rationem reddebant; tum quia vesani furoris signa non dabant, quin immo se mites, mansuetos ostendebant; tum quia per plura saecula martyres invenimus apud omnes populos christianos etiam maxime dissitos.

Utramque difficultatem ita refellit HURTER[1]: *Sane,* inquit, *nulla potest assignari causa naturalis, qua factum tam universale loco et tempore, tam stupendum, tam inauditum sufficienter possit explicari.*

Non spes lucri, *ut manifestum est; non* inanis gloriae cupido, *quam bene norant a religione nostra proscribi, per quam omnem martyrii fructum amisissent; plures in speluncis ac silvis vel fame perierunt, vel a feris devorati sunt, a nemine cogniti nisi a solo Deo. Infamia publica notati erant; plures conglobatim occisi vel combusti erant, adeo ut certi essent sua nomina ad posteritatem perventura minime esse. Denique magis a gloriae cupidine, quam a gladio, vel ab igne sibi timebant. Non* respectus humanus *qui potius innumeros ad defectionem inducit fortiterque erat vincendus; non* patriae amor, *quam in mundo non habebant, coelum patriam arbitrantes. Non* mentis furor, *quem fanatismum vocant; hunc enim abfuisse evincunt tot virtutes, quibus martyres ornabantur, in primis pax animi mentisque tranquillitas, prudentia in responsis, humilitas, diffidentia de sua virtute ac non intermissae ad Deum preces. Non inanis* expectatio bonorum futurorum.

Non diffitemur quidem martyres spe gloriae coelestis vehementer fuisse impulsos ad fortiter subeunda tormenta, ut liquet ex eorum actis, tantae tamen constantiae cum omnibus

[1] Op. cit., p. 100, n. 90. Cf. PERRONE, *Praelect. theol.*, t. I, p. 1, c. 3, pr. 5, n. 425; BALMES, *Briefe an einen Zweifler*, 5 Br.; STORCHENAU, *Die Philosophie der Religion*, tom. 5, d. 8.

adjunctis illis, quae expendimus, fides inanis et erronea causa esse non potuisset. Potest quidem esse, et revera saepe est, opinio erronea conjuncta cum pertinacia, haec vero cum constantia et fortitudine etiam admiranda; quandiu tamen error et vitium radix et fons esse nequeunt virtutum solidarum, virtutum heroicarum, virtutum adeo sublimium, ut earum vel umbram frustra apud philosophos ethnicos quaeras: persuasio erronea non sufficit ad explicandum martyrium, quale illud fuisse in Ecclesia per tot saecula accepimus. Inducet forte spes vana gloriae rudes eosque qui sunt vividae imaginationis, non vero homines prudentes quique sunt sollicitissime studiosi veritatis, viros eruditos solideque doctos. Cum ergo martyrum constantia ex causis naturalibus nequeat explicari, maneat illatio, quam jam saec. II ecclesia Smyrnensis in aurea epistola de martyrio sancti episcopi sui Polycarpi hisce verbis enunciavit: Eorum (martyrum) *strenuitatem ac tolerantiam et erga Dominum caritatem quis non admiretur? qui flagris quidem adeo lacerati, ut ad intimas usque venas et arterias corporis compago spectaretur, tamen sustinuerunt, ita ut etiam qui aderant miserarentur ac plangerent: ipsi vero eo fortitudinis venerant, ut nemo illorum vel strideret, vel ingemisceret, omnibus ostendentes, martyres Christi se tunc, dum torquerentur, a carne peregrinatos fuisse aut potius Dominum ipsis adstitisse et cum ipsis esse versatum.*

622) Cum autem constantia martyrum evidenter se prodat tanquam miraculum ordinis moralis, patet martyres esse testimonium luculentissimum pro vindicanda religionis christianae divina origine.

Hujusmodi autem testimonium potest considerari vel *materialiter*, vel *formaliter.*

a) *Materialiter* quidem ut est factum stupendum cujus nulla causa naturalis assignari potest.

b) *Formaliter* vero ut est testimonium vel humanum, vel divinum, quod pro obiecto duplicem habet veritatem, scilicet veritatem fidei ipsius, et veritatem eventuum illorum, quibus homo ad credendum inducitur.

Porro martyrum attestatio potest considerari ut testimonium humanum, quatenus historice constat quod inde ab

exordio religionis christianae adest continua series testium, qui indubitanter testantur existentiam illorum supernaturalium eventuum, quibus confirmatur veritas doctrinae revelatae, quibusque christiana nititur religio, propter quos et ipsi martyres tam firmiter crediderunt.[1]

Maximi autem faciendum esse martyrum testimonium exinde deducimus quod ipsi eventus, de quibus testantur, nosse poterant et debuerunt, quia fuerunt vel testes immediati, vel mediati, vel saltem ab iisdem non multum remoti, quin immo aliquando martyres ipsi supernaturalibus charismatibus insigniti fuerunt.[2]

623) Vis argumenti crescit si consideremus quod martyres non poterant non habere certam eventuum illorum cognitionem. *Nam,* ut animadvertit WILMERS[3], *maximam attentionem non tantum provocabat rei in se spectatae gravitas et salutis aeternae ratio, sed ipsius vitae temporalis periculum. Martyr enim cui offerebatur optio inter vitam et necem ignominiosam, inter Christianae religionis negationem ejusque professionem, sine dubio, ante omnia quaerebat, utrum ad necem prae vita eligendam obligaretur. Obligari se tunc solum judicabat, si constaret de eventibus quibus religio demonstratur divina.... Credere autem et in fide perseverare non poterant, nisi firmis argumentis ad fidem concipiendam et conservandam impellerentur.*

624) In martyrum testimonio etiam veritatis amorem invenimus, tum quia, ipsis adversariis fatentibus, summa in ipsis erat *probitas,* tum quia veritatis amor in teste eo est manifestior, quo graviora mala et incommoda testimonium affert; haec autem mala et incommoda martyribus continuo imminebant eo quod profiterentur religionem christianam divinam revelatamque esse.

625) Martyres sunt etiam testimonium divinum, quatenus ex iis, quae ipsi pro fide passi sunt, manifestum exur-

---

[1] Cf. S. PAULUS, *Epist. I ad Corinth.*, XV, 12 sq.

[2] EUSEBIUS, *Hist. Eccl.*, l. IV, c. 3; cf. S. IRENAEUS, *Adv. Haeres.*, l. II, cc. 31, 32; TERTULL., *Apolog.*, c. 23; ORIGEN., *C. Celsum*, l. I, 2, 46; l. II, 8; l. III, 28 etc.

[3] Op. cit., p. 543, n. 546.

git quod solus Deus speciali adjutorio ad tam heroicam confessionem confortare potuit.

626) Denique non est omittendum per martyres impleta esse vaticinia Christi, qui persecutiones et constantiam martyrum praedixit.[1]

Neque martyres initio tantum religionis Christianae invenimus, sed etiam subsequentibus saeculis nobis semper occurrunt facta et homines quibus continenter et fidem oppugnari, et pro fide vitam heroice profundi cernimus. Quare cum HIERONYMO[2] concludimus: *Cum quis viderit tantâ perseverantiâ stare martyres atque torqueri, et in suis cruciatibus gloriari, subit tacita cogitatio, quod nisi verum esset Evangelium, nunquam sanguine defenderetur. Neque enim delicata et divitiis studens ac secura confessio est; sed in carceribus, in plagis, in persecutionibus, in fame, in nuditate et siti. Hic triumphus est Dei apostolorumque victoria.*

627) Ad difficultatem solvendam, quae a nonnullis proponitur, quod scilicet etiam aliae religiones possunt suos martyres portendere, respondemus cum TANQUEREY[3]: *martyrium solum non esse invictum divinae religionis argumentum, sed martyrium talibus adjunctis vestitum, ut non humanis motivis sed divinae virtuti sit tribuendum. Jamvero in omnibus casibus allatis aliisque similibus quaedam saltem desunt ex his conditionibus.* a) *Ita e. g. qui in Indiâ morti se exponunt in circumstantiis jam relatis, non eligere habent inter vitam et religionem quam sequuntur, sed, propter speciales, quas tenent, opiniones de animarum transmigratione, mortem ut aliquid boni appetunt, scilicet ut medium quo facilius* nirvana *attingere possunt.* b) ANABAPTISTAE *vero ceterique Protestantes plerumque propter politicas seditiones sive in bello, sive post regulare judicium occisi sunt*[4]*; paucis*

---

[1] MATTH., X, 16 sq.; LUC., XXI, 15 sq.; JOANN., XV, 18; XVI, 2, 33.

[2] *Epist.*, CX, c. 10.

[3] Op. cit., p. 232, n. 228.

[4] Cf. AUDIN, *Histoire de Luther*, vol. III, c. I, XIX; ALZOG, *History*, § 308, 317, 333.

tantum data est optio inter conversionem et mortem, horumque fortitudo naturalibus causis, praesertim superbiae ascribi potest. c) *Quoad* BABYSTARUM *sectam, ex iis quae ab adversariis ipsis referuntur, clare colligitur eos fuisse fanatismo vere deditos,*[1] *ita ut nostris martyribus nullimode comparari possint. Notatu pariter dignum est martyres aliarum religionum plerumque saltem non testimonium praebere circa* facta *miraculosa sensibilia et publica, sed solum firmiter adhaerere* doctrinis *quas revelatas existimant. Jamvero circa* doctrinas, *maxime si superbiam vel libidinem foveant, multo facilius enthusiasmus excitatur quam circa* facta. *Maximum igitur discrimen est inter istos martyres et nostros: hi siquidem fuerunt innumeri, omnibus virtutibus praediti, mansueti et humiles, divinoque freti auxilio, haud raro miracula patrarunt, multos ad veram fidem tum exemplis tum miraculis traxerunt, et, licet nunquam vi restiterunt, persecutores tandem vicerunt, et Christianismum per totum orbem propagarunt; certe nulla est alia religio quae martyres his omnibus dotibus simul praeditos sibi vindicare possit, unde ex hoc merito colligimus supernaturalem characterem christianae religionis ejusque mirae propagationis.*

ARTICULUS VII.

DIVINITAS RELIGIONIS CHRISTIANAE PROBATUR EX COMPARATIONE CUM ALIIS RELIGIONIBUS.

628) Praeter argumenta directa quibus ostenditur divinitas religionis christianae, adsunt et alia argumenta indirecta, quae licet absolutum valorem non habeant quem illa praeseferunt, nihilominus multum conferunt ad confirmandam nostram conclusionem.

Ex his argumentis indirectis potissimum est illud quod exurgit ex comparatione religionis christianae cum aliis religionibus non revelatis.

---

[1] Cf. DE GOBINEAU, *Les Relig. et les Philos. dans l'Asie Centrale* p. 141 sq.; RENAN, *Les Apôtres*, p. 378 sq.

Certe disputatio nostra prolixior evaderet si omnes essent ad trutinam religiones vocandae; investigationem proinde coarctamus ad duas praecipuas religiones, scilicet ad *Budhismum* et ad *Mahumetismum*, tum quia multo plures enumerant asseclas prae ceteris religionibus; tum etiam quia ceterae religiones quae nunc vigent vel sunt Christianismi, vel Budhismi, vel Mahumetismi corruptiones.

De utraque religione brevis fiet sermo, multo magis quod jam superius passim occasionem nacti sumus comparationem instituendi inter religionem christianam et alias religiones.

§ I. DE BUDHISMO.[1]

629) Haec religio, quam nonnulli affirmant fuisse Christianismi fundamentum et initium, ortum habuit in Indiâ versus finem saeculi VI, vel initio saeculi V ante C. N. opə cujusdam SIDDARTHA, de familia *Gaudama*, ex regiâ stirpe Çakyae.[2]

---

[1] MAX MÜLLER, *Sacred Books of the East*; P. BIGANDET, *The Life or Legend of Gaudama the Budha of the Burmese*, gallice translat. a V. GAUVAIN; BARTHÉLEMY S. HILAIRE, *Le Boudha et sa religion*; T. S. BERRY, *Christianity and Budhism*; WILLIAM MONIER, *Budhism*; LEGGE, *A Record of Budhistic Kingdoms*; HARDWICK, *Christ and other masters*, p. II, c. 1-3; W. LILLY, *The Claims of Christianity*; DE BROGLIE, *Problèmes et conclus. de l'Hist. des Religions*, c. VI; C. DE HARLEZ, *Budhist sects in Japon*, apud *Dublin Review*, an. 1895; OLDENBERG, *Le Boudhe*, op. germanice scriptum et gallice versum a FOUCHER; BRUNIALTI, *Biblioteca di scienze politiche*, tom. X, p. 1324-1348; BARTH, *Religions de l'Inde*; E. BURNOUF, *Introd. à l'histoire du bouddhisme indien*, p. 90 et seq.; THOMAS, *Le Boudhisme*; TANQUEREY, op. cit., pag. 266 sq.; GOLDSTUCKER, *Lectures on the origin of religion buddhism*; OLCOTT, *Le Buddhisme sous forme de catéchisme*; DE LORENZO, *India e Buddismo antico*; BERTHOLET, *Buddhismus und Christentum*; V. HENRY, *Buddismo e positivismo*; J. CHIKADZAMI, *L'Evoluzione del Buddismo pel Giappone*; CAMERLYNK, *Buddismo e Cristianismo*; T. W. DAVIDS, *Buddist India*; VITALI G., *Del Buddismo* in ephem. *La cultura sociale*, aprile 1903, p. 109-111; A. COSTA, *Il Buddha e la sua dottrina*; etc. etc.

[2] Auctor Budhismi variis nominibus distinguitur, dicitur enim *Gaudama, Gautama, Gotama Fo, Çakya-Mouni, Boudha.*

De vita Budhae pauca omnino ad nos pervenerunt eaque fabulis permixta; hoc tantum constat quod ipse quum esset annorum 17 paternam domum, uxorem et filium deseruit ut Brahmanistas solitarios adiret, a quibus tamen discedens de eorum doctrinâ non contentus, in solitudinem secessit, ubi assiduis meditationibus et mortificationibus intendens, tandem post septem annos sapientiam invenit eamque hominibus praedicare coepit. Ad hanc longe lateque propagandam monachorum instituit ordinem qui caelibatum et paupertatem profitentes se totos Budhismi praedicationi devoverent.

630) Huic historiae accedit legenda. Siddartha, qui postea Budha appellatus fuit, idest sapiens, dicitur millies antea vixisse et dicitur fuisse successive monachus, mendicus, leo, columba, elephas, mercator, rex etc.

Ejus mater *Maya*,[1] quae sterilis erat, filium miraculose concepit et genuit. Budham nascentem spirituum chori in coelo canticis salutarunt, veluti praesagium futurae gloriae quam ipse adepturus erat. Budha, voluptatibus abdicatis, ad quas pater eum instituerat, in desertum se recepit, ubi superatis malorum spirituum impugnationibus maximam sapientiam consecutus est virtutemque miracula patrandi. Per annos 45 poenitentiam et paupertatem praedicavit, et tandem obiit nunquam denuo nasciturus.

631) Budhae doctrina. — Budhismus qualis a Budha promotus fuit, non vero Budhismus vulgaris, qui plus minus idololatriam promovit, ad haec doctrinae capita reducitur: a) Nullus est Deus admittendus, quia vel non existit, vel saltem de ejus existentia nihil certi cognosci potest. b) Omnia entia sunt aequalia, unicum inter ipsa discrimen derivatur ex diversitate perfectionis ad quam ipsa suis meritis pevenerunt. c) Animarum *metempsychosis*[2] pariter ha-

[1] Ex similitudine hujus nominis cum nomine matris Jesu nonnulli dicunt Christi vitam esse mythum a Budhismo desumptum.

[2] Recentiores critici, quos inter eminet Rhys Davids, negant Budham docuisse *metempsychosim*.

betur ut dogma fundamentale. Hinc est quod dum omnia entia mutationibus sunt obnoxia, unum ens tantum immutabile remanet, scilicet *Lex.* d) Quum autem vita sit doloribus et miseriis supposita, hoc unum homines desiderare debent, idest a vita liberari, et in *nirvana* ingredi.[1] Ad hanc ultimam perfectionem illis tantum pervenire conceditur qui praetergressi quatuor beatitudinis *stadia* recognoverunt quatuor veritates fundamentales quas Budhismus profitetur.[2]

Ab hac fundamentali doctrina deducitur Budhistarum *ethica*, quae docet concupiscentiae omnino renuntiandum esse a qua omnia mala derivant, et animam removendam esse ab omnibus desideriis et voluptatibus, quae eam attrahunt.

Id autem obtinetur non per preces, quia nullus Deus est pro Budhistis, neque per immoderatas et excessivas mortificationes, sed per pia exercitia, ut sunt culparum confessio, meditatio, caritatis opera, eleemosynae etc. etc.

Budhistae in *fideles* et *religiosos* dividuntur; quorum illi simpliciter tenentur non furari, non mentiri, non inebriari, non adulterium neque homicidium committere ut se ad *nirvana* praeparent. Religiosi autem, qui aliis hominibus viam ostendunt se a miseriis hujus vitae liberandi, tenentur *coelibatum* et *paupertatem* strictissime colere; hinc est quod ipsi vitam ducunt eleemosynis adjuti quas ipsis fideles praestare tenentur.

---

[1] Quid sit *nirvana* non aperte constat. Est enim juxta quosdam entis perfecta *annihilatio*; juxta alios est perfecta quies ad quam homines gradatim pervenire debent post multas transmigrationes, vel amissio conscientiae personalis.

[2] Has fundamentales veritates ita Budhistae enunciant: *dukha, samudaya, nirodha, márga*, scilicet *dolor, doloris origo, doloris impedimentum, via* quae ad impediendum dolorem ducit. Omnis res ab ortu ad obitum *dolor* est: hujusmodi dolor originem ducit a *desiderio* quod producit existentiae renovatio per *Karman* (est *Karman* activitas sensu latissimo accepta); *Karman* sublato, et dolor tollitur, via vero quae ad Karman tollendum ducit consistit in hoc ut quis *recte credat, recte loquatur, recte operetur, recte vivat, recte cogitet, recteque meditetur*.

632) Haec summa doctrinae budhisticae lineamenta; ex quibus facile cognoscitur quantum doctrina Budhae a Christianismo differat.

Praeter quam quod Budhismus qui hodie viget substantialiter est immutatus,[1] videmus quod ipse nullimode potest jactare divinam originem, quia, utar verbis clarissimi THOMAS,[2] *la notion d'un Dieu personelle, créateur de l'univers, source et fondement de l'ordre morale, est complétement étrangère à l'enseignement de Çakya-Mouni.*

Pariter in doctrina Budhae desideratur vera notio circa naturam et finem hominis. Mundus vero et vita tanquam malum exhibentur, pluraque alia traduntur a Budhismo quae sunt evidenter falsa.

Concedimus ultro praecepta moralia Budhae non esse spernenda, sed ipsa hoc vitio inficiantur quod ex propriae felicitatis desiderio suggerantur.

Certum insuper est doctrinam Budhae a superbiâ informari, hinc Budhismi fructus nonnisi pravi esse possunt. Re quidem vera scimus apud Budhistas vigere polygamiam, polyandriam, divortium, et in monachis non veras virtutes, sed plerumque pigritiam et torporem inveniri.[3]

Sin autem quaeratur de propagatione Budhismi fatemur hanc religionem late diffusam esse et adhuc post viginti quinque saecula sectatores retinere. Hujus facti intima ratio ex eo repetenda est quod Budhismus passionibus non adversatur et favet superstitionibus quae vigent apud populos inter quos diffusus est.

Multas vero evolutiones subiisse Budhismum et in varias sectas divisum esse omnibus notum est. Quare concludere licet Budhismum non esse religionem supernaturalem et revelatam, sed humani ingenii inventum qui

---

[1] Cf. THOMAS, op. cit., vol 5, p. 15. *Les innombrables divinités,* ipse ait, *dont la foi populaire a peuplé le panthéon bouddhique ne se rattachent par aucun lien nécessaire à la doctrine du fondateur.*

[2] Op. cit., vol. I, p. 14.

[3] Budhismum non posse vera miracula jactare ostendimus superius n. 587.

multos continet errores, neque sufficiens est ut homines ad moralitatem adducat. Hinc est quod comparatione instituta inter Budhismum et Christianismum concludere cogimur religionem christianam Budhismo perfectiorem esse.

§ II. DE MAHUMETISMO.[1]

633) Haec religio, quae et Islamismus dicitur, ad indicandam completam et inconditionatam in Deo fiduciam, originem duxit a *Mahumeto*. Hic, juxta traditionem Mahumedanorum quae nunc viget, ortus est die 20 Aprilis anno 570 (vel. 571). Post transactam adolescentiam greges pascens et mercaturam exercens, anno 610 (vel 611) cupiens prophetam fieri, ad id suâ superbiâ adductus et Christianae

---

[1] Cf. G. SALE, *The Koran*; CAUSSIN DE PERCEVAL, *Essai sur l'histoire des Arabes avant l'Islamisme*; W. MUIR, *The Life of Mahomet and history of Islam*; A. SPRENGER, *Das Leben and die Lehre des Mohammad*; ALI SEED AMEER, *A Critical examination of the Life and Theachings of Mohammed*; J. BARTHÉLEMY ST. HILAIRE, *Mahomet et le Coran*; ABBÉ DE BROGLIE, *Les Origines de l'Islamisme* in Revue *Les Religions*, 1889-90, n. 1, 3, 5; DOELLINGER, *Origines du Christianisme*, tom. II, c. 16 sq.; H. DE CASTRIES, *L'Islam, Impressions et Études*; *Revue des Deux Mondes*, 1 sept., 1896; *Un nouveau livre sur l'Islamisme; Encyclop. Britannica* sub voc. *Mohamedamism*; CARRA DE VAUX, *Fragments d'Eschatologie musulmane*; WASHBURN, *The Points of contact und constrat between Mahommedanism and Christianity*, apud *History of the Wold's Parliament of Religions*, vol. I, p. 565-582; J. BIXBY, *Mohammed and the Coran*, in periodico *The Arena*, march 1895, p. 29; TANQUEREY, op. cit., p. 272 sq.; WILMERS, op. cit, p. 567 sq.; GOLDZICHER, *Muhamadenischen Studien*; H. GRIMME, *Mohammed. Die weltgeschichtliche Bedeutung Arabiens*; CLEM. HUART. *La variazione di certi dogmi dell'Islamismo*; C. BACKER, *Panislamismus* in *Archiv. f. Religions*, I-II, p. 169-192; G. GABRIELI, *Un capitolo di Teodicea Musulmana*; IDEM, *Al Burdatân*, ovvero *I due poemi arabi del mantello in lode di Maometto* (cf. *Studi Religiosi*, anno 1901, fasc. II-III); NALLINO, *La odierna tendenza dell'Islamismo; Studi Religiosi*, anno 1904, fasc. VI, p. 579 sq.; GONDAL, *Mahomet et son oeuvre*; A. MÜLLER, *Der Islam in Morgen-und Abendland*; A. KREMER, *Culturgeschichte des Orients unter den Chalifen*; J. GOLDZIHER, *Muhammedanische Studie*; WEIL, *Geschichte der Chalifen*; I. PIZZI, *L'Islamismo*; MARRACCI, *Alcorani textus universus translatus*; etc., etc.

civilisationis desiderio, ut idolorum cultum proscriberet, religiosam revolutionem promovere studuit.

Interim mense Ramadhân volvente Mahumetus fingens Angelum Gabrielem sibi apparuisse, et ab eo arcana didicisse, se Dei prophetam praedicavit divinitus missum ut patriarcharum religionem primaevam instauraret.

Hinc primum privatim, publice postea vulgavit se esse legatum illum quem Moyses in lege et quem Christus Apostolis promiserat: quo factum est ut a civibus doctrinae ejus obsistentibus, coactus sit e Mekkâ in Medinam confugere anno 622 (mense Junio).

Exinde initium habuit Aera mahumetana, ex eo enim tempore Mahumetus Medinenses sibi conciliavit et eorum ope adjutus vi et armis religionem suam per totam Arabiam disseminavit. Obiit die 7 Junii ann. 632.

De indole et caractere Mahumeti constat ipsum fuisse voluptatibus addictum et aliquando irae nimium indulxisse. Scimus etiam ipsum saepe epileptyco morbo laborasse.

634) Doctrina Mahumeti. — De doctrina Mahumeti disserentes sedulo distinguere debemus inter doctrinam coranicam et doctrinam islamiticam, quae multo post obitum Mahumeti diffundi coepit.

Unum Deum esse admittendum docet Mahumetus quem *Allâh* appellat, eumque unicum ad exclusionem trium personarum dicit.[1] Huic Deo omniscientiam, omnipotentiam, misericordiam, justitiam creandique tribuit potentiam.

Christum veluti prophetam agnoscit, negat tamen ipsum esse Messiam et Deum.

Docet pariter animae immortalitatem, corporum resurrectionem, bonos glorificandos esse, malos autem puniendos; priores praemium consecuturos esse in paradiso voluptatis ubi sensibus et carnalibus oblectamentis, magis quam visioni Dei vacabunt; malos vero esse in gehennam ignis detrudendos.

---

[1] Haec dei unicitas ita in Corano asseritur: *Tu dirai; Egli è l'Iddio unico. L'Iddio a cui tutti si volgono. Non generò e non fu generato. Non ha mai un solo uguale a Lui* (cap. CVII).

Fatalismum insuper aliquando implicite, aliquando aperte tradit Mahumetus, falsa de praedestinatione et de humana libertate sequutus opinamenta.

Denique affirmat multos prophetas missos fuisse ad *Allâh* voluntatem manifestandam, se autem omnium maximum jactitat et prophetam per antonomasiam; hinc illud effatum: *Non est ullus Deus nisi Deus, et Mahumetus ejus propheta.* Liber autem qui *Al coran* (idest *lectio*) appellatur a Mahumeto aeternus reputatur et in Deo immanens, licet novissime scriptus sit, ipsique datus, ut omnibus eum proponat, quippe qui omnes superat libros sacros patriarchis traditos.

635) Praeter haec dogmata etiam moralia Mahumetus tradidit praecepta, quorum alia *negativa*, alia vero *positiva* sunt.

Prohibuit enim choream, musicam, vinum, imagines, carnis suilliae usum etc. etc.

Quinque autem sunt praecepta positiva quae Mahumetus suis imposuit asseclis, scilicet *ablutiones et preces, jejunium, ad delubrum meccanum peregrinationes, eleemosynas*, et *bellum* ad Islamismum propagandum. Ex precibus aliae sunt *rituales*[1] quae quinquies in die perfici debent, quas ablutiones, formulae et speciales coeremoniae comitantur; aliae vero sunt *privatae* et *liberae*[2] quae pro libitu perfici possunt. *Jejunium* per modum poenitentiae imponitur; et ex jejuniis praecipuum est illud quod per unum mensem *Ramadhân* perdurat. Ad rem scribit clarissimus Pizzi[3]: *Il digiuno dei Musulmani importa che il fedele, per tutto il mese di Ramadhân dall'alba al tramonto del sole, non deve toccar nè cibo, nè bevande, deve astenersi dai bagni, dai profumi, da ogni cosa più gradita e piacevole. Tramontato il sole, è lecito cibarsi, ma in certa misura, mentre all' apparire della luna novella che segna il nuovo mese, è lecito festeggiare con i banchetti la fine del digiuno.*

---

[1] Dicuntur hae preces *salât*.

[2] Vocantur *du'â*. Cf. Pizzi, op. cit., p. 118 sq.

[3] Op. cit., p. 121.

Pia ad delubrum meccanum peregrinatio, semel saltem est perficienda.[1] Eleemosyna quae praescribitur duplicis generis est: alia enim est *decima*[2] pro rata facultatum a quolibet persolvenda. Haec ad publicum aerarium defertur ut erogetur ad pauperes et neophitos sublevandos, etc. etc. Aliam vero (*sadaqa*) quilibet pro lubitu et per seipsum perficit.

Praeter haec praecepta nihil in *Corano* invenimus relate ad satisfactionem pro peccatis, et ad internas animi dispositiones. *Circuncisio* ab Islamitis plerumque servatur. Permittuntur pariter a religione Islamitica polygamia et divortium ad nutum mariti, et quatuor singulis conceduntur uxores quibus concubinarum illimitatus numerus adjungi potest.

Mahumetanismus in tres praecipuas dividitur sectas idest in *Schiitas*,[3] seu sectatores *Ali*, qui Coranum rigide interpretantur; in *Sunnitas*, qui Corano *Sunnan* seu traditionem addunt; et in *Kharijitas* qui contra ortodoxam regulam ut nimis laxam protestantur.

636) Hisce traditis notionibus circa originem et constitutionem Mahumetanismi, videamus quid censendum sit de hac religione, utrum revelata sit necne et christianae praeferenda.

Sine dubio haud multum adlaborandum est ut islamismi falsitas demonstretur, sufficit enim ejus auctorem, doctrinam fructusque ex hac derivantes considerare.

a) Auctor religionis istius quamvis se Dei legatum dictitaret, nunquam tamen legationem suam divinam demon-

---

[1] Cf. Pizzi, op. cit., p. 122 sq.

[2] Dicitur haec eleemosyna nomine proprio *Zakât*.

[3] Circa *Shiitas* notandum est erronee retineri ipsos a Perside originem duxisse. Ad rem notat Nallino (Cf. *Studi religiosi*, ann. 1904, p. 584): *Nel quinto capitolo* (del Pizzi) *le origini dello scisma* shiita *sono date come persiane, seguendosi in ciò troppo la diffusa credenza. Ma gli ampi annali che si sono venuti pubblicando in questi ultimi anni ci forniscono la prova irrefragabile che il partito schiita non fu dapprima se non il partito medinese d'opposizione contro la fazione meccana e Sira. Ad esso più tardi si ascrissero in prevalenza i Persiani.*

strare potuit, neque per miracula, quae nunquam patravit, neque per vitae sanctitatem, scimus enim Mahumetum turpissimis vitiis addictum fuisse.

Immo falsitas praedicationis ipsius ex eo deducitur quod ipse prophetam se praedicans secum ipse pugnat, quia affirmat se esse prophetam a Deo promissum oriturum a populo Israelitico, dum e contra aliunde ipse oriundus erat.

b) Pariter doctrina Mahumeti falsa est, tum quia asserit veritates quas ipse proponit, esse revelatas non ideo quod Deus ipsas revelaverit per legatos suos et per Jesum Christum, sed ideo quod revelaverit ministerio sui ipsius; tum quia laborat *falsitate materiali*. Et sane doctrina de Deo personarum trinitatem excludit, fatum inducit, Deum crudelem dicit, quia docet Deum esse peccati et damnationis, ad quam homines praedestinavit, auctorem. Doctrina de futura remuneratione foedatur illecebris voluptatum quae promittuntur.

Ethica vero morum principia pervertit.

c) Denique haec doctrina fructus protulit exitiales, quia nocuit individuorum profectui, familiarum unitati, societatis incremento, tum prohibens omnem religiosam discussionem, tum polygamiam et divortium permittens, tum fatalismum docens, qui pigritiam fovet et industriae impedit progressus.

637) Quod si quid boni in Islamismo invenitur, fatendum est id fortuito inveniri, quia Mahumetus nonnulla a Judaismo et a Christianismo mutuatus est; hoc tamen bonum quod aliunde desumptum est, tot tantisque inficitur vitiis ut religio Mahumeti nonnisi errorum congeries sit habenda.

638) Quaerentibus vero quomodo explicari possit mira Mahumetismi propagatio, respondemus hoc factum ex eo repetendum esse quod Islamismus cupiditatibus favens et passionibus vi et armis invitos sibi subdidit.

Merito igitur animadvertit Tanquerey[1] *Mahumetismum*,

---

[1] Op. cit., p. 278-279.

sicut Budhismum, nonnisi veritatis fragmenta in se continere, quae tum ex naturali ratione, tum ex primaeva revelatione deprompta sunt; utrumque autem systema perniciosis scatere erroribus, ex quibus inhabile factum est ad genus humanum a suo misero statu vere redimendum; plenam autem veritatem ab omni errore immunem, in solâ religione Christi inveniri. quae sola tum privatos homines tum societates sanare potest.

CONCLUSIO.

639. Hucusque ostendimus religionem christianam vere supernaturalem esse, idque probavimus tum internis, tum externis criteriis et notis. Vidimus prophetias quae in veteri lege de futuro Dei legato traditae fuerant, easque omnes esse Christo Jesu applicandas ostendimus: quo factum est ut Christus vere Dei legatus et Messias sit habitus. Hanc conclusionem confirmarunt doctrinae speculativae et practicae, quam Christus docuit, excellentia, et Apostolorum, Discipulorum, Judaeorum et Gentilium testimonia, et charismata omnia sapernaturalia, quibus Christus missionem suam divinam ostendit, discipuli testati sunt.

Comparatione instituta inter religionem Christianam et religiones ab aliis fundatas id exploratum habuimus, nempe religiones omnes, praeter christianam, multis taedari erroribus, neque sufficere ut legitimis intellectus et voluntatis aspirationibus satisfaciant.

Quae cum ita sint, cum ex una parte evidenter constet religionem christianam esse continuationem et perfectionem religionis patriarchalis et mosaicae, cum constet has religiones esse vere revelatas, ut deducere possumus tum ex plurimis Novi Testamenti locis,[1] tum ex sanctitate doctrinae quam tradunt; cum constet aliquam religionem esse omnibus hominibus absolute necessariam, et unam tan-

[1] Cf. JOANN., V, 39; VII, 38, 42; X, 55; MATTH., XXII, 32; MARC., XII, 26; MATTH., IV, 4, 7, 10; LUC., XVI, 16; MATTH., XI, 13; XXI, 40; II PETRI, I, 21, *Tim.*, III, 16.

tum religionem esse veram, concludimus religionem christianam esse revelatam, veram et ab omnibus amplectendam.

Id aperte testatus est Jesus Christus dum Apostolis missionem dedit praedicandi Evangelium: *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra: euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti; docentes eos* SERVARE OMNIA QUAECUMQUE MANDAVI VOBIS[1] .... *Euntes in mundum universum, praedicate Evangelium omni creaturae.* QUI CREDIDERIT ET BAPTIZATUS FUERIT, SALVUS ERIT; QUI VERO NON CREDIDERIT, CONDEMNABITUR.[2]

Apostoli vero Christi evangelium praedicantes solemniter docuerunt fidem in Jesum Christum necessariam esse ad salutem consequendam,[3] et nonnisi in nomine Jesu[4] salutem sperari posse.

Et merito quidem, quia religio christiana praeter fidem quam postulat, opera exquirit quae fidei conformia sint, quaeque homines a vitiis revocatos ad virtutis tramitem adducant. Fidem quidem postulat quia necesse est ut homo *a Deo tanquam Creatore et Domino suo totus dependeat, et ratio creata increatae Veritati penitus subiecta sit*[5]; opera vero quia per ipsa actu exequimur quod intellectus praestandum esse cognovit, et una fit mentis et voluntatis in idem conspiratio.

Omni igitur nisu adlaborandum nobis est ut in dies intimius religionem christianam cognoscamus, ut facilius, utar verbis clarissimi TANQUEREY,[6] *eos qui sedent in umbra mortis ad Christum verbis, exemplis, precibusque adducamus, ut et ipsi Deum per Christum glorificent, et sic perfecta impleantur haec verba*: CHRISTUS VINCIT, CHRISTUS REGNAT, CHRISTUS IMPERAT, cui honor et gloria in saecula saeculorum.

AMEN.

---

[1] MATTH., XXVIII, 19, 20.
[2] MARC., XVI, 15-16.
[3] *Epist. ad Galatas*, II, 16; cf. *Ad Rom.*, III, 22-28.
[4] *Act.*, IV, 12.
[5] Cf. *Concil. Vatic.*, Sess. III, c. 3.
[6] Op. cit., p. 286.

INDEX RERUM ALPHABETICUS

T DENOTAT CITATIONEM INVENIRI IN TEXTU, N IN NOTIS.

A

Abercius, ejus carmen, T 455.
Acidus carbonicus, ejus vapor N 176.
Actus interiores, exteriores, T 30; eliciti, imperati, T 31.
Admiratio subiectiva et obiectiva, T 112, 113.
Aether, N 176.
Agapes, N 256.
Agere per desiderium per amorem, T 118.
Agni, T 274.
Agnosticismus, T 35.
Ahuna vairya, T 272, 273.
Akinesia, T 190.
Alexandria, hujus civitatis philosophicae scholae, T 278.
Alumni, N 253.
Anabaptistae, T 478.
Anestesia, T 190.
Angeli nequeunt esse causa principalis miraculi, T 116; miracula faciunt quoad nos tantum T 117; angelorum cognitionis causae, T 213.
Anima, animae humanae praetiositas, N 233.
Apologia, utrum magis in conscientia quam in scientia fundari debeat, N 102; scopus ultimus Apologistarum, N 104; non sufficit ratiocinium ad fidem habendam, N 106; homo non potest se praeparare positive ad gratiam, negative potest, N 106.
Auctoritas, utrum Christus auctoritatem quamlibet adversatus sit, N 255; auctoritas evidentiae, evidentia auctoritatis, T 157.

B

Babistae, T 479.
Brahma, T 274.
Budhismus, T 428, 480; budhismi libri multis saeculis post mortem Budhae fuere conscripti, T 428; Budhae vita, legenda et doctrina, T 481; ethica, T 482; Budhistae dividuntur

in fideles et religiosos, T 482; critica budhismi, T 483; quid sit nirvana N 482.
Bullae servorum, N 251.

C

Caecus, caeci curationem quomodo explicent rationalistae, T 387.
Canzoniere davidico, N 309.
Castitas utrum apud ethnicos floruerit, N 248.
Catalepsis, T 168; N 176; T 180.
Causa principalis, instrumentalis, T 115; universalis, prima, totalis, N 115; creatura duplici modo causa instrumentalis esse potest, N 115; causae secundae duplicem habent actionem, T 116; nomine causae quid significetur quoad propagationem religionis christianae, T 451.
Certitudo obiectiva, subiectiva, T 60.
Cognitio speculativa et practica, N 28; cognitio Dei intuitiva et abstractiva, T 99.
Corân falso tribuitur Mahumeto, T 428.
Credere Deum, Deo, in Deum N 29.
Criticismus, T 259.
Cultus internus, externus T 30, 45; necessitas cultus interni T 36; externi, T 46; externus subdividitur in privatum et pubblicum, T 45; in publicum quoad modum vel quoad causam efficientem, T 45; cultus publici necessitas, T 48.
Cyva, T 274.

D

Delirium, N 176.
Dementia, N 176.
Diaconissae, N. 252.
Dispnea, T 190.

E

Ecstasis, definitio et divisio T 193; duplex phoenomenon in ecstasi, T 174; effectus corporei in ecstasi differunt a symptomatibus hystericis et nevroticis, T 194; phoenomenon externum physiologicum et pathologicum, T 194; in quo consistat miraculum quod in ecstatico verificatur, T N 196; ecstasis exterioris adiuncta, T 196; effectus hystericis et ecstaticis communes, T 197; indicia ad distinguendas ecstases ab hysterismo, T 197; ecstasis interna, N 196.
Emaurosis, T 190.
Emiplegia, T 190.
Energeia naturae actualis et potentialis, T 122; activa, passiva, N 122; vires naturae perturbantur per alterius vis conflictum, T 143; vis superior naturae praevisionem humanam impossibilem non reddit, T 143.
Enteralgia, T 190.
Epicurei, T 460.
Epilessia, N 176.
Error, T 148.
Ethnici philosophi, T 460.
Evangelium Joannis utrum sit historicum, T 345, N 346.
Evidentia autoritatis, auctoritas evidentiae, T 157.

F

Fachiri indiani, N 171; T 410, 411.
Fanatismus quid sit, T 474.
Fatalismus, T 35.

Feminei sexus christiana religio vindicavit dignitatem, T 251.
Fides informis et formata, N 104; non sufficit ratiocinium ad fidem habendam, N 106.
Filius, religio christiana statuit maximam esse filiorum curam habendam, T 252; filius Dei, Filius hominis, obiectiva et subiectiva significatio horum verborum, T 353 et seqq.; significatio vocis Filius apud orientales, T 353.
Folia, foliarum saltatio, N 171.

G

Gastralgia, T 190.
Glossolalia, T. 432; opiniones circa glossolaliam, T 432; donum glossolaliae in Pentecoste Apostolis collatum est factum mere supernaturale, T 433.
Gnosticismus, T 33.
Gratia, nequit homo se praeparare positive ad gratiam, negative potest, N 106.

H

Haematidrosis, T 183.
Haemmorrhagiae spontaneae, T 183.
Haemophilia, T 183.
Hallucinatio quid sit, T 420; num detur hallucinatio collectiva, T 421.
Honover, T 272, 273.
Hypnotismus, definitio, TN 199; media et genera, T 179; nonnulli omnia facta hypnotica tamquam diabolica respuunt, T 181; alii omnia naturaliter esplicare conantur, T 181; triplex classis hypnotismi T 181; criteria quibus miracula distinguuntur a phoenomenis hypnoticis, TN 187; rationalistae Christi miracula tribuunt hypnotismo, T 388.
Hystherismus, N 176; definitio, caracteres, momenta, TN 189; turbationes mentales, T 129; turbationes organismi, T 190; turbationes trophicae, T 190; in vasis motoribus et secretoriis, T 190; in texturis cellularibus, T 190; atrophia muscolaris, T 190; huiusmodi morbi per suggestionem vel hypnotismum propulsantur, T 190; laesiones organicae nequeunt curari per suggestionem, T 191.

I

Immutatio interior Apostolorum naturaliter explicari nequit, T 433.
Impotentia physica et moralis, T. 89; ab intrinseco et ab extrinseco, N 89; partialis et totalis, T 89.
Indifferentismus, T 50; absolutus et mitigatus, T 50; universalis et particularis, T 51.
Inordinatio in ordine naturali quid sit, T 152.
Intellectus, eius obiectum adaequatum, T 39.

J

Jainismus, T 428.
Jezeus Christna, T 273, 274.
Joannes et Lucas an suas narrationes de resurrectione Christi a fonte judaica sumpserint T 417.
Judaizzatio, N 441.

K

Karijitae, T 487.
Krshna, T 274, 275.

L

Latitudinarismus, T 51.
Legatio divina Christi, T 343; Christus se divinum legatum professus est, T. 344; non est necesse inquirere utrum haec legatio necessario importet divinam in legato naturam, T 345; Christus testimonium exhibuit de sua legatione, privatim, T 346; coram populo, T 349; coram magistratibus, T 352; nihil valet dicere non esse declarationes genuinas Christi, T 352; testimonium Christi fidem meretur, T 353; significatio obiectiva effatuum *Filius Dei* et *Filius hominis*, T 353; diversimode in V. T. accipiuntur verba *Filius Dei*, T. 354; titulus *Filius hominis* consideratus in se et relate ad aliud, TN 355; significatio subiectiva eorumdem effatuum, T 356; Christus sibi hos titulos quomodo applicuit, T 357; quid de Socinianis et Unitariis horumque modernis asseclis sit sentiendum, T 357; Christus se Filium Dei dixit sensu proprio et absoluto, T 358-360; quando sibi attribuit existentiam Incarnationi praeviam, T 360; quando se dicit Patri aequalem, T 361; id ipsi Judaei intelligunt, T 361; quando non dicit iudaeos male intellexisse quae docuit, T 362; quando affirmat se habere eamdem scientiam ac Deus Pater, T 363; quando Petri approbat confessionem, T 363; refutantur opposita systemata, T 366; Christus magis explicite se Filium hominis appellavit, T 367; ad tres classes reducuntur Jesu effata quibus se Filium hominis dicit, T 367; in conscientia Christi titulus *Filius hominis* idem valet ac titulus *Messiae*, T 368; cur Jesus hoc titulo usus sit, T 368; qua de causa silentium circa miracula a se patrata saepe imposuit discipulis, T 369; opinio Lietzmann, T 369; opinio Drummond, T 370; de ambitu tituli messianici qui Christo competit, T 371; opinio Weis, Wrede, Loisy, T 371; de tempore quo Christus uti Messias habitus est, T 373; de tempore quo Christus se Messiam credidit T 373; opinio neo-criticorum T 373-376; nostra sententia, T 374.

Apostolorum legatio, T 429; facta et dona extraordinaria praecesserunt apostolorum praedicationem, T 430; in quo consistant, T 430; haec facta sunt vere supernaturalia et miraculosa, T 431; apostoli praedicarunt Christum esse Messiam Deique Filium sensu proprio, T 439; legationis apostolicae tria momenta, T 440-441.

Testimonium Judaeorum et Gentilium circa legationem Christi directum et indirectum, T 444; Judaeorum testimonium indirectum, T 445; directum, T 447; Gentilium

testimonium, T 448; Acta Pilati, T 449.
Lex naturalis, definitio, N 121; leges particulares, universales et physicae naturae, T 121; quo sensu lex naturalis dicitur immutabilis, T 122; lex naturae positiva et negativa, N 122; lex naturae non est vis, T 122; etsi lex sit mutabilis, scientia non tollitur, T 149.
Lethargia, T 179.
Leuchemia, T 183.
Liberalismus, T 53; definitio, T 54; gradus, T 54.
Linguae dispertitae tamquam ignis, quae sederunt super singulos eorum qui erant in Coenaculo, non possunt causae naturali tribui, T 432.
Logos, N 229, 272.
Lypomania, N 176.

M

Magnetismus, de phoenomenis magneticis, T 168; triplicis generis, convulsiones, catalepsis, somnus magneticus, T 168; facta magnetica aliquando fraudi vel somno hypnotico tribuenda, T 169, N 175.
Mahumetismus, ethimologia, T 484; mahumetismi sectae, T 487; critica, T 487.
Mahumetus, vita, T 484; doctrina, T 485; Corân falso tribuitur Mahumeto, T 428.
Marcus et Mattheus an suas narrationes de resurrectione Christi a fonte galilaica desumpserint, T 417.
Mare, quomodo explicent rationalistae super mare ambulationem, T 387.
Martyres, eorum constantia est miraculum ordinis moralis, T 467; quaenam requirantur ut quis martyr dici possit, T 467.
Materialismus, T 35, 131.
Mâyâ, T 273, 275.
Methodus, historica et philosophica, T 101; quaenam praeferenda, T 102.
Miraculum, notio quoad nomen, T 112; quoad rem, T 113; variae denominationes, N 112; causa efficiens, T 114; principalis et instrumentalis, T. 115, 116; angeli nequeunt esse causa principalis, T 116; angeli miracula faciunt quoad nos tantum, T 117; causa finalis, T 117; sunt manifestatio Dei, T 118; nunquam Deus miracula operatur ad erroris confirmationem, sed ad confirmandam veritatem revelatam aut sanctitatem alicuius, T 118; causa materialis, T 119; necessarium est miracula esse sensibilia, T 120; non eodem gradu; sed physice, moraliter, intellectualiter, T 120; causa formalis, T 120; mundi animarumque creatio non est miraculum, T 120; miraculi ratio formalis in quo consistat, T 123; miraculum est extra non contra ordinem naturae, T 123; utrum miracula sint violatio vel derogatio vel suspensio legum naturae, T 124; nequeunt esse effectus naturales, N 124; miracula non sunt confundenda cum gratia, TN 125; miraculorum partitiones, T 125; quoad substantiam et quoad modum, T 125;

supra naturam, contra naturam, praeter naturam, T 127; quomodo haec distinctio ponenda sit, T 127; errores circa miraculi notionem, T 128; miraculorum possibilitas intrinseca, extrinseca, T 130; absoluta et relativa, T 130, 131; haec quaestio respicit ordinem speculativum et practicum, T 131; errores circa miraculorum possibilitatem, T 131; doctrina catholica, T 132; miracula sunt extrinsece possibilia, T 133; non repugnant potentiae Dei absolutae, T 133-135; non repugnant potentiae Dei ordinariae, T 137; non repugnant divinae scientiae et immutabilitati, T 137; miracula sunt intrinsece possibilia, T 140; rerum ordo non evertitur nec leges mutantur, T 141; non repugnant miracula praeter vel supra naturam, T 141; neque ea quae ab antiquis contra naturam dicebantur, T 142; utrum miraculum sit antiscientificum, T 144-145; utrum progressus scientiarum minus acceptabilem reddant miraculi notionem, T 144-146; utrum miraculum sit legum naturalium derogatio, T 144-156; utrum sit phoenomeni productio quod non continetur in virium naturalium evolutione, T 144-153; utrum negatio ordinis supernaturalis sit dogma pro hominibus scientia praestantibus, T 144-155; miracula nequeunt uti talia experientiae supponi, T 145; factum externum est experientiae obiectum, T 145; miraculum non est experientiae contrarium, N 145; miracula non sunt virium naturalium effectus, T 147; miracula non contradicunt scientiae, T 148; miracula non sunt deordinatio neque in Deo contradictionem arguunt, T 151; sunt causa efficiens ordinis, T 152; nullus motus naturalis est increatus, T 153-154; plurimi motus producuntur ab hominis actione, T 154; mensuram motus ab homine producti ignoramus, T 154; nullus novus producitur motus, T 154; miraculorum cognoscibilitas, T 156; cognoscibilitas facti et naturae facti, T 156; veritas philosophica miraculi per rationem innotescit, T 157; an miracula sint virium ignotarum effectus, T 158-165; an stigmata sint a suggestione, T 158; miracula, ut sunt factum physicum et historicum, testimonio humano transmitti possunt, T 159; Patres allegorice non sunt miracula interpretati, T 159; miracula possunt considerari ut factum praesens vel praeteritum, T 160; miracula sunt supernaturalia quoad causam vel modum, non quoad factum sensibile, T 160; in omnibus miraculis ponuntur tria elementa, T 160; utrum facta supernaturalia plures testes requirant, T 161-162; an testes prodigiorum debeant esse scientiarum periti, T 163; miracula distinguuntur ab effectibus naturalibus et a daemoniorum praestigiis, T 164-

199-200; miracula non sunt effectus magnetismi, spiritismi, hypnotismi, T 167; miracula facillime possunt discerni a phoenomenis spiriticis, T 178; criteria quibus miraculum distinguitur ab hypnotismo, TN 187, T 192; miracula non sunt effectus hysterismi, T 188; criteria ad dignoscendum utrum morbi sanatio sit miraculosa, N 193; in quo consistat miraculum quod in ecstatico verificatur, TN 196; distinctio inter potentiam mira operandi et facultatem huiusmodi potentiam actuandi, T 200; miraculorum vis probativa, T 204; duplex, intrinseca et extrinseca, T 205.

De miraculis Christi, T 377; ad tres classes reducuntur, T 378; Christus potentiam suam ostendit circa spirituales substantias, circa corpora caelestia, circa homines, circa creaturas irrationales, T 379; finis, T 379-380; Errores, T 380; miracula Christi historice vera sunt, T 382; Auctores sacri miracula referentes plenam merentur fidem T 385; an Apostoli nimium crediduli fuerint circa Christi miracula, T 383; errores, T 383; miracula Christi vere supernaturalia et divina sunt, T 385-387; non sunt diabolica T 389; miracula Christi in ordine intellectuali, T 390; Christus clare et minute praedixit multa futura contingentia circa seipsum, discipulos, Ecclesiam et Judaeos, T 391; vaticinia argumentum sunt divinae Christi legationis, T 394; miracula mixta Christi, seu eius resurretionis vaticinium et implementum, T 395.

De miraculis fundatorum aliarum religionum, T 427; non habent pro se ea testimonia quae necessario requiruntur ad fidem faciendam; sunt absurda et indigna, T 428; Mahumetus fatetur se non patrasse miracula, T 428.

Miracula apostolorum, T 443.

Mahumetanismus, T 428.

Motus, nullus motus naturalis est increatus, T 153-154; plurimi producti sunt motus ab hominis actione, T 154; mensuram tamen motus ab homine producti ignoramus, T 154; nullus novus producitur motus, T 154.

Multiplicationem panis quomodo explicent rationalistae, T 387.

Mysterium, notio, T 68; relativum et absolutum, T 69; scientificum et theologicum, T 70; mysteria stricte dicta quomodo definiantur, T 69; doctrina catholica, T 70; utrum a priori possit probari existentia mysteriorum stricte dictorum, T 78.

Mysticismus, T 33.

N

Natura, naturae ordo T 121, 152; singularis et particularis T 121; universalis et universalissimus, physicus et moralis, TN 121; naturae leges, naturae vires, v. energeia.

Naturalismus, T 61, 131, 259.
Necessarium simpliciter, N 88.
Neo-criticismus, T 374, 375, 384.
Nevrosi, N 176.
Nirvana, N 482.
Notae revelationis, T 100; notarum notio et partitiones, T 100; intrinsecae et extrinsecae, T 100; positivae et negativae, T 100, 101; sensibiles et insensibiles, T 101; de scopo et usu notarum, T 101; criterium externum distinguitur a criterio externe sensibili, N 101.

O

Occasionalismus, N 115.
Ogdoadis, T 274.
Opium, N 176.
Osiris, T 272, 273.

P

Pantheismus, T 33, 35, 46, 131.
Parabolae evangelicae, T 263; utrum sint authenticae, T 264; non fuerunt conscriptae post Ecclesiae institutionem, T 264; an parabolae evangelicae depromptae fuerint a traditione rabbinica vel budhistica, T 264; παραβολή nomen quomodo adhibeatur ab evangelistis, N 264.
Paralysis, T 190.
Paraplegia, T 190.
Paulinismus, N 67.
Paulus, Pauli apostoli conversionem facta concomitantia, et praecedentia, T 434; narratio conversionis hausta non est a traditionibus diversis sibi mutuo oppositis, T 434; Rationalistarum explicatio, T 436; quomodo Paulus viderit corpus Christi, T 437; Pauli conversio supernaturalis fuit et miraculosa, T 437; quando Pauli epistolae scriptae fuerunt, N 454.
Petrinismus, N 67.
Phtah, T 272, 273.
Pilatus, Acta Pilati, T 449.
Plethora, T 183.
Positivismus, T 35, 131.
Prophetia, notio, T 206; non est naturalis, N 207; obiectum formale, T 209; in prophetiae substantiam nihil influunt loci et temporum circumstantiae, T 209; comparatio cum voce hebraica *nabi*, TN 210; prophetiae possibilitas, T 210; cognoscibilitas, T 211; fortuita cognitio eo magis excluditur quo magis multiplicia et determinata sunt quae praedicuntur, T 211; prophetia distinguitur ab humana praevisione, T 211; quid ad hoc requiratur, T 211; quando signum certum divinae revelationis habeatur, T 212; prophetia distinguitur a praevisione per daemonem homini impertita, T 213; angelorum cognitionis causae, T 213; an Deus aliquando utatur pseudoprophetis, T 214; verae prophetiae nequeunt confundi cum telepathiis, T 218; prophetiae vis probandi, T 218; aliter probat quam miracula sensibilia, T 218; quoad se T 218; quoad nos, T 219; solvitur difficultas de infallibilitate prophetiae, T 219; prophetia praescientiae, T 220; comminationis, T 220; huic subesse nequit falsum, T 220.

Proto-evangelium, quid sit, N. 291.
Pseudo-mysticismus, T 33.
Purpura, T 183.

R

Rationalismus, T 62; theologicus, T 62; biblicus, T 66; philosophicus, T 68.
Rationum nomine quid significetur quoad propagationem religionis christianae, T 451; esse supra vel contra rationem quid importet, T 235.
Regnum Dei, N 230; ante Christum concipiebatur eschatologice, N 231; doctrina evangelii quid contineat ad hoc, N 321; nos dicimus excludere ideam materialem Judaeorum, N 231; poenitentia non est regnum caelorum N 232; utrum in praedicatione regni Dei elementum mere eschatologicum inveniri oporteat, N 241; cum praedicatione regni Dei intime connectitur doctrina de iudicio finali, N 242; utrum hanc de iudicio finali ideam Christus mutuatus sit a Judaeis, N 242; duplex phasis regni caelorum, T 372.
Reincarnatio spirituum, T 170.
Religio, notio, T 25; sensu proprio et sensu lato, T 25; quoad nomen, T 26; quoad rem, T 27; religio habet duplices actus, N 26; est vinculum intellectus et voluntatis, T 27; religio obiective et subiective spectata, T 28; est virtus, T 28; virtus moralis non theologica, T 29; religionis partitiones, T 31; vera et falsa, T 31; naturalis et supernaturalis, T 31; naturalis simpliciter, et supernaturalis secundum quid, T 32; supernaturalis simpliciter, T 32; primaeva, judaica christiana, T 32; errores circa notionem religionis, T 33; religionis necessitas, T 34,43; errores circa necessitatem religionis, T 35; Ecclesiae doctrina, T 35; conscientiae dictamen aut honoris sensus praestare non possunt normam vivendi, T 40; neque poenarum temporalium metus, T 41; religionis unitas, T 48; errores contra unitatem religionis, T 50; debet qui in veram religionem inquirit carere praeiudiciis, T 225; religio christiana pertinet ad morales scientias, T 226; religio ostenditur revelata negative et positive, T 227; religio christiana in se est excellens, T 228; respicit veritates speculativas et practicas, T 228; religio christiana intellectus exsigentiis maxime respondet, T 228; an ulla admittenda doctrina sit priusquam positive perspectam habuerimus eius cum recta ratione congruentiam, T 235; religio christiana optime respondet voluntatis aspirationibus et cordis, T 237, 243; regulam tradit agendi tutam et completam, T 237; solatium praebet aerumnis et doloribus vitae, T 243; divinitas religionis christianae in suis effectibus, T 244; bona intellectualia et moralia, T 245; religio christiana divina monstratur ex effectibus quos produxit in ordine intellectuali, T 246; in morali, T 247; familiam so-

cietatemque mirabiliter instauravit, T 247, 249, 254; utrum castitas apud ethnicos floruerit, N 248; religio christiana feminei sexus conditionem ad pristinam revocavit dignitatem, T 251; statuit maximam esse filiorum curam habendam, T 252; servitutis rigorem temperare sategit, T 252; enixe intendit in tyrannidem evellendam, T 254; instauravit ius civium, T 254; ius gentium, T 257; qua de causa etiam post praedicatam religionem christianam populi fuerunt bello vexati, T 257; religio christiana vere revelata est, T 258; religio christiana a Judaeis mutuata non fuit, T 261; neque ab Essenis, T 263; neque ex graecis latinisque scriptoribus, T 265; opinio Duchanel et Havet, T 266; non a Stoicorum scholis, T 269; non a doctrina alexandrina, T 271; a Deo traxit originem, T 268; non a veteribus Persis, Indis, Chaldaeis, Aegyptiis, T 272; detractores religionis christianae in levissimis analogiis gravissimas superstruunt conclusiones, T 273; religionis christianae propagatio, T 449; est constans et diuturna, T 456; quae fuerit vis diffusiva religionis, T 451; nulla alia religio tot superavit impedimenta quod christiana, T 451; nomine rationum, causae, conditionis quid significetur, T 451; errores negantes facti amplitudinem, rationem et indolem, T 452; rationes quas affert Gibbon ad explicandam diffusionem religionis christianae, T 452, 464; opinio Harnack, T 453; celerrime religio propagata est saec. I, T 453; saec. II, T 454; ethnici scriptores hoc factum testantur, T 456; religio christiana cuiuslibet ordinis, sexus, et aetatis asseclas obtinuit, T 457; religio christiana non solum mirifice propagata est, sed etiam integra conservata est, T 458; tabella propagationis religionis christianae, T 458; propagationi et conservationi religionis christianae plurima obstabant impedimenta, T 458; propagationis impedimenta intrinseca, T 459; extrinseca, T 459; propagationi martyres viam straverunt, T 461; conservationis impedimenta externa et interna, T 461; opinio Harnack, N 461; media adhibita ad propagandam religionem christianam haud proportionata erant, T 461, 464; causae occasionales conditionesque interfuere, T 464; testimonium martyrum, T 467, 476; in propagatione religionis immediate et directe attenditur prompta fidei susceptio, in martyrio constans fidei professio, T 467; errores, T 468; numerus martyrum et conditio, T 468, 469, 470, 471; christiani tormenta pro fide sustinuere, T 471; imperatores religionem insectarunt ob politicam causam, T 471; constantia martyrum in tormentis tolerandis est miraculum ordinis moralis, T 472-474; constantia martyrum fanatismo tribui nequit, T 474, 475; in martyrum te-

stimonio veritatis amorem invenimus, T 477; martyres sunt testimonium humanum, T 476; divinum, T 477; per martyres impleta sunt vaticinia Christi, T 478; subsequentibus Ecclesiae saeculis martyres nobis semper occurrunt, T 478; divinitas religionis christianae probatur ex comparatione cum aliis religionibus, T 479.

Resurrectio Christi a mortuis est fidei nostrae fundamentum, T 395; opinio illorum qui negant a Christo praedictam fuisse resurrectionem T 396; errores contra realem Christi mortem, T 396-397; errores contra realitatem resurrectionis, T 397-399; doctrina catholica, T 399; Christus multis modis se resurrecturum praedixit, T 401, 402, 403; Christus vere mortuus est, argumenta physiologica, T 404; moralia, T 407; adversariorum refutantur opinamenta, T 409; Christus vere surrexit, T 411; de valore historico narrationum evangelicarum, T 412-417; quomodo S. Paulus certo sciverit Christum a mortuis surrexisse, T 413; an determinatio temporis in quo resurrectio evenit sit postulatum theologiae messianicae desumptum ex verbis Oseae, T 414; utrum Paulus affirmet apparitiones Christi fuisse tempore posteriores ipsi resurrectioni, T 414; utrum evangelistae referentes Christi resurrectionem ab unico fonte hujusmodi hauserint notitiam, T 417; opinamenta adversariorum oppugnantium realem Christi resurrectionem refutantur, T 418-427; ex apparentibus inter evangelistas contradictionibus nihil potest argui contra veritatem narrationis et resurrectionis historicitatem, T 418-426; Apostoli non fuerunt decepti, T 418; non hallucinati, T 419-422; apparitio Christi non fuit pneumatica, T 422; resurrectio Christi non est effectus telepathiae, T 424; non teleplastiae, non spiritismi, T 424; resurrectionis argumenta indirecta, T 425; resurrectio est factum supernaturale, attenta ejus natura; naturale quoad extrinsecam manifestationem, T 426.

Revelatio, notio, T 57; divina et humana, T 57; illa subdividitur in naturalem et supernaturalem, T 57; haec in supernaturalem sempliciter et quoad modum, T 57; revelatio gratiae et gloriae, T 58; subiective et obiective considerata, T 58; revelatio completa, N 58; immediata et mediata, T 58; corporalis et imaginaria, T 58; intellectualis, T 59; interna et externa, N 58; revelatio quoad rem, quoad indicium, quoad utrumque, T 59; activa et passiva, T 59-60; privata et publica, T 60; revelatio distinguitur ab illustrationibus, ab assistentia, ab inspiratione, T 60; revelationis obiectum materiale est duplex, T 60; errores revelationem impugnantes, T 61; revelatio supernaturalis et immediata cuiuslibet veritatis possibilis est,

T 71; non repugnat ex parte divinae sapientiae, T 72; neque divinae majestatis, T 73; non ex parte veritatis revelatae, T 73; non ex parte subiecti cui fit revelatio, T 74; possibilis est revelatio supernaturalis mediata, T 75; possibilis est mysteriorum revelatio, T 76; revelatio non repugnat ex parte mysterii, T 78; non ex parte hominis, T 79; revelationis convenientia et utilitas, T 81; errores contra hanc convenientiam, T 82; revelatio congruit Deo, T 83; hominibus, T 83; utilis est homini revelatio veritatum naturalium, T 84; mysteriorum, T 85; revelationis necessitas, T 87; absoluta, physica et moralis, T 88; revelationis discernibilitas, T 99; revelationis notae, T 100; criteria interna, externa, positiva, T 105; necessaria sunt T 105; criterium positivum non est primarium, T 107-108; nec illud quod Protestantes in sensu interno reponunt, T 108; neque illud quod a doctrinae fructibus desumitur, T 109; criterium positivum internum ad totius veritatis complexum est extendendum, T 109; criteria interna negativa, T 109; ostendere possunt revelationis possibilitatem, T 109; quando signum certum divinae revelationis habeatur, T 212; revelatio ut est factum, historiae subiacet dominio, T 278.

S

Sanguis, sudor sanguinis, TN 182; experientia Bouchard, T 184; effusio sanguinis quando sit supernaturalis, quando naturalis, T, 185; quodnam mechanismum praesit haemorrhagiarum localizzationi, T 186; per suggestionem hypnoticam sanguinis sudor nequit provocari, T 186; imaginatio indubiam potestatem exercet in tria liquida oeconomiae humanae, T 186; lex conservatrix sanguinis eadem actione agit in somno ac in vigilia, T 186; natura sanguinis, N 185.

Saras-vati, T 272, 273.

Schiitae, T 487.

Scientiae subalternantes, subalternae, T 5; scientiae divisio, T 2; finis, T 148.

Scorbutum, T 183.

Servitus, religio christiana servitutis rigorem temperare sategit, T 252.

Shabbat, T 334.

Shabûa, T 334.

Siddartha, T 481.

Sinoptici, utrum ex Sinopticis divinitas Christi exsurgat explicite, T 358; historice, N 442; valor historicus Sinopticorum in neo-criticorum sententia, T 375.

Sonus qui factus est repente de caelo in Pentecoste nequit causae naturali tribui, T 432.

Sonnambulismus, T 180.

Spiritismus, origo, TN 169; formae, T 170; spiritismus tiptologicus, graphologicus, invasionis, videns, T 170; spirituum reincarnatio, T 170; haec

phoenomena comitantur vel mechanici effectus, vel luminosae coruscationes, vel strepitus, T 171; utrum haec sint cum miraculis confundenda, T 172; plurimi scriptores sive medici, sive philosophi, negant, T 172; alii affirmant, T 173; certum est reapse phoenomena spiritica existere, T 173; non omnia tamen sunt revera spiritismo tribuenda, T 175; opinio Zollner circa causam spiritismi, T 175; phoenomena spiritica sunt praeternaturalia, T 176; vis intellectiva non physica in spiritismo habetur, T 176; an angelis tribui possint haec phoenomena vel defunctorum animabus, T 177; an sint naturalia, N 176; instrumentum materiale quo spiritus utuntur ad effectus spiriticos producendos est hominis systema nervosum, N 176; Ecclesia damnavit spiritismi praxim, T 179.

Stigmata, TN 182; per suggestionem hypnoticam non possunt provocari, T 186.

Stoici, scholae, T 269, 460.

Substantiae narcoticae et anesthesiacae, N 176.

Suggestio, T 180; rationalistae omnia Christi miracula tribuunt suggestioni, T 388.

Sunnitae, T 487.

Sûrya, T 274.

Syncopes, T 409; utrum fuerit causa mortis Jesu, T 409.

T

Tabella propagationis religionis christianae, T 458.

Telepathia, definitio et elementa, T 215; distinctio inter telepathias spontaneas et arte inductas, T 215; an tribuenda sint fluido cuidam, vel simpathiis electricis, vel physicae polarizzationi, vel simpathiae organicae, intuitioni occultisticae, T 216; nulla potest causa naturalis assignari telepathias explicandi, praeterquam spiritus, T 217; quinam spiritus agant in telepathiis spontaneis, T 217; et arte inductis, T 218; nequeunt confundi cum veris prophetiis, T 218.

Testimonium humanum quibus conditionibus fulciri debeat, T 161.

Theismus, T 68.

Theologia, nominis origo, TN 1; subiectum, T 3; obiectum, T 4; definitio, T 5; est scientia, T 5; eius distinctio a fide divina, T 6; speculativa et practica, T 7; pacifica, polemica, positiva scholastica, T 9; eius necessitas, T 13; dignitas, T 13, 14; eius systema, T 17; theologia fundamentalis vel apologetica quae sit, T 17.

Traditio symboli, N 459.

Trinitas SS. deduci nequit ab Indorum Trimurti, T 273, 274; opinio respuenda Mariette, T 274.

Typum, non perfecte intelligitur nisi post rei eventum, T 339.

Tyrannidem in evellendam christiana religio intendit enixe, T 254.

V

Vâc', T 272, 273.

Vaticinia messianica, T 278; u-

trum Christus fuerit ille idem a Deo promissus et a prophetis expectatus, T 279; multis saeculis ante Christi Domini adventum apud Judaeos exstabant vaticinia quibus futurus Messias praedicebatur, T 280; prophetiae multum in se obscuritatis continent plurimis ex causis, T 280; erronee a quibusdam supponitur omnes prophetias messianicas esse litteraliter interpretandas, T 281; vis prophetandi fuit gratia Dei actualis, T 282; errores, T 282; Judaei Salvatorem quemdam seu Messiam expectabant, T 283; Samaritani quoque, T 284; necnon multi librorum apocryphorum scriptores, ut ipsi testantur ethnici, T 285; utrum haec fides ortum habuerit a judaicis aspirationibus, T 285; non fuit a christianis creata, T 286; hanc fidem Judaei hauserant ex sacris Scripturis V. T., T 287; hujusmodi effata erant verae prophetiae, et quidem messianicae, T 288; se referunt ad personam determinatam, T 289; messianicarum prophetiarum expositio, T 289; possunt vel singula considerari in se et comparari cum singulis factis vitae Jesu Christi, aut omnia simul assumi, T 289; necessaria est investigatio historico-critica temporum quibus prophetae floruerunt, T 290; prima ideae messianicae lineamenta in Pentateucho, T 290; Proto-evangelium, T 291; vaticinium Noe, T 292; promissiones Abrahae factae, T 293; vaticinia Jacob, T 296; solvuntur difficultates desumptae ex verbis: schebet, mehoqeq, sciloh, T 297, 298; gradualis et perfectior evolutio messianicae spei tempore Davidis et Salomonis, T 302; in Psalmo LXXXVIII, T 304; in Psalmo II, T 306; in Psalmo CX, T 308; hujus Psalmi auctor, N 308; in Psalmo LXXII, T 310; in Psalmo XLV, T 311; opinio Minocchi circa Psalmos II, XLV, LXXII, N 306; pax tempore messianico per specialem Dei interventum adducenda, T 313; Oseae vaticinium et Joëlis, T 314; vaticinium Amos, T 315; Isaiae vaticinia, T 316; Michaeae vaticinium, T 319; Sophoniae, T 320; Habacuc, T 321; Jeremiae, T 322; Ezechielis, T 323; Zachariae, T 325; spes redemptionis per obedientiam et mortem divini legati, T 325; describitur ab Isaia, TN 326; circa hanc Isaiae prophetiam sententiae, N 326, 327, 328, 329; multa alia de Christi passione et morte praedicta sunt; T 329; idea messianica connectitur cum templi instauratione, T 330; vaticinium Danielis, T 330; sensus messianicus vaticinii, 332; an eschatologice sit interpretandum, T 332; an de sacerdote Onia, T 333; an demum saltem typice de Messia, T 333; temporis determinatio, T 334; communior sententia est Christum prodituram esse anno ab exitu sermonis 483, T 336; de implemento vaticiniorum in Christo, nempe de modo quo in

Christo adimpleta sunt, T 338; multa non litteraliter sed solum typice ad tempora messianica referuntur, T 336; non est rigorose quaerenda temporum et circumstantiarum comitantium coincidentia, T 339; haec vaticinia talia sunt ut nequeant de diversis intelligi, T 339; prophetae posteriores haud raro ad priora vaticinia vel tacite vel diserte respiciunt, T 340; an Christus inscie se messianicis prophetiis accomodaverit, T 341; in Christi impleta sunt quae spectant ad ejus geneologiam, chronologiam biographiam, T 341.

Vaticinia Christi, T 390; Christus clare et minute praedixit multa futura contingentia circa seipsum, discipulos, Ecclesiam et Judaeos, quae adamussim adimpleta sunt, T 391; vaticinia ista argumenta sunt divinae Christi legationis, T 394.

Vâyu, T 274.

Vegetationis acceleratio, T 171.

Verbum Dei, T 272.

Visnhu, T 274.

X

Χριστός, T 283.

INDEX NOMINUM ALPHABETICUS

T INDICAT CITATIONEM INVENIRI IN TEXTU, N IN NOTIS.

A

Abelardus, N 61.
Abenesra, N 326.
Abarbenel, N 326.
Ackermann, T 281.
Adler, N 287.
Agnostici, T 35.
Agobardus, N 202.
Ali Seed Amer, N 484.
Allan Kardec, N 167.
Allard, N 253, 449, 457, 469.
Alligherius, N 58, 91, 195, 463.
Alvarez, N 193.
Alzog, N 478.
Ambrosius, N 248, 296, T 332, N 408.
Ammon, N 326, 327, T 397.
Ammonius, T 332.
Anatolius, T 288.
Andrews, N 395.
Antoninus, T 93.
Antonelli Gius., N 214, 217.
Apellis Marcionita, N 50
Apollinarius Laodicenus T 332.
Apulejus, N 245.
Appio C., N 1
Aristaeus, T 288.
Aristobulus, T 288.
Aristophanes, N 247.
Aristides, 21.
Aristoteles, N 91, T 93, 462.
Armellini, N 253, 449, 457.
Arnaldus Brixiensis, N 61.
Arnobius, 21, T 246, 445, 457.
Artaxerses Longimanus T 335.
Athanassio, N 184, T 190.
Athei, T 35; 131.
Athenagoras, 21.
Athius, N 173.
Aubé, N 449,
Aubertin, N 258.
Audin, N 478.
Augustinus, T 1, 7, N 16, 21, 26, T 27, 42, 48, N 79, T 91, 96, N 110, T 138, 178, 193, N 211, 145, 256, T 288, N 293, 296, 307, 310, T 362, 389, 404, 417, 438, N 457, 459, 462, T 467, N 470.
Autolycus, N 267.
Averroe, N 61.
Avicenna, N 61.

B

Baco, T 192.
Bahrdt, N 327.
Bachelet, N 106, 107,
Backer, N 284.
Bade, T 299.
Baethgen, N 308.
Bailly, N 169.
Balfour, 22.
Ball, T 299.
Balmes, N 254, 257. 467, 475.
Baltus, N 94.
Baluffi N 256.
Baraban, N 404.

Bardenhewer, N 18.
Barety, N 167.
Barnes, 22.
Barolt, N 132.
Barre (De La), N 111, 122, 125, 196, 227.
Barth, T 275.
Barthélemy St. Hilaire, N 484.
Basilides Marcionita, N 50.
Basilius, N 2.
Bayle, T 80, N 97.
Batiffol, N 18, 256, 257, 439, 455.
Baur, N 61, 67, T 434.
Bautain, N 88.
Beard, N 169.
Beaudeau, N 193.
Beaunis, T 184.
Becanus, N 1.
Beck, N 326.
Becker, N 377.
Beelen, N 432; T 436.
Bender, T 129.
Benedictus XIII, N 11.
Benedictus XIV, N 12, 110, 191, 193, 196.
Benigni, N 449.
Bentham, T 158.
Beny Constant, 22.
Bergh Van Eyssinga, N 272.
Bergier, N 10, 21.
Bernheim, N 167, 168, 169.
Bernutz, N 198.
Belteridge R. Walter, N 206.
Bickell, N 308.
Biedermann, N 61, T 64.
Billuart, N 1.
Binet, N 167, 388.
Björnstrom, N 168.
Bixby, N 484.
Blanc, N 168.
Blanche, N 111.
Blondel, N 102, 103, 106, 107.
Boissarie, N 111, T 191, N 193.
Boissier, N 96, 244, T 260, N 456, 457.
Boldetti, N 253.
Bona, N 201.
Bonaccorsi, N 242.
Bonal, N 1, 22, 244.
Bonald (De), N 88.
Bonavinus Franc. N 152.
Bonethy, N 88.
Bonfante, N 250.
Bonfigli, N 132, T 158, N 188.
Bonnet, N 129.
Bonniot (De), N 110, 121, 122, 125, 134, 144, T 149, N 163, 164, 175, 177, TN 183, 189, N 196, 377, 388, 428.
Bonomelli, N 62, 63, 254.
Bordeland, N 214.
Bossuet, 21, N 307.
Bouchard, T 184, 185.
Bougaud, N 243.
Bourdaloue, N 419.
Bournouf, N 260, 273; T 274, N 275.
Bourot, T 184.
Bourru, T 184.
Bovon, N 343.
Brachet, N 198.
Braid, N 168, 216.
Brann, N 446.
Breal, N 260.
Breyschlag, T 358.
Bretschneider, N 157, 163, 406.
Briggs, N 242, 279.
Briquet, N 198.
Broca, N 169.
Broglie (Abbé De), 22, N 40, 96, 106, 227, 258, 276, 279, 286, 449, 484.
Brownson, N 167.
Bruce, 22, N 377, 395, 419.
Brugère, 21, N 87, 110, T 202, N 227, 258, 279, 343, 377, 395, 449, 467, 469.
Brunengo, N 303.
Bruttius, T 468.
Budha, T 273, 275, 428, 481, 483.
Bunsen, T 397.
Bushnell, N 110.
Buttler, 22.

C

Calmet, N 167, 298, T 334.
Campbell, N 157, 377.
Campli, N 167.
Cano, T 13.
Cantù, N 170.
Capron W., N 167.
Carpenter, T 370, N 388.
Carra de Vaux, N 484.
Cassiodorus, T 207.
Castelli, N 206, T 210, N 279, 281, 293, 326.
Castellani, T 191.
Cato, N 245, T 251.
Catullus, N 245.
Cavagnis, N 46, 52, 56.
Caussin de Perceval, N 484.
Celsus, N 61, 214, T 266, N 384, T 421, N 422, T 444, 445, N 461.

Cercia, 22.
Champagny (De), N256
Channing, N 239.
Charbonnier, N 165.
Charcot, N 132, 167, 168, 169, 196.
Chastel, N 256.
Chateaubriand, 21, N 243,
Chauvin, N 395, 419.
Cheyne, N 306, 309, 396.
Chiaf, T 216.
Christian, N 168, 216,
Chrysostomus (S), N 16 T 361, 362, 363, 364, 384, 416, 436, N 462.
Cicero, N 25, T 26, 42, 91, 96, N 97, 245, 285, 405, 462,
Cinti, 22, N 147, 162, TN 164, N 167, 187, 198, 227, 229, 253, 258, 259, 265, T 270, N 275, 449, 457, 469.
Cirillus Alex (S.), N 2. T 384.
Clemens XII, N 11.
Clemens Alex. 21, N 289.
Clemens (S.), T 39 419.
Clemens VI, 11.
Cloquet, N 169.
Cochin, N 254.
Coconnier, N 111, TN 158, N 168, TN 184.
Coeln, N 326.
Columbus Cristoforus, N 147.
Corluy, N 279, 294, 296, 298, 306, 329, 336.
Cornely, N 18, 206, 279, 289, 314, 315, 316, 321.
Coste Emm., N 111, 114, 117, TN 119, N 121, 125.
Costanzi, N 61.
Courbert, N 341, 343, 344, 377, 388, 395.
Cousin, N 61.
Criticistae, T 259.
Critici, T 361.
Crookes, T 216.
Crosta, 22, N 32, 35, T 54, N 57, 60, 68, 73, 87, 110, 160, 206, 377, 395.
Cullerre, N 167.
Cyprianus (S.) 21, N 245, 292, 474.
Cyrus, T 335.

D

Dalman, N 231.
Danko, N 395.
Darius, T 335, N 336.
Darmsteter, N 282.
Davenport, N 175.
David, 22, N 227, 258, 377.
Davidson, N 327.
De Cara, N 258, 272, T 274, N 275.
De Castries H., N 484.
Dechambre, N 167.
Dechamps, N 87.
Dechanel, N 132, 258, T 266.
De Gubernatis, N 260, T 273, N 273, T 274, N 275.
De Harlez, N 275,
Deistae, T 46, 132, 397.
Delanne, N 167.
De La Luzerne, N 377.
Deleuze, N 167.
Delitzch, 22, N 278, 296, 309.
De Maria, N 8, 60.
Demarquay, N 169.
Denis, N 258.
Denzinger, N 36, T 61, N 63, 67, 100, T 132, 158, N 229, 235, 344, 394, 400.
Derenbourg, N 258.
De Sanctis, N 455.
Desgrand, N 244.
Deslou, N 169.
De Valentia Greg., T 9.
De Wette, N 326.
Dexter (Edmond And), N 167.
Didiot, N 1, 22, 111, 128.
Didon, N 395.
Dieterich, N 61, 456.
Dio Cassius, N 257, T 456.
Diodorus Siculus, T 93.
Dionisius Halicarn, N 93.
Dodwel Henricus, T 452, 468.
Doedes, N 395.
Doederlein, N 326.
Dollinger, N 96, 484.
Dorner, N 61, T 65, N 66, 129.
Droysen, N 223.
Dubois, N 132.
Duchassaing, N 153.
Drummond, T 370.
Duchesne, 22, N 252, 449, 455.
Dufourcq, N 449, T 454, 464.
Duhon, N 309.
Dupuis, T 399, 424.

Durand, N 343, 442.
Duruy, N 245,
Duval, N 18, 169.

E

Edershim, N 287.
Edison, T 146, 216.
Egger, 22.
Einsemmenger, N 447.
Epiphanius, N 252; 292,
Estius, T 205.
Eusebius, 21, N 50. T 288, N 289, T 384, 392, N 394, 408, T 445, 446, 447, 449, 468, 469, 470, N 474, 477.
Ewald, N 61, TN 210, N 308, 309, 326, T 398.

F

Faria, N 168.
Fatalistae, T 35.
Feine, N 343.
Felix, N 460.
Fénélon, 21.
Ferand Edouard, N 153.
Féré, N 167.
Ferney, N 146, 147.
Ferret, N 388.
Ferrand, T 158, TN 184, N 395.
Ferrari, N 132, T 133.
Feuerbach, N 34.
FienumThoman, N 191.
Fichhorn, N 326.
Fichte, T 33, TN 82, N 97, 167.
Ficker, N 61, 456.
Ficinus Marsilius, 21.
Fillion, N. 304, 306, 307, 308, 311.
Fischer, 22, N 132, 237.
Flavius Joseph, N 285. 289, 394, N 405, 406, T 408, 447.
Florus, N 459.
Foissac, N 169.
Follin, N 169.
Fonsegrive, T 146.
Fontan, N 167.
Forcellini, N 25.
Fouard, 22, N 245, 247, 258, 261.
Fournier, N 224.
Fox, T 170.
Franchi Aus., N 34.
Franco (P.), N 167, 217.
Franzelin, N 1.
Frayssinous, 21, N 111, 377, 395, 449, 467.
Freppel, N 111, 460.
Frette, N 395.
Fridericus II, N 61.
Friedlieb, T 406.
Fulton, N 147.
Funk, N 256.

G

Gabrielli, N 484.
Galenus, T 140.
Gallo, N 40.
Gambetti, N 336.
Gatti, 21.
Garcin, N 258.
Gayraud, N 102, 168, T 216.
Gazzaniga, N 87.
Giacchi Oscar, N 168, 216.
Gibbon, N 132, T 157, N 452, T 464, 465, 466.
Gibier Paul, N 167.
Giffert, T 433.
Ginon, N 111.
Giobbio Adulphus, N 55.
Gismondi, N 271.
Glaubensleheres, N 64.
Gloag, N 279.
Gnostici, T 33.
Godet, N 395, 421, T 423.
Goix, N 395, T 396, 406, 409, N 421.
Goldzicher, N 484.
Goode, N 336.
Gondal, 22, N 68, 87, 110, 202, 484.
Gotti, 21.
Gottlob, N 132, T 409.
Gourbeyre, N 111, 184.
Goyau, N 61.
Graf, N 61.
Graham Belle, T 146.
Gratry, T 39.
Gregorius Naz. (S.), N 2, 16.
Gregorius Magnus, T 159, N 241.
Gregorius XVI, T 51.
Gregorovius, N 258.
Greg, N 419.
Greppo, N 457.
Gricobach, N 395.
Grimm, N 260, 272, 341.
Grimme, N 484.
Grisar, N 247, 257.
Groffier, N 224.
Grotius, N 61, T 313, N 327.
Grove, N 132.
Gruber, N 35.
Guénée, 21.
Gueranger, N 243, 449, 457.
Guilly, N 153.

Guizot, 22, N 138, 234.
Gurney, N 168, 214.
Gutberlet, 22, N 143, 168, 467.

H

Hacth, N 259.
Hagenbach, N 33, 61.
Haneberg, N 285.
Hardwik, N 259.
Harduin, T 334.
Hare Robert, N 167.
Harnack, 22, N 61, 97, 132, 157, 227, 229, 230, 231, 232, 233, 234, 235, 236, 238, TN 239, N 241, 242, 258, 261, T 262, 276, N 283, 353, T 358, 373, 380, N 380, 395, T 399, 412, 424, 425, 426, N 449, T 452, 453, 454, N 456, 458, 461, T 466.
Hase, T 387, 396, 397.
Hausrath, N 396, T 398, 434, N 438.
Havet, N 132, T 157, N 258, T 266, N 449, T 452.
Hébert, N 343.
Hegel, T 33, N 61, 97, 132.
Héindenhaim, N 167.
Heinrichs, 21, N 87, 395.
Hendewerk, N 326.
Hengstenberg, N 278, 293, 296, 306, 329, 336.
Herder, T 397.
Hermes, T 235.
Hermias, 21.
Herodotus, N 406.
Hesychius, T 332.
Hettinger, 21, N 87, 395.
Hilarius, T 332, 403.
Hilgenfeld, T 370.
Hilz, N 326.
Hippolytus, T 332.
Himpel, N 279.
Hitzig, N 309.
Hobbes, N 132.
Holback, T 161.
Holsten, T 370, 398.
Holzmann, N 231, 241, 353, T 366, 367, N 394.
Home, N 167.
Homerus, N 92, 102.
Hooke, 21, N 110.
Horatius, N 91, 97, 245.
Houtteville, N 129.
Huart, N 484.
Huc, N 173.
Huchard, N 189, 198.
Huet, 21, N 88.
Hume, N 97, 132, 156, 157, T 162.
Hummelaver, N 294, 296, 298.
Hurst, N 61.
Hurter, N 1, 10, 16, 18, 22, 57, T 58, N 110, 244, 279, 296, 343, 377, 395, 449, 467, T 475.
Huss, N 186.
Huxley, T 216.
Hyeronimus, N 26, 220, 293, 298, 310, T 313, 470, 478.

I

Ignatius (S.), N 471, 474.
Increduli, T 182, 188, 234.
Indifferentistae, T 35.
Ilvaine, 22, N 206, 377.
Imbert Gourbeyre, N 168.
Innocentius III, T 400.
Innocentius VI, N 12.
Innocentius XII, N 12.
Irenaeus, N 50, 289, 292, T 332, 392, 455, N 477.
Isaac Ben Abraham, N 326.
Isidorus Hispalensis (S.) 21, N 193.
Iurien Petrus, T 55.

J

Jaccolliot, N 170, 171, 173, T 274.
Jacque Thomas, N 290.
Jahn, N 300.
Jaugey 22.
Jarchi, N 326.
Jost, N 447.
Jouffroi, N 61, 234.
Judas Gaulonitides, T 393.
Julianus Apostata, N 61.
Julicher, N 263, T 264.
Jungmann, 22, TN 61, 68, 87, 244.
Juraschek, N 224.
Justinus, 21, N 245, T 247, N 289, 292, T 446, 449, 455, N 459, 472.
Juvenalis, N 245, 247, 251, 257.

K

Kant, T 33, N 61, 67, 97, 132.

Keating, N 256.
Keil, N 296, T 332.
Keim, T 366, 370, N. 397, T 398.
Kellog, N 428.
Kem, N 428.
Kenrick, 21, N 343.
Kinchi, N 326.
Kleutgen, T 3, N 10, 235, 381.
Klietoth, T 332.
Knabenbauer, N 206, 279, 317, 321, 322, 324, 325, 327, 328, 329, 330, 331, 334, 335, T 369.
Knoll, N 206, 227, 343.
Koester, N 326.
Konynenbourg, N 327.
Kortholt, N 460.
Krauss, N 257.
Kremer, N 484.
Kuenen, N 223, T 282.
Kuhn, N 272.

L

Labbé Jules, N 153.
Laberthonnière, N 102, 103.
Lacordaire, 21, N 227, 238, 377, 449.
Lactantius, 21, TN 26, T 27; TN 95, T 96, 252, 253, N 467, T 469, 470, 474.
Lagrange, N 296, 298, T 299, 300, N 301.
Lambrecht, N 1, 22, 110, 343, 377, 395, 449.
Lammenais, N 50.
Langen, N 285.
Lany, N 292.
Lapponi, N 167, 169, 170, 171, 173, 180.
Laprune, N 103.
Larroque, N 132, T 158.
Laurentius Valla, N 61.
Lauria, N 196.
Le Blant, N 457, 467, 469.
Le Camus, N 395, 405.
Lecky, N 61, 156, 250, 252, T 452, N 460, T 468, N 470.
Lefèvre, N 185.
Legrand de Saülle, 168.
Le Hir, N 210, 259, 281, 307.
Leiay, N 18.
Lelong, N 168, 388.
Lemann, N 296.
Lemoine, T 184.
Lenglet Lucien, N 153.
Lenormant, N 303.
Leo XIII, T 11, 15, 36, 41, 44, N 55, T 56, N 253, T 255.
Lepicier, N 111, 113, 114, 117, 119, 125, 130, 160, 163.
Lepin, 343, N 344, 354, 355, 356, 369, 372, 442.
Lescoeur, N 111, 395.
Lesetre, N 307, 395.
Lessing, N 132, T 157.
Levesque, N 291.
Leyser, T 332.
Liberatore, N 44, 53.
Lichtenberger, N 34, 61.
Liddon, T 40, N 343.
Liébeault, N 169, 180.
Liëgeois, N 169.
Lietzmann, T 369.
Lighfoot, N 254, 447.
Lignano, 132.
Lipsius, TN 357.
Littré, N 132, 146, 153.
Livius, N 257.
Loisy, N 227, 230, 232, 241, 242, 259, 263, T 265, N 272, 277, 280, 293, 339, T 358, N 359, T 571, 374, 375, 376, N 394, 395, T 399, 425, N 432, 442.
Lombroso, N 168, 388.
Looft, N 414.
Lotze, T 398.
Lucanus, N 245, 247.
Lucianus Samosatenus, N 61.
Luthardt, 22, N 204.
Luys, N 167.
Lyon, N 63.

M

Maas, N 279, 293, 296, 307, 336.
Macchiavelli, TN 35, T 53, N 61.
Macrobius, N 245.
Maggiorani, N 167.
Mahavira, T 428.
Maimonides, N 287.
Maldonatus, T 272, 369.
Malebranche, N 115.
Mamer, N 326.
Manning, 22.
Mantegazza, N 132, 158, 193.
Maranus Prudentius, N 8
Marchini, 22, N 279.
Mariano, N 258, 261.
Marianus, N 255.
Mariette, T 272, 273, 274.
Marille, T 184.
Martialis, N 257.
Marracci, N 484.
Martin Del Rio, N 111, 191.

Martini Raymundus, 21, N 287, 317, 325, 445.
Martineau, N 63, 76, 352, T 398, 423.
Marucchi, N 251, 318, 455, 457, 469.
Materialistae, T 35.
Matignon, N 167.
Mattiussi, N 105.
Maury, T 183, N 398.
Max Müller, N 132, 223, 260, 272, T 276.
Maximus, N 2.
Mazzella, 22, N 32, 35, T 40, 51, NT 52, T 53, N 57, 63, 68, TN 73, 76, 80, 87, 110, 114, 117, N 377, 395, 427, 449.
Mead, 22, N 110, 427.
Meignam, N 279.
Ménégoz, T 398.
Méric, N 111, 168, 388.
Mesmer Ant., N 168, 169.
Mesnet, N 169.
Metzger, N 167.
Meyer, T 370, N 432.
Michea, T 182.
Michiels, N 241.
Migne, N 1, T 27, N 76, 87, 138, 193, 202, 238, 326, 457.
Mignien, N 256.
Minocchi, N 275, 279, 304, 305, 306, 307, 308, 310, 311.
Minucius Felix, 21, N 245, T 266, T 473.
Miron, N 132, 258.
Moehlerius, N 8.
Mohammedus, T 428, 429, 484, 485, 486, 487.
Mohler, N 254.
Moll A. N 168.
Monsabré, 22, N 62, 74, 87, 110, 160, 168, 227, 279, 377, 467.
Montesquieu, N 257.
Montin, N 168.
Morandus, N 146, T 148, N 150, T 151.
Morselli, 168.
Moshemús Laurentius, N 8, T 157.
Mozlei, N 110.
Muir, N 484.
Muller, N 428, 484.
Munck, N 296.
Myers, N 168, 204,
Mystici, T 33.
Mythici, T 131, 159.

N

Nanack, T 428.
Nallino, N 484, 487.
Naturalistae, T 61, 131, 259.
Negri, N 435.
Neo-critici, T 374, 375, 384.
Nero, T 392.
Newmann, T 103, N 110, T 111, N 119, 163, 202, 290, 377, 465.
Nicolas, 21, N 111, 210, 285.
Nicolaus V, N 11.
Nourry, N 248.
Nus, N 173.

O

Occas, T 55.
Occasionalistae, N 115.
Ochorowicz, N 167, TN 216.
Octavius, T 266.
Ohanam, N 254.
Olcolt, N 173.
Ollivier, N 395.
Onkelos, N 297.
Orano, N 258.
Origenes, 21, N 69, T 84, TN 214, N 246, T 266, 267, 268, N 326, 336, T 384, 399, 421, 444, 445, N 446, 449, 467, 477.
Ottiger, N 1, 22, 74, 110, 206, 227, 343, 467.
Ovidius, N 92, 245.
Owen Robertus, T 35.

P

Paine, N 76.
Palay, 22, N 449.
Palmieri, N 339, 343, 395, 426.
Pantheistae, T 33, 35, 46, 131.
Parocchi, N 107, 110, 138.
Pascal, 21.
Patavinus Marsilius, T 35.
Patritius, N 427.
Patrizi, N 292, 341.
Paulinus Nolanus, T 93.
Paulus, N 326, T 380, 387, 388, 397, N 403, T 410.
Paulus Samosatenus, N 61.
Payne Smith, N 279.
Pelagius, N 61.
Pelleis, N 395.
Pelt, N 280.
Perin, N 244.
Perreyve, N 285.

Perrone, N 1, 21, 68, 110, 167, 206, 395, N 449, 475.
Pesch, N 1, T 5, 13, 22, N 67, 73, 86, 87, 123, T 166, N 206, 227, T 235, N 244, 258, 279, T 295, N 296, 336, T 340, 341, N 343, 377, T 382, N 395, T 408, N 419, 449.
Petavius, N 1, T 16.
Pfleiderer, N 61, TN 64, T 65, N 67, 132, 396, T 398.
Pharisaei, T 261.
Philo, N 272, 289.
Piat, 22.
Picard, N 377, 395.
Pignorius, N 251.
Pius V, N 11.
Pius IX, N 36, TN 51, N 85, T 99.
Pizzi, N 484, T 486, 487.
Plato, N 1, T 44, TN 75, N 91, T 93, 94, N 95, 247, 269, 272, T 290, 299, 300, 462.
Plinius, T 94, N 245, T 249, 408, 448, 456, N 457, 460.
Plutarchus, T 42, N 245, 250.
Podmore, N 168, 215.
Polibius, N 245.
Pomponius Laeto, N 61.
Porphyrius, N 61, 461.
Porret, N 395, T 421.
Portalié, N 196.
Positivistae, T 35, 131.
Potet (Du), N 177.
Preller, 245.
Pressensé (E. De), N 244, 449.
Protestantes, T 108.
Profumo, N 472.
Proudhon, N 132, 258, T 452.
Prudentius, N 312.
Pseudo-Cyprianus, T 332.
Pseudo-Mystici, T 33.
Ptolomaeus, T 288.
Pusey, N 336.
Puysegur, N 168.

Q

Quintilianus T 15.

R

Ramadier, T 184.
Rationalistae, T 33, 42, 46, 61, 72, 82, 85, 87, 88, 101, 134, 138, 145, 146, 155, 156, 157, 182, 187, 188, 210, N 229, T 234, 235, 272, 279 N 282, 324, T 333, 345, 361, 384, T 385, 394, 396, 425, 432, 436.
Rechas (A. De) N 165.
Reinke, N 278, 279, 305, 307, 313, 339.
Reinerding, 22.
Reimarus, T 307, 418.
Renan, N 61, 131, 132, 144, T 145, N 147, TN 156, N 223, TN 239, N 258, 260, T 262, 264, 380, N 383, T 387, N 395, TN 398, T 405, N 432, T, 437, 452.
Renzis (De) N 167, 180.
Resch, N 241.
Reuss, T 220, N 258.
Réville, N 210, 241, 395, T 397, 405, 409.
Revue biblique, N 18.
Reymond, N 132.
Rhys Davids, N 481.
Ribet, N 193, 201, 202.
Richardus a S. Victore, T 203.
Richer Leon, N 153, 168.
Richet, N 165, 166, 168, 169, 189.
Rio Carlo Silvio, N 206.
Ritschel, N 61, T 129, 358.
Robin, N 175.
Rochelle (De La), T 184.
Rohrbach, N 395.
Rohr, N 57.
Rolfi P. Pio, N 168, TN 182.
Romanes, 22, N 76, 235.
Rose, N 230, 343, 354, 355, 356, 366, T 367, N 368, 369, 395, T 414, 415, N 418, 419, 426.
Rossi de Justiniani, N 167.
Rossi (De), N 251, 252, T 253, N 457.
Rothe, N. 61.
Rousseau, N 61, 76, 132, T 157.
Row, 22, N 237, 244, 261, T, 276, N 343, 377, 388, 395.
Ruinart, N 167, T 168, N 469, 470, T 473, N 474.

S

Saadia, N 327.
Sabatier, 22, N 132, T 144, N 146, 259, T 398, N 423.
Sadducaei, T 261.
Sale, N 484.
Salesius Franc., TN 184.
Sallustius, N 96, 245, 257.
Salomon ben Melech, N 326.
Salvador, T 397.
Salvany J Sarda, N 56.
Saisset, N 258.
Sanday, N 369, T 370.
Sandius, N 8.
Satolli, N 106.
Savonarola, 21.
Schaff, N 254.
Schanz, 22, N 257, 258, 279, 377, 395.
Scheeben, N 16, T 58, N 68.
Schleiermacher, T 33, N 204, T 397.
Schell, N 343.
Schelling, T 33, N 97.
Schenkel, N 326, T 398.
Scherer, N 138.
Scherlock, N 395.
Schiedal, T 370.
Schmid, N 394.
Schmidt, N 241.
Schobel, N 223.
Schoetgen, N 445, 446.
Schopenhauer, N 223.
Schultze, N 455.
Schurer, N. 258, 285, 344.
Schuster, N 326.
Schwalm, N 102.
Schweizer, T 398.
Schwetz, 21, N 244.
Seebey, N 237.
Seewis-Salis, N 168, 198.
Segard, N 167.
Seguin, N 155.
Seinecke, N 326.
Seitz, N 253.
Semeria, 22, N 102, 105, 106, 123, 124, 227, 233, 241, 245, 254, 256, 257, 259, T 260, N 265, 432, T 433, 435, 442, N 449, T 450, N 455, 457, 460, T 461, N 467, 469.
Semi-pantheistae, T 131.
Senart, N 275.
Seneca, T 91, 96, N 245, 247, T 250, N 251, 257, 270, T 393, 457.
Sepp, N 343.
Serafini, N 250.
Skepto, N 388.
Sikhismus, T 428.
Simon, N 61, 97, 132, 145, 167, 271.
Simon Magus, T 393.
Sixtus V, T 11.
Smith, N 303.
Socinus L., N 8, 61.
Socinus F., N 8, 61,
Sociniani, T 357.
Socrates, 459.
Spagni, N 110.
Spincer, N 97.
Spinoza, N 61, 97, 107, 132.
Sprenger, N 484.
Stadler, 21.
Stapfer, N 395, T 397, 398.
Stave, N 272.
Stcenkiste, N 395.
Sterens, N 241.
Stoici, T 269, 270, 271.
Storchenau, N 449, 475.
Strauss, N 34, 61, T 64. N 66, 132, T 157, 338, 366, 373, 380, 387, 397, 403, 410, N. 419, T 424.
Strumpel, N 118.
Suarez, 21, N 114, 196, 203, 204, 205, 206, 377, 449.
Sulpicius Severus, N 471.
Sura, N 429.
Subled, N 111, 168.
Svetonius, N 2, 45, 250, 257, 285, T 393, 448, T 455, N 469, T 471.

T

Tacitus, N 25, T 94, N 245, 247, 251, 257, T 285, 393, 408, 448, 456, N 459, 460, T 468, 470, N 472.
Talamo, 22, N 227, 243, 244, 258, 264, 268, 269.
Tanner, T 3.
Tanquerey, N 1, 22, 57, 61, 63, 68, T 73, 76, N 87, 106, 110, 121, 125, T 128, N 145, 147, 163, T 181, 201, N 206, 223, 227, 237, 243, 244, 258, 279, T 281, N 286, 290, 296, 306, 307, 327, T 335,

N 343, T 352, 374, N 377, 391, 395. 419, 423, 449, T 462, 466, 478, N 484, T 488, 490.
Taparelli, N 53.
Tappehorn, N 292.
Tarabini, T 191.
Tardieu, N 190.
Tatianus, 21.
Telge, N 326.
Tepe, 22, N 449.
Tertullianus, 21, N 96, 245, T 249, N 252, 256, T 268, N 326, T 384, 449, 456, N 459, T 461, N 467, 472, T 474, N 477.
Terranova, N 61.
Tendas, T 393.
Theile, T 397.
Thenius, N 326.
Theodoretus, N 257.
Theodorus Mopsuestenus, N 61.
Theophilus Antioch. (S.) 21, T 267.
Thomas (S.), N 1, T 2, 3, 4, 5, 10, 14, N 14, 16, 21, T 27, N 28, 29, T 30, N 31, T 37, N 39, T 41, 44, 47, 48, 59, N 60, 66, 68, TN 75, T 77, 79, 83, TN 86, N 87, T 91, 99, N 104, 110, T 112, 113, N 114, 115, 116, 117, T 118, N 121, 124, T 126, 127, N 134, 136, T 137, 138, 139, TN 140, N 142, 143, T 179, N 190, T 193, N 200, T 201, N 203, 205, 206, T 207, 219, N 235, T 236, N 316, T 366, N 377, 391, 395, T 400, 437, N 449, T 462, N 463, 464, T 483.
Thomas, N 168.
Thomassinus, N 252.
Tibullus, N 245.
Tissot, N 258, T 452,
Toletus, T 12.
Tollemu, N 256.
Tolstoi, N 255.
Torregrossa, N 106.
Tournely, T 5, N 13.
Touroude, N 168.
Tourrette (Gilles De La) 167.
Tounshend, T 396, 409.
Traditionalistae, T 88.
Trench, N 110;
Tripho Iudaeus, T 446.
Trochon, N 336.
Tronchère N 111.

U

Ualghs, N 88.
Ubaldi, N 18, 280, 432.
Ugolini, N 261, 446.
Unitarii, T 63, 357.
Urbanus V, N 12.
Uziel, N 12.

V

Vabroger (H. De) N 61.
Vacherot, N 97.
Valerius Maximus, N 237.
Valet, N 111, 377, 385.
Valsecchi, 21, N 68, 87, 227, 395, 449, 467.
Vecchiotti, N 80.
Velpeau, N 169.
Venturini, N 132.
Ventura, (P. Joach), N 88.
Vernes, N 132, 260.
Verneuil, N 169.
Verries, N. 168.
Vespignani, N 53, T 54.
Vetringa, N 329.
Viardot, N 153.
Victorinus, T 332.
Vigouroux, N 18, 61, 279, 280, 294, 206, 303, 385, 432.
Vincent, 22.
Virgilius, N 92, 245, 285.
Vives L., 21.
Vizioli, N 168.
Voltaire, N 61, 132.

W

Wagenseil, N 445, 446.
Wallh, N 243.
Wallon, N 251, 254, 395.
Walter, T 209.
Warlomont, L 182.
Washburn, N 484.
Weber, T 396, 409.
Weddinghen (Van), N 110.
Wegscheinder, N 61, T 63, 64, 65, N 129, T 204.
Weill, N 153, 287, 484.
Weiss, 22, N 87, 132, 231 241, 244, 248, 343, 358, T 371.
Weisse. T 398.
Weizsacker, T 398, 423.
Weizsoecker, T 398.
Welhausen, N 61, 309, 353, T 370, N 394.
Wendland, N 271.
Wendt, T 358, 373, 396.

Werner, N 223, T 458.
Weygoldt, N 258.
Wieseler, T 334.
Willmers Guill., 22, N 32, 63, 68, 87, 110, 114, T 129, 140, 163, N 206, 244, 258, 265, 272, 279, 357, T 360, 365, N 395, 419, 449, 467, T 477, N 484.
Wilmers, N 296, 336, 341, 343, 377.
William Croockes, N 167, T 173.
Winkler, N 132, 258, T 266.
Wilpert, N 445, 446.
Winer, N 326.
Wiseman, N 395, 405.
Wolfius, N 61.
Wondt, T 366.
Wood, N 167.
Woods, N 279.
Woolston, N 61, 157.
Wrede, T 368, 371.
Wright, 22.

Y

Yung E., N 167, 343.

Z

Zaccherini, N 251, 252, 253, 257, 455.
Zangwill, N 243.
Zanon, T 216.
Zeller, N 258.
Zigliara, 21, T 50, N 57, TN 73, N 74, 76, 79, 87, 110, 220, 258, 259, 265, 279.
Zola, N 132.
Zollner, N 175.
Zoroastrus, T 27.

HOLY FAMILY CHURCH
SAN JOSE CALIF

pagina	linea	Errata	Corrige[1]
42	17	nexias	nescias
»	26	ethicorum	ethnicorum
»	38	mentiplane	menti plane
67	43 in N.	prior	alter
68	7	possint	posse
96	4	necessarius	necessarias
100	27	doctrina	doctrinae
123	21	vires	leges et vires
189	15	a voluntate pendere	a voluntatis perturbatione pendere
240	3	praeceptum	praeceptorum
255	23 in N.	ad eo	eo
263	7	rigidi	rigide
272	20	Osiridis	Osiris
276	18	religiosorum	religiosarum
278	12	ae	ac
279	21	earundem expositio	de earundem expositione
281	2	omnia	omni
293	12	Deus	Deum
313	21	§ III	III
317	5	Consiliatus	Consiliarius
338	13	§ IV	§ III
346	20	proprior	propior
404	10	directe	indirecte
461	1	videamus	videamur
»	7	Semeria etc.	Semeria.... propagationem Romae effectam.

[1] *NB. Errores ortographicos lector corrigat.*

1763

211
Z12

Zaccherini, Rev. G.

AUTHOR

Praelectiones Theol. Spec.

TITLE De Vera Religione

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	ROOM NUMBER
	DONOVAN	

1763